6
9-f
50

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
4 D
53

R. P. FR. LVDOVICI

GRANATENSIS,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS ORDINIS Prædicatorum.

RHETORICAE ECCLESIASTICAE, *ſiue, de ratione concionandi, libri ſex.*

ITEM,

R. P. FR. DIDACI STELLÆ, HISPANI, Ordinis regularis obſeruantiæ, DE MODO CONCIONANDI LIBER. &, Explanatio in Pſalm. CXXXVI. *Super flumina Babylonis.*

Liber nuncupatus, Directorium Concionatorium Editio vltima aucta & emendata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud GVILLELMVM PELE', viâ Iacobeâ, ſub ſigno Crucis aureæ.

ANNO M. DC. XXXV.

NOs frater Bartholomæus Ferreira in Theologia Præſentatus, & examini librorum, qui aliunde importantur, præfectus, & F. Gaſpar Leytano in eadem Theologia Præſentatus ex ſpeciali commiſſione & mandato manu propria ſubſcripto Sereniſſimi Cardinalis Infantis Henrici, Generalis Inquiſitoris in regno Portugaliæ, perlegimus hos ſex de concionãdi ratione libros, quos R.P.F. Ludouicus Granatẽſis ſacrę Theologiæ profeſſor, in Concionatorum gratiam ſcripſit: nihilque in eis offendimus, quod vel orthodoxæ fidei, aut bonis moribus aduerſaretur. Ideoque dignos duximus, qui prælo mandarentur, quod eos omnibus diuini verbi concionatoribus maximè vtiles, & ſalutares fore ſperamus. In cuius rei fidem nomina noſtra ſubſcripſimus. Olyſippone 1575.

F. Bartholomævs Ferreira,
Præſentatus.

F. Gaspar Leytano,
Præſentatus.

Acceſſit præterea iuxta ſacri Concilij Tridentini decreta, facultas Reuerendiſsimi admodumque illuſtris Ordinarij Olyſipponenſis.

F. LVDOVICVS GRANATENSIS EBORENSI ACADEMIÆ, VIRtutum & literarum altrici, bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

CVM te,ô alma mater,& egregia virtutum atque diſciplinarum magiſtra, ſereniſſimus Cardinalis, Enricus dominus noſter è ſuis(vt ita dicam) viſceribus genuerit,nutrierit,& ab ipſis incunabulis in iſtam ætatem & dignitatem prouexerit, omneſque & cogitationes ſuas in te vna perficienda,cunctiſque muneribus exornanda poſitas & conſtitutas habeat, dignum profectò eſt,vt nos,qui omnia clemẽtiſſimo Principi debemus, & de tuá tibi felicitate gratulamur, numeriſque omnibus abſolutam cupimus,opera quoque noſtra (qualiſcunque ea ſit) ſtudia tua aliqua ſaltem ex parte iuuare curemus. Cùm igitur conatus tuos omnes in hoc vnum præcipuè cõpares,vt alumnos tuos Chriſti Domini præcones egregios efficias,qui Dominicam meſſem cæleſtis doctrinæ fluentis irrigent,operæpretium me facturum putaui,ſi libellum hunc,qui de ratione concionandi agit, tibi dicaré,

quo huius offic ij rudes atque tyrones ad illud commodè præſtandum inſtitueres. Quod eò libentius fecimus, quoniam D. Auguſt. bene dicendi artem, ſepoſito ad hoc idoneo tempore, in adoleſcẽtia diſcẽdam eſſe monet. Quam quidem eò facilius alumni tui aſſequentur, quò plenius à te Dialecticis & Philoſophis diſciplinis inſtituti ſunt. Ab his enim fontibus eloquentiæ laudem manare, parẽs ipſius eloquentiæ Cicero in his libris, quos de Oratore inſcripſit, ſub perſona Lucij Craſſi luculenter probat. Vt igitur hanc bene dicendi facultatem traderemus, neceſſe fuit præcepta aliquot ex Rhetorũ officinis colligere: vt huius quoque artis diſciplina, quemadmodũ & cæteræ, ſacrę Theologiæ, & diuini verbi miniſterio deſeruiret. De quatuor igitur præcipuis eloquentiæ partibus, nempe, Inuentione, Diſpoſitione, Elocutione, atque omniũ potiſſima Pronunciatione (quam etiam Actionem vocãt) in his libris diſſerimus. Et quidem de Pronunciatione, ſi non meliora, quàm alij, certè plura ſcripſimus quòd citra illius opem cætera omnia, quamlibet eximia, frigeant, & langueant, atque adeò mortua ſint. Quid enim tam acre aut magnificum eſſe poteſt, quod nõ

Aug. lib. 4. de do. ctr. Chriſt.

iaceat, ſi id remiſſa aut languida voce & geſtu pronunciaueris? Inuentioni autem (quæ probandi & amplificandi materiã continet) tum communes locos, tum etiã priuatos & ſingulares aſſignauimus. Cõmunes autem locos, vnde ad quæſtiones omnes argumenta promũtur, Dialectici in libris Topicorum diligenter tradunt. De his igitur parcius loquuti ſumus: quoniam eorũ cognitio à Dialecticis petẽda. De quibus breuiter atque dilucidè paucis antehac diebus ſcripſit in Dialecticis inſtitutionibus R.P. Petrus à Fonſeca; qui etiam cõmodiſſimis exemplis ex ſacris literis deſumptis (quod ad noſtrum pertinet inſtitutum) præcepta artis illuſtrauit. Ad cuius opuſculum ſtudioſum Concionatorẽ remittimus. Cæterùm de ſingularibus locis, qui à priuatarum perſonarum & rerum circunſtantiis ſumuntur (qui peculiariter ad oratórẽ pertinent, & magnã vim ad probandum & amplificandũ habent) copioſius ſcribẽdum eſſe duximus. Vt autem quanta ſit circunſtantiarum vis ad res amplificandas, cõcionator intelligat, duo inſignia D. Chryſoſt. exẽpla, quę properanti mihi, cùm ad hunc circunſtãtiarum locum veniſſem, exciderunt, hoc in loco attexere libuit. Is igitur illã Da-

mini prædictionem, qua mulieris, caput ipſius vngentis, memoriam per totum orbem celebrãdam eſſe dixit, ex omnibus circunſtantiis hoc modo amplificat. In omnibus, inquit, eccleſiis appellari mulierem audimus. Sunt cõſules, duces, viri, mulieres, nobiles, in omnibus vrbibus, & in quaſcunque orbis partes deueneris, ſummo cum ſilentio audiũt omnes huius mulieris officium. Sũt reginæ, primariæque fœminæ, quæ innumerabilia benefacta contulerunt in eos, quibus imperabãt: quę ne de nomine quidẽ vlli notę sũt. Hæc autẽ abiecta mulier, quæ ſolùm effudit vnguentum, toto terrarum orbe decantatur. Ne temporis quidẽ tã immenſa longitudo memoriam illius vel extinxit, vel extinguet vnquam: idque cùm factũ ipſum nõ eſſet inſigne. quid enim magni erat, vnguentũ effundere? neque perſona eſſet celebris. Erat enim mulier abiecta: neque multi teſtes aderãt. Nã inter diſcipulos res eſt geſta: neque locus nobilis: neque enim hoc faciebat per theatrum tranſiens, ſed in domo decem duntaxat hominibus præſentibus. Attamen neque perſonæ vilitas, neque teſtium paucitas, neque vlla res alia potuit illius abolere memoriã. Quin potius reginis omnibus

Homil. 1 contra Iudæos.

ac regibus vniuerſis celebrior eſt nunc hæc mulier:nec vlla ætas obliuioni tradidit,quod factum eſt.Hactenus Chryſoſt. qui huiuſmodi circunſtantiis excutiẽdis vt frequentiſſimus , ita mirus artifex eſt. Sed cõmodiſſimum amplificationis huius exemplum extat apud eundem : quo mundi conuerſionẽ opera atque doctrina Pauli perfectam inter maxima miracula cõputat : rem videlicet ex omnibus circunſtantiis amplificans , maximeque mirabilẽ faciẽs.Sic igitur ait: Quomodo, inquit,Paulus cum illa arte viliſſima tantam potuit inſpirare virtutẽ, quãtam ipſe rerum teſtatur effectus? Homo etenim ignobilis,abiectus,& circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus,in tantũ virtute progreſſus eſt,vt vix triginta annorũ ſpacio & Romanos,& Perſas,& Parthos, & Medos,& Indos,& Scythas,& Aethiopes,& Sauromatas,& Saracenos, & omne prorſus humanũ genus ſub iugũ mitteret veritatis. Reſponde igitur,vnde iſte opifex vilis,ac publicus,ſtans in loco artis ſuæ , ac ſcaſellum in manu gerens,ita vt ipſe philoſophatus ſit,& alios docuerit philoſophari:gentes ſcilicet,vrbes,atque regiones : nec vim in ſe ſermonis oſtendens? Audi enim ipſum loquentem. Et ſi

Homil. 4 de laud. Pauli.

imperitus ſermone : nec pecunias poſſidens: nam hoc quoq; ipſe teſtatur: Vſque ad hanc, inquit, horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cedimur. Et quid dico pecunias; cùm ille ſæpè neceſſarium quidem non haberet cibum, nec quo ſe circundaret indumentum. Quòd verò nec de profeſſione clarus fuerit, ipſius diſcipulus oſtendit, dicens: Quoniã manebat apud Aquilam & Priſcillam, propterea, quòd eiuſdẽ artis eſſet. Erant enim ſcenofactoriæ artis. Nõ igitur à proauis nobilis, quippe qui tam vilis fuiſſe artis oſtenditur: non à patria, non à gente: tamen progreſſus in medium, ac tãtummodo apparens, inimicorum cũcta turbauit, vniuerſa confudit: & ſicut in ſtipulas, aut in fœnũ ignis immiſſus, omnia dæmonũ opera cõſumpſit, atque in quicquid voluit, omnia conuertit. At nobilis & eruditus erat fortè perſuaſor. Nec iſtud quidem: nam hoc quoque ipſe confirmauit, dicẽs: Et ego veni ad vos, nõ in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annunciãs vobis teſtimoniũ Chriſti. Non enim iudicaui, me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽtiæ verbis:

ſed cauſa nimirũ ipſa prędicationis erat idonea, quæ ad ſe pertraheret audientes. Accipe quid etiam ſuper hac re ipſe pronunciet: Quoniam, inquit, Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixũ, Iudæis quidem ſcandalum, Græcis autẽ ſtultitiam. Sed ſecuritate ac libertate perfunctus eſt. At omnino à periculis nunquam reſpirauit: Et ego, inquit, in infirmitate, ac timore, & tremore multo fui apud vos. Cùm igitur prædicator, & imperitus, cùm etiam pauper eſſem, & prorſus ignobilis: & quod prædicabatur, non modò commendatione ſui eſſet vacuum, verùm etiam offenſione pleniſſimum, & auditores ipſi inopes, imbecilles, atque omnino nulli, & pericula tam crebra, tam varia nõ doctoribus ſolùm, ſed etiã diſcipulis imminerent, & crucifixus eſſet, qui annunciabatur adorandus: non ſatis liquet, hoc tantum opus non humana, ſed diuina fuiſſe virtute perfectum? Hactenus Chryſoſt. quem eius locum quoniam mirè amplificandi rationem, quæ præcipua concionatoris virtus eſt, & circunſtantiarum vſum docet, hic adſcribere libuit: vt quem ex eis commodè tractatis fructum Eccleſiaſtes colligere poſſet,

apertè monſtrarem. Accipe igitur inclyta mater munuſculum hoc noſtrum, quo filios tuos ad diuini verbi miniſterium imbuas : in cuius pia & fideli tractatione magna ſalutis humanæ portio ſita eſt. Cuius rei periculum iam feciſti, dum multos filiorum tuorum magiſterij dignitate laureatos per varia huius Diœceſis loca ſpargis, qui ſalutaris doctrinę ſemine eccleſiarũ arua fœcundant. Iam enim illud Eccleſiaſtici tibi iure & meritò conuenit: Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus. Illud autem diligentiſſimè curato, vt aſſiduis precibus à Deo contendas, vt Parentem atque altorem tuum quàm diutiſſimè ſeruet incolumem, qui tam multa in te munera contulit, & multa item collaturus eſt : vt tandem partibus omnibus integram & abſolutam, cùm hinc ad ſuperos deceſſerit, te relinquat, videatque filios filiorum ſuorum, & Eccleſiam ſuam opera atque doctrinà eorũ virtutibus cunctis egregriè ornatam & ſtabilitam. Vale.

IN LIBRVM ECCLESIASTICÆ RHETORICÆ, SIVE DE Concionandi ratione.

PRÆFATIO.

CVM per hoſce annos decem, candide Lector, multis laboribus ac vigiliis concionibus ſcribendis operam dediſſem, iamque, diuini numinis beneficio opus eſſet ad calcem ferè perductum, cœpi mecum attentius cogitare, quemnam fructum ex hoc tam diuturno & pertinaci labore referre poſſem, ac illa penè Salomonis verba cum animo meo verſare: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Cùm enim hoc mihi propoſitum eſſet, vt opera ac diligentia mea Domini mei gloriam & animarum ſalutem his meis concionibus aliqua ſaltem ratione promouerem, intellexi tandem hunc meum laborem parum vtilitatis eſſe allaturum. Cuius rei cauſam minimè ſilentio prætereundam duxi. Conſtat enim tria eſſe præcipua egregii Concionatoris officia: nempe inuenire, eloqui & pronunciare. Ad inuentionem autem pertinet, vt inſignes & præclaras ſententias, eaſque inſtituto ſuo accommodatas inueniat. Sic enim aptè dicet: quæ præcipua inuentionis virtus eſt. Ad elocutionem verò ſpectat, vt vim omnem eius ſententiæ, quam inuenerit, commodè explicet, & animi ſui ſenſus ita verbis efferat, vt quicquid ipſe conceperit, in auditorum animos loquendo transfundat. Ad pronunciationem verò pertinet, vt vocem, geſtum, vultum rebus ipſis quas dicit, aptiſſimè accommodet. Et quidem ſententiarum inſigniũ inuentio (ſi rerum dignitatem ſpectes) præſtantiſſi-

ma eſt: cuius ſtudio vel tota optimi Concionatoris vita deſtinanda eſt. Semper enim inuentis aliquid addere curabit, vt iuxta Seruatoris ſententiam proferat de theſauro ſuo noua & vetera. Elocutio tamen & pronunciatio, ſi auditorum conditionem inſpicias, hoc eſt, imperitam multitudinem, (quæ res non pro illarum dignitate, ſed pro explicandi atque pronunciandi ratione cõcipit) priori loco habenda ſunt. Videmus enim rudes & imperitos auditores, ſiquid acriter & vehemẽter dixeris, vehementer etiã cõmoueri: eundẽque affectũ quem verbis, voce, atque vultu præferas, ſimili ratione concipere. Contra verò animaduertere licet multos Concionatores eruditione, rerum ſcientia, & ingenii acumine præſtantes, qui tamen ſi inculti, barbari, & rudes in eloquendo ſint, faſtidio auditoribus eſſe. Neque verò ſatis eſt eloqui, niſi facultas etiam rectè pronunciandi elocutioni adiũcta ſit. Multos enim videmus & rerum optimarum ſcientia, & eloquendi ratione inſignes: qui quoniam hac pronunciandi facultate carent, contemptui habentur: præſertim ſi eis vel rauca, vel exilis, vel anguſta, vel aſpera, vel ingrata vox ſit, parumque flexibilis, & perperam rebus, quæ dicuntur, accommodata. Itaque attentius mihi harum rerum naturam conſideranti apparet, quod quemadmodum Philoſophi duas materiæ formas tribuunt, alteram, quæ illi præbet eſſentiam; alteram, quæ exiſtentiam (quam vltimam rei perfectionem eſſe aſtruunt) ita ſanè apparet, inuentionem quidem materiæ, elocutionem verò prioris formæ, pronunciationem autem poſterioris loco habendam eſſe. Conſtat enim rudem & indigeſtam inuentionem elocutione quidem expoliri atque ornari: pronunciatione verò veluti ſuam quandam faciem & vultum induere, quem auditorum mentibus affigit & repræſentat. Cùm autem omnibus in rebus potior

forma habeatur, quàm materia, quæ formam recipit, demiror Concionatorũ multos, cùm tantum olei atque operæ inuentioni (quæ inſtar materiæ eſt) impendant, nullam ferè elocutionis aut pronunciationis rationem habere, cùm ſine his formis præclara etiam inuenta, facilè ab imperita multitudine contemnantur.

Cùm igitur (vt ad inſtitutum redeam) melius hic labor, vt feliciſſimè cederet (quod vix ſperare poſſum) ad ſolam rerum inuentionem pertineat (quæ, niſi accedat etiã eloquendi & pronunciandi ratio, parum vtilitatis eſſet allatura) adieci animum, & pro ingenioli mei facultate de eloquendi quoque & pronunciandi ratione aliquid ſcriberem: ne in hac parte adeò neceſſaria, concionatorum ſtudijs & vtilitati deeſſem, fruſtraque tantum in ſcribendis concionibus laborem inſumpſiſſem. Diuina igitur ope nixus, aliquid ſupra vires meas, ſtudio magis iuuandi, quàm fiducia ingenij fretus, aggreſſus ſum. Itaque per oratoriæ artis præcepta (quæ adoleſcens attigeram) oculos circunducens, ea, quæ ad munus hoc cumprimis neceſſaria eſſe videbantur, excerpere decreui. Vt enim Orator à Dialectico propter eius artis cognationem multa ſumit (cùm ſinis vtriuſque ſit fidem dicendo facere) ita multum etiam inter concionandi & orandi munus affinitatis eſt: cùm & concionator, quemadmodum & orator perſuadere ſtudeat, & vterque non in ſcholis apud eruditos, ſed in concione apud populum dicat: qui non ſolum rationibus euincendus, ſed affectibus etiam commouendus, variiſque dicendi figuris & orationis ſplendore alliciendus eſt. Ex horum igitur officina nonnulla officio noſtro accommodata delibaui: quæ quantum inſtituta libelli huius breuitas patitur, ſanctorum Patrum exẽplis illuſtranda curaui. Quia enim Rhetores totum hoc dicendi artificium ad ciuiles

controuerſias accommodârunt, exempla quoque ad id pertinentia poſuerunt, quæ parum inſtituto noſtro conueniunt. Equidem voluiſſem, vt non modò exempla, ſed etiam præcepta ipſa ad ſolam concionandi facultatem pertinerent, neque quicquam in hoc opere eſſet, quod Gentilium litteras redoleret. Quia tamen tota hæc diſciplina ex Rhetorum fontibus hauſta eſt, qui eam ad iudiciales cauſas tractandas excogitârũt, fieri non potuit, quin & dicendi præcepta, & exempla, quæ ad inſtitutum noſtrum minus pertinere videbantur, huic operi admixta fuerint. Quæ tamen non prorſus otioſa erunt: quandoquidẽ facilè ex ſimilibus ſimilia intelliguntur. Erit fortaſſe alius, cui plus otii ſuppetat: qui quod nos primũ cœpimus (vt facilè eſt inuẽtis quadã adiicere) multò plenius atq; felicius hoc opus abſoluat: & Rhetoricam ipſam (vt ita dixerim) ex omni parte Chriſtianam nobis efficiat. Ex ſacris autem litteris, ac præcipuè ex Prophetarum libris nonnulla exempla deprompſi. Fuerunt enim Prophetæ cæleſtes concionatores à Deo ad homines erudiendos, & corruptos eorum mores caſtigandos deſtinati: qui tamen ſine arte artificioſiſſimè, hoc eſt eloquentiſſimè dixerunt: vtpote qui non ſpiritu Rhetorico, ſed Spiritu ſancto afflati locuti ſunt. Cuius cùm perfecta ſint opera, eoſdem quoque perfectiſſimo docendi atque dicendi munere donauit. Is enim, qui continet omnia, ſcientiam quoque habet vocis, linguaſque infantium diſertas facit. Cuius rei cum innumera pene proferre exempla poſſem, priora quindecim Hieremiæ capita pio Concionatori ſpectanda propono. In quibus diuinus hic orator tanta vi dicendi fertur, tot figuris orationis, tot affectibus, tot metaphoris atque aliis id genus tropus redundat, tantaque dicendi acrimonia ardet, totque ſubinde perſonas

induit, & in tot vultus atque figuras orationem fle-ctit, vt neque Pericles, qui fulgurare & permiſcere Græciam dictus eſt, cum hoc diuino oratore vlla ratione ſit comparandus. Cuius ſpiritum & affectum, diuinæ gloriæ ſtudio flagrantem, vtinam concionatores omnes exprimere atque imitari contenderent. Simili quoque orationis impetu pluribus in locis ſeſe Ezechiel Propheta effert: præſertim cum Iudæorum peccata corripit, & cum perfidi & ingrati animi crimen illis impingit: quod mira dicendi copia cap. 16. facit. Idem argumentum ſimili magniloquentia, & verborum amplitudine atque affectibus perſequitur Moſes in ſublimi illo Cantico, cuius initium eſt, Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.

Quod autem præcepta quæ ſcribimus, multis interdum exemplis oneramus, id quidem non temerè à nobis factum eſt. Neque enim pueris, qui Rhetorum cura & magiſterio inſtituuntur, ſed concionatoribus ſcribimus, quibus exempla magiſtri vice futura ſunt: vtpote quæ præcepta ipſa aptiſſimè declarant, Cum enim hæc dicendi facultas (vt Rhetoribus placet) conſtet arte, imitatione, & exercitatione, exempla quidem imitationis vice ſunt, ad quorum normam orationem noſtram formare debemus. Nos tamen hac etiam re ſtudioſo Lectori gratificari volentes, ea potiſſimum exempla delegimus, quæ eſſent grauibus referta ſententiis: vt etiam ſi artis exempla non eſſent, digna tamen eſſent, quæ legerentur. In quibus tamen afferendis cum nihil ex noſtro adiecerimus, nonnulla tamen quæ minus neceſſaria videbantur ſubtraximus, ne nimia longitudine lectori faſtidiū pareremus.

Cæterùm vt quem ordinem in hoc opere ſecuti ſumus concionator intelligat, animaduertendum eſt, quinque præcipuas Oratoris partes eſſe, nempè inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam,

& pronunciationem. Ex *his autem partibus memoriam ab arte ſecernimus, quòd ea natura magis quam arte conſtare videatur. Hac verò parte ſublata, aliarum rationem tradere inſtituimus. Quamuis enim hunc laborem propter elocutionis & pronunciationis neceſſitatem præcipuè ſuſceperimus, tamen de reliquis duabus nempe inuentione, & diſpoſitione ea præcepta tradere voluimus, quæ non ad ciuiles controuerſias (quod Rhetores faciunt) ſed ad concionandi munus commodiora videbantur. Sed prius tamen, quàm hæc ipſa attingamus, de Rhetoricæ artis origine, vtilitate, & neceſſitate, deque eius artifice Eccleſiaſte, hoc eſt, de eius ſtudiis, moribus, & officii dignitate ante omnia dicendum fuit. Cui quidē argumento primus ſanè liber deſeruit; ſecundus probandi atque argumentandi rationem continet: tertius amplificandi, & affectus concitandi præcepta tradit: quartus varia concionum genera, variòſque concionandi modos, partiumque concionis rationem ordinemque deſcribit: quintus elocutionem: ſextus verò pronunciandi rationem, & nonnulla ad bene dicendum documenta præbet. His igitur ſex libris totum hoc dicendi artificium abſoluimus.*

Quamuis autem in prioribus libris ea, quæ ad inuentionis rationem (quam primam inter quinque artis huius partes eſſe diximus) diſſeramus, tamen quia elocutio adeò cum inuentione cohæret, & connexa eſt, vt vix ab ea diuelli poſſit, multa etiam, quæ ad declarationis artem pertinebant, illi adiungenda putauimus, vbi hoc ipſum rerum natura atque cognatio exigere videbatur. Hæc ſtudioſum Concionatorem ante huius operis initium admonenda indicauimus, vt conſilii noſtri rationem, quam in eo ſecuti ſumus, planam illi faceremus.

DE RHETORICÆ ARTIS origine.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT PRIMVM.

SVMMVS ille rerum omnium cõditor & moderator Deus, qui omnia fecit in numero, pondere, & menſura, ſic naturam humanam inſtituit, vt in ea & diſciplinarum omnium, & virtutũ ſemina animis noſtris ingeneraret: quæ nos poſtea partim diuina ope, partim induſtria atque labore noſtro adiuti, excoleremus, & ad ſuum finem perduceremus. Atque vt religionis cæterarumque virtutum moralium officia omittamus (quarum in mentibus noſtris ſemina cum ipſa natura orta ſunt) quid tam proprium rationali creaturæ, quàm ratiocinari, ac diſputare, & fidem dicendo facere? Ipſa tamen ratio atque diſciplina ratiocinandi atque argumentandi artem excogitauit, & varia præcepta inuenit: quibus quod naturæ inſtinctu atque beneficio ſine doctore agimus, arte atque doctrina accuratius ageremus. Nec hoc ſolùm in diſciplinarum atque virtutum ſtudio, ſed in cæteris quo-

que actibus, quæ ad corporis cultum pertinent, locum habet: initio namque mundi homines neceſſitate vrgente atque docente, cementariorum, fabrorum, & ſarcinatorum officijs fungebantur: poſtea tamen ſtudio atque diligentia, harum rerum artes inuentæ ſunt, quibus hæc ipſa, quæ tunc natura ſola docente, minus perfectè fiebant, longè perfectius & exactius fierent. Vnde illa ab omnibus recepta ſententia manauit, arte perfici & conſummari naturam: illa enim initium peperit, hæc verò conſummationem & veluti formam rebus addidit, extremamque illis manum appoſuit. Quocirca veriſſima illa Fabij ſententia putanda eſt, qua nihil licet eſſe perfectum, niſi vbi natura cura iuuetur. Cùm igitur perſuadere, & fidem contradicentibus & reluctantibus dicendo facere, & in ſuam ſententiam adducere, rudes etiam homines natura docente faciant, ars etiam dicendi à ſapientiſſimis hominibus excogitata eſt, qua id abſolutiùs & commodiùs fieri poſſet. Cùm enim hoc rudes & indocti homines imperfectè & indecorè faciant, alij autem peracuto ingenio & doctrina ſingulari præditi, ornatiſſimè, & appoſitiſſimè, & cum quadam dignitate faciant, vtrorumque dicendi rationem primi huius artis inuentores diligentiſſimè obſeruarunt, & hac obſeruatione, benedicendi artem excogitarũt. Nam & qui præclarè à natura ad dicendum inſtructi ſunt, & qui peſſimè etiam dicunt, non vulgarem huiuſmodi obſeruationibus materiam præbent. Ex illis enim virtutes, quas imitari: ex his verò vitia, quæ fugere debeamus, auditor minimè ſtupidus colligere poterit. Vnde non ineleganter diſertiſſimus quidam concionator, rudem huius officij tyronem de ratione rectè concionandi in-

terrogantem, ad peſſimum quendam concionatorem audiendum remiſit, & modũ, quo ille concionabatur, diligenter annotare præcepit, nihilque prorſus eorum quæ ille geſſiſſet agere conſuluit: atque ita demum fieri poſſe, vt præclarus dicendi artifex euaderet, ſi omnia illius vitia ſtudioſè caueret. Hac autem ratione primi oratoriæ artis ſcriptores dicendi peritos & imperitos audiendo, artis præcepta inuenerunt. Hoc autem ante Ciceronem eloquentiæ parentem cumulatiſſimè præſtitit Ariſtoteles. De quo ſic idem Cicero ait: Veteres quidem ſcriptores artis vſque à principe illo atque inuentore Lyſia repetitos, vnum in locum conduxit Ariſtoteles, & nominatim cuiuſque præcepta magna conquiſita cura perſpicuè conſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit, ac tantum inuentoribus ipſis ſuauitate & breuitate dicendi præſtitit, vt nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat: ſed omnes qui quod illi præcipiant velint intelligere, ad hunc, quaſi ad quendam multò commodiorem explicatorem reuertantur. Atque hic quidem ipſe, & ſeſe ipſum nobis, & eos qui ante ſe fuerant, in medio poſuit: vt cæteros & ſeipſum per ſe cognoſceremus. Ab hoc autem qui profecti ſunt, quanquam in maximis Philoſophiæ partibus operæ plurimum conſumpſerunt (ſicut & ipſe, cuius inſtituta ſequebatur, fecerat) tamen per multa nobis præcepta dicendi reliquerunt. Atque alij quoque alio ex fonte præceptores dicendi emanarunt, qui item permultum ad dicendum, ſi quid ars proficit, opitulati ſunt. Hactenus Cicero.

Cic lib. 2. Rhet.

De Rhetoricæ artis utilitate & neceſsitate.

Cap. II.

EX his autem quæ diximus, ſatis liquet, eos, qui ad populum concionantur, plurimum Rhetoricæ artis adminiculo iuuari poſſe. Cùm autem aliarum artium ſtudia ad pleniorem ſacræ Theologiæ intelligentiam neceſſaria eſſe credamus, cur non etiam benedicendi artem ad concionandi officium felicius tractandum arripiamus? Conſtat enim Theologos noſtros iam pridem vocaſſe ancillas ad arcem, hoc eſt, philoſophiam omnem, rationalem, naturalem, ac mortalem ad ſacræ Theologiæ obſequium & ſtabilimentum attuliſſe. Gloriatur & noſtro ſæculo Hieronymus Vidas poëta clariſſimus, quòd ſordidas Gentilium poëtarum muſas ad Iordanem fluuium adduxerit, eáſque ab omni ſpurcitia, quam à Gentilium Poëtis traxerunt, vndis Iordanicis expurgaſſe, & Euangelicæ hiſtoriæ, Diuorumque laudibus celebrandis conſecraſſe. Quæ cùm ita ſint, cur quæſo Rhetoricen, hoc eſt, bene dicendi artem ab Ariſtotele ſcientiarum omnium antiſtite, cæteriſque ſapientiſſimis viris ſummo conſilio excogitatam, multiſque poſterorum acceſſionibus auctam & locupletatam, non ad concionandi officium accommodabimus? Si enim in Philoſophiæ & Theologię ſtudiis atque diſputationibus verſantur, Dialecticam artem prius ſibi comparant, cuius præceptis inſtructi, & argumentari, & argumentis reſpondere, & fidem dicendo facere commodius poſſint: non minus Rhetorica perdiſcenda eſt,

qua populo quæ volumus, ſuadere poſſimus, hoc eſt, non modo ita dicere, vt vera eſſe quæ dicimus, credat: ſed (quod eſt difficilius) vt quæ vera & honeſta crediderit, exequatur. Quocirca ſi nemo in Philoſophicis & Theologicis diſputationibus cum laude verſari poterit, niſi diſputandi arte inſtructus ſit: ita vix quiſquam niſi vel diuino ſpiritu afflatus (quod Prophetis & Apoſtolis contigit) vel feliciſſimo ingenio & ad dicendum appoſito natus ſit (quod rariſſimis contigit) ſine huius artis præſidio felix eſſe in concionando poterit: vel certè multò ornatius atque commodius munus hoc adminiſtrabit, quiſquis diligenti huius artis ſtudio fuerit adiutus. Quocirca non immeritò multorum concionatorum accuſanda negligentia eſt, qui ſine huius artis pręſidio ad hoc officium accinguntur. Vehementer enim indignum eſſe iudico, pulcherrimum hoc munus, maximeque in Eccleſia neceſſarium, omniumque difficillimum, abſque vlla inſtitutione, & dicendi ratione tractari: cùm ne artes quidem ſedentaria, niſi præuia inſtitutione atque diſciplina exerceri commodè valeant. Quod quidem in cauſa eſſe puto, vt inter tam multos concionatóres, quibus templa vbique perſonant, vix vnus aut alter inueniatur, qui aptè, copioſè atque ornatè dicat: multoque pauciores, qui improbos homines ad veteris vitæ pœnitentiam, & virtutis ſtudium dicendo traducant.

Quia verò huius ego rei parum idoneus teſtis ſum, nonnulla clariſſimorum autorum exempla in medium proferam: atque in primis grauiſſimi Philoſophorum omnium Plutarchi: qui de hac dicendi facultate in Politica ſic ait: Non rhetoricam ſuadendi opificem, ſed adiutricem eſſe de- *Plutarch.*

bemus exiſtimare. Qua ratione illud eſt corrigendum Menandri: Mores dicentis ſunt, qui perſuadent, non oratio. Re enim vera vtrũque eſt, quod rem efficit: mores nimirũ atque oratio: niſi quiſquam dicere velit, nauem à gubernatore duntaxat dirigi, non à clauo quoque & equitem eſſe, qui equum in giros verſet, non etiam frænum: item ciuitatem quoque oratorum vita & moribus regi, non & oratione: nempe qua veluti gubernaculis ac fræno vtantur, quibus maximè verſatile animal homo (vt Plato inquit) tanquam è puppi regatur atque verſetur. Homo certè priuatus de veſte atque habitu populari ciuitatem regere, multitudinis moribus modum facere nunquam poterit, ni oratione & eloquentia præditus ſit, qua vna ſuadeat, afficiat, flectat, ducátque multitudinem. Lupum quidem aiunt auribus teneri non poſſe: populum autem inde maximè duci oportet. Hactenus Plutarchus. Hanc autem aptæ orationis vim atque potentiam appoſitiſſima ſimilitudine declarat Demetrius Phalereus, armis eam & ferro comparans. Quantum enim in bello valeret ferrum, tantum dicebant in Rep. valere orationem. Illic enim res geritur viribus, hic perſuaſione. Hinc Pyrrhus Epirotarum rex dicere ſolebat, plures vrbes additas ſuo imperio oratione Cyneæ oratoris ac legati, quàm ſuis armis, vt Valerius Max. author eſt.

Demet.

Val. Max.

I.

Sed inter has tamen inſignium virorum laudes, adijciam quid de huius artis vtilitate atque præſtantia diſertiſſimus Rhetorum Fabius dicat: Primum enim quorundam orationem commemorat, qui hanc artem maledictis inceſſebant, deinde verò eius defenſionem & inſignem vtili-

Fab. lib. 2.

tatem & dignitatem exponit his verbis: Sequitur quæſtio, an vtilis Rhetorice: nam quidā vehementer in eam inuehi ſolent, & quod ſit indignisſimum, in accuſationem orationis vtuntur orandi viribus: Eloquentiam eſſe quæ pœnis eripiat ſceleſtos, cuius fraude damnentur interim boni, conſilia ducantur in peius: nec ſeditiones modò turbæque populares, ſed bella etiam inexpiabilia excitentur. Quo nomine & Lacedæmoniorum ciuitate expulſam fuiſſe aiunt, & Athenis quoque (vbi actor mouere affectus vetabatur) quaſi reciſam orandi poteſtatem. Huic igitur calumniæ ſic Fabius reſpondet: Hoc ſanè modo, inquit, nec duces erunt vtiles, nec magiſtratus, nec medicina, nec denique ipſa ſapientia: cùm in his qui Philoſophorum nomine valè vtuntur, prauiſſima nonnunquam flagitia deprehēſa ſint. Cibos aſpernemur, attulerunt ſæpè valetudinis cauſas: nunquam tecta ſubeamus, ſuper habitantes aliquando procumbunt: non fabricetur militi gladius, poteſt vti eodem ferro latro. Quis neſcit ignes, aquas, ſine quibus nulla ſit vita, & (ne terrenis immorer) Solem, Lunāque pręcipua ſyderū, aliquando etiam nocere? Nónne perterritos militum animos frequenter à metu reuocat oratio? & tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem vita potiorē eſſe perſuadet? Nec verò Lacedæmonij, aut Athenienſes me magis mouerint, quàm populus Romanus, apud quem ſumma ſemper oratoribus dignitas fuit. Equidem nec vrbium conditores reor aliter effecturos fuiſſe, vt vaga illa multitudo coiret in populos, niſi docta voce commota: nec legum repertores ſine ſumma vi orandi conſequutos, vt ſe ipſi homines ad ſeruitutem iuris aſtringerent. Quin ipſa vitæ pre-

cepta, etiam ſi natura ſunt honeſta, plus tamen ad formandas mẽtes valent, quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare etiam ſi in vtranque partem valent arma facundiæ, non tamen eſt æquum id haberi malũ, quo bene vti licet. Verùm hæc apud eos forſitan quærantur, qui ſummam Rhetorices ad perſuadendi vim retulerunt. Si verò eſt bene dicendi ſcientia (quem nos finem ſequimur) vt ſit orator in primis vir bonus, vtilem certè eſſe eam confitendum eſt. Et hercle Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mũdi, nullo magis hominem ſeparauit à cæteris, quæ quidem mortalia eſſent, animalibus, quàm dicẽdi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate præſtantiora in illis mutis videmus, eadem minus egere acquiſitæ extrinſecus opis. Nam & ingredi citiùs, & paſci, & tranare aquas, citra docentem natura ipſa ſciũt. Et pleraque contra frigus ex ſuo corpore veſtiũtur, & arma his ingenita quædam, & ex obuio ferè victus, circa quæ omnia multus hominibus labor eſt. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, eiusque nos ſocios eſſe cum Dijs immortalibus voluit. Sed ipſa ratio neque tam nos iuuaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi quę concepiſſemus mẽte, promere etiam loquendo poſſemus: quod magis deeſſe cæteris animalibus, quàm intellectum & cogitationem quãdam videmus. Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere, quin etiam reponere in hyemem alimenta, & opera quædam nobis inimitabilia (qualia ſunt cerarum, ac mellis) efficere, nonnullius fortaſſe rationis eſt: ſed quia carent ſermone quæ id faciunt, muta atque irra-

rationabilia vocantur. Deniq; homines, quibus negata vox eſt, quantulum adiuuat animus ille cœleſtis? quare ſi nihil à Diis oratione melius accepimus, quid tam dignum eſſe cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus præſtare hominibus, quam quo ipſi homines cæteris animalibus præſtent: Nónne pulchrum vel hoc ipſum eſt, ex communi intellectu verbisque, quibus vtantur omnes, tantum aſſequi laudis & gloriæ, vt non loqui & orare', ſed quod Pericli contigit, fulgurare, ac tonare videaris? Hactenus Fab.

Quòd ſi quis hæc teſtimonia, quoniam Ethnicorum hominum ſunt, parui facienda putet, in Eccleſiæ columnas & clariſſima mundi lumina, nempe ſanctiſſimos Doctores Latinos pariter & Græcos oculos cõiiciat, videbitque nullam in eorum ſcriptis eloquentiæ partem defuiſſe. Qua de re Ioannes Ang. Epiſcopus Ciceſtrenſis in Eccleſiaſticæ hiſtoriæ præfatione, quam is modò latinam fecit, ſic ait: quid de veterum Græcorum ſcriptis ſtatuemus, qui & acutè ad veritatis diſquiſitionem, & copioſè ad mentes hominis flectendas ſacra Dei eloquia explicauerunt? Nemo enim opinor eſt adeò à ratione auerſus, qui non illis ſummam eloquentiam tribuat. Quis enim Chryſoſtomo, vel verbis diſertior, vel crebrior ſententiis, vel numeris & tota orationis circũſcriptione iunctior? Aureum flumẽ Ariſtotelẽ olim fudiſſe dixit Tullius: nos verò Chryſoſtomum ex aureo ore aureum & diuinum orationis flumen fundere meritò dicamus. Cuius verba adeò propria, leniterq; fluentia, vt nihil nitidius dulciusve: cuius ſententiæ adeò ſapientes, vt diuinitus ad eum delatæ, non humana indole inuentæ videantur: cuius ſtructura verbo-

Ioan. Ang.

rum ſit concluſa, vt non longo anfractu, qui parit obſcuritatem, ſed ambitu circunſcriptæ terminato incedat. Nihil in eo, quod non præſtantis eloquentiæ tanquam effigiem repræſentet. Quòd ſi ita aliena lingua loqueretur, vt loquitur ſua (quod vel vix, immò ne vix quidem fieri poteſt) tum vt iam paucis, ita tum pleriſq; omnibus eius diſerta oratio excitaret admirationem. quis Baſilio magno in polienda oratione exquiſitior, in amplificanda vberior, in toto dicendi artificio limatior? Cùm deterret à vitijs, nemo commotior: cùm ad virtutem incitat, nemo ardentior: cùm res ob oculos ponit, nemo, vt ita dicam, pictior. In eo & nerui ſunt ad conuincendum, & mira ad leniendum ſuauitas. In quancunque partem orationẽ ita facilè torquet, vt in rebus grauioribus altius in dicendo ſe tollat, & incitatiùs feratur, in tenuioribus leniter & placidè fluat & nonnihil de contentione remittat. Quem ſanè quidam vir eruditus non veritus eſt Chriſtianum Demoſthenẽ appellare. Quid Gregorium Nazianzenum hoc loco commemorem? quis aliquando pungit acutius, quis orationem arctius colligat? Quem in oratione ſoluta Thucydidis imitatorem, in carmine Homeri æmulum rectiſſimè dixeris. Nam in oratione breuis & compreſſus eſt. Verborum numerum (ſic Tullius de Thucydide) ſententiarum numero conſequitur. Non vagum in eo rationis genus, ſed cõſtrinctum numeris, non longius excurrens, ſed breui circuitu definitum apparet. Carmen plenum & grande fundit, ſententijs Chriſti locuples, verbis Homeri diſertum. Quare ſiue ſolutum orationis genus & liberum, ſiue (vt Poëtarum mos eſt) numeris paulo aſtrictiùs ſequitur,

Gregor. Naz.

ſemper magnus, ſemper in dicendo excellens videtur. Qua verò is auiditate ſtudijs eloquentiæ operam dederit, ipſe in oratione funebri ſuper Cæſarij fratris obitu explicat, cùm illum ait Philoſophiæ perdiſcendæ gratia Alexandriam petiuiſſe, ſe verò (vt eius verbis vtar) oratoriæ artis amore inflammatum in Palæſtinæ academijs tum florentiſſimis pedem fixiſſe. In cuius artis ſtudio tantum profecit, vt Lybanius Sophiſta clariſſimus ea tempeſtate eius artis profeſſor, à diſcipulis rogatus, quis illi dignus videretur, qui eius cathedram poſt mortem ſuſciperet, Gregorius, inquit, ille, niſi Chriſtianus eſſet. Erat enim idolorum cultor Lybanius. Hæc de Græcis ſcriptoribus.

Ex Latinis verò primum Hieronymum proferamus in medium, cuius tanta fuit in ſcribendo facultas, vt omnes propè eloquentiæ numeros expleuerit. Quando in aciem cum hæreticis prodit, nemo pugnacior, aut qui plus habeat lacertorum: quando reſpondet obtrectatoribus, nemo feruiuidior, nemo acrior: quando res geſtas narrat, nemo elegantior: quando funebrem orationem inſtituit, nemo ad conſolandum aptior, ad laudandum copioſior: quando familiariter cum amicis & neceſſarijs per literas colloquitur, nemo ſuauior, nemo comptior. Mirum eſt videre, quo pacto in tota oratione, paria paribus, contraria relata contrarijs, iam verba duplicata, iam iterata, iam breuiter commutata, ſententias perpulchrè illuminent. Aut igitur pellatur Hieronymus, aut laudetur à Chriſtianis eloquentia: ita tamen, vt inde nos non nobis ipſis falſas gloriæ vmbras, quæ de repentè euaneſcunt, aucupati, ſed ad Eccleſiæ exædificationem, & ad veram

Dei gloriam, cui omnis honos decuſque imper-tiendum eſt, eam perpetuò retuliſſe videamus. Hæc omnia ex Ioanne Angelo. Diuo autem Hieronymo beatiſſimus Martyr Cyprianus meritò copulandus eſt: cuius eloquentiam his verbis Lactantius Firmianus commendat. Vnus igitur præcipuus & clarus extitit Cyprianus, quoniam & magnam ſibi gloriam ex artis oratoriæ profeſſione quæſierat, & admodum multa conſcripſit in ſuo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuaui, & (quæ ſermonis maxima eſt virtus) aperto: vt diſcernere nequeas, vtrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit. Hactenus Lactantius. Eiuſdem verò Lactantij eloquentiam D. Hierony. vnicè miratur, ipſumque Tullianæ eloquentiæ flumen appellat. Qui initio ſtatim diuinarum inſtitutionum his verbis eloquentiæ facultatem commendat. Multum inquit, nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, vt nunc maiori copia & facultate dicendi cauſam veritatis peroremus: quæ licet poſſit ſine eloquẽtia defendi, vt eſt à multis ſæpè defenſa, tamẽ claritate ac nitore ſermonis illuſtranda, & quodammodò diſſerenda eſt: vt potẽtiùs in animo influat, & vis ſua, & inſtructa religione, & luce orationis ornata.

Lactãt. lib. 5. Diuin. inſtit.

II.

Sed ne quis nos exemplis ſolùm ſanctiſſimorum Patrum, non etiam ipſorum teſtimonijs eloquentiæ cauſam agere putet, vnum Auguſtinum in medium proferam, qui 4. de doctrina Chriſtiana lib. non ſolùm præcepta multa, quæ ad hanc artem pertinerent, tradidit, eaque multis exemplis illuſtrauit, ſed eam quoque cõmendat his verbis: Cùm per artem Rhetoricã & ve-

ra ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere, aduerſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem: vt videlicet illi, qui res falſas perſuadere conantur, nouerint auditorem vel beneuolum vel intentum, vel docilem prooemio facere, iſti autem non nouerint; illi falſa breuiter, apertè, veriſimiliter: & iſti vera ſic narrent, vt audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremò non libeat? illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem: iſti nec vera defendere, nec falſa audeant refutare? Illi animos audientium in errorem mouentes impellentesque dicendo terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter: iſti pro veritate lenti frigidique dormitent: quis ita deſipiat, vt hoc ſapiat? Cùm ergo ſit in medio poſita facultas eloquij, quæ ad perſuadenda ſeu praua, ſeu recta valeat plurimùm, cur non bonorum ſtudio comparatur, vt militet veritati, ſi eam mali, ad obtinendas peruerſas vanaſque cauſas, in vſus iniquitatis & erroris vſurpant? Sed quæcũque ſunt de hac re obſeruationes atque præcepta (vnde fit illa, quæ facundia vel eloquentia nominatur) ſepoſito ad hoc congruo temporis ſpatio, apta & conuenienti ætate diſcenda ſunt eis, qui hoc celeriter poſſunt. Nam & ipſos Romanę eloquentiæ principes non piguit dicere, quòd hanc artem, niſi quis citò poſſit, nunquam poſſit omnino perdiſcere. Hactenus Auguſt. Cuius tam illuſtri teſtimonio non ſolùm nouam hanc conſilii mei rationem tueri potero, ſed gratiam quoque apud huius officij ſtudioſos inire (apud eos præſertim, qui variis occupationibus diſtricti ſunt) quod eos duplici moleſtia liberauerim: altera, euoluendi varia & perplexa Rhetorum præ-

cepta, quæ illi magnis voluminibus tradiderũt: altera, eligendi ea potiſſimum, quæ inſtituto noſtro eſſent accommodata: cùm plurima illi ad ciuiles cõtrouerſias in foro & iudicio tractandas excogitauerint: quæ ad nos minimè pertinent.

III.

Simil. Si quis autem artis obſeruationem impedimento eſſe dicat, quò minus ex animo atque impetu diuini ſpiritus concitati dicere videamur, huic ego reſpondeo, quòd quemadmodum qui Latinã linguam ex Grammaticæ præceptis addiſcit, cùm primum loqui aut ſcribere incipit, mentem quidem ad artis leges & præcepta cõijcit, ne quid contra ea faciat: vbi verò longo vſu atq; exercitatione rectè loquendi rationem aſſequutus eſt, iam tum non, vt ante, præcepta conſulit, ſed ſola loquendi conſuetudine ductus, ex arte quidẽ, ſed ſine arte perfectè & inoffensè loquitur: ita hæc oratoriæ artis præcepta initio ardorem atque feruorem ſpiritus nonnihil refrigerabunt: vbi tamen ars dicendi conſuetudine in naturam quodammodo verſa eſt, egregij artifices ſic ex arte dicunt, quaſi ſola naturæ vi inſtructi dicerent. Hubitus enim ille multa exercitatione confirmatus (quem Philoſophi non multiplicem, ſed ſimplicem qualitatem eſſe dicunt) ſic in naturam vertitur, vt à natura ipſa inditus, non aliũdè aſcitus eſſe videatur. An quiſquam credat D. Chryſoſt. Baſilio, eiuſque fratri Gregorio Nyſſæno, & Cypriano (qui omnes & eloquentiſſimi fuerunt, & artificioſiſſimè dixerunt) impedimento artem fuiſſe, quò minus flagrantiſſimo ſtudio atque affectu Dei cauſam ágerent, & homines ab improbitate ad iuſtitiam reuocarent?

Cæterùm ne nihil ſit in hac parte, cui oratio noſtra non occurrat, illis quoque reſpondendum eſt, qui hoc præcipuè nomine eloquentiæ ſtudia negligunt, quòd Diuum Hieronymum ſciant diris plagis vapulaſſe, quòd Ciceronianus eſſet, non Chriſtianus. Quamuis autem idem D. Hieronymus ad Rufinum ſcribens hoc fuiſſe ſomniũ dicat, meritò tamen illum vapulaſſe confitemur, non quòd Ciceronianus eſſet, ſed quòd ita ſe Ciceronis ſtudio addixiſſet, vt ſacrarum litterarum ſtudiũ (quòd incultus illi ſermo horrorẽ pareret) prorſùs negligeret. Quàm multa enim ſunt in vita neceſſaria, quorũ tamen immodicus vſus noxius eſt? Quid enim magnis ad vitam tuẽdam quàm cibus, & potus, & vitalis calor, & ſanguis? Nihil tamẽ horum eſt, quod vbi modũ exceſſit, nõ vel perniciem, vel mortem afferat. Sic etiam & diuitias & honores appetere moderatè licet: quorum tamen immodicus amor, cum eò vſque hominem perducit, vt diuinas leges earũ cauſa violare non vereatur, nocentiſſimus eſt. Ad hunc ergo modum ſic aliquem Ciceronis lectioni incumbere, vt ſacrarum literarum ſtudia negligat, quis non meritò obiurgandum putet? Iure ergo D. Hieronym. hoc nomine vapulauit. Quòd verò nonnulli aduerſus eloquentiam illud Apoſtoli afferunt, quòd is non in ſapientia verbi, hoc eſt, nequaquam humanæ eloquentię aut Philoſophiæ diſciplinis inſtructus annũciauerit Chriſtum: idem huic accuſationi reſpondet, cũ protinus ſubdit, ne euacuetur crux Chriſti. Summa enim crucis Chriſti gloria extitit, quòd rudium piſcatorum opera atque doctrina (qui nullis terrenæ ſapientiæ diſciplinis inſtructi erant) Diaboli aras euerterit, Imperatorum

potentiam atque ſæuitiam fregerit, & mundum imperio ſuo ſubiugauerit. Ne igitur hæc tanta gloria aliqua ex parte obſcuraretur, non debuit vtique Chriſti fides inſignium Philoſophorum, aut clariſſimorũ oratorũ facundia propagari, ne hoc tantum opus magis terrenæ ſapientiæ, quàm omnipotentis Dei & crucis virtuti aſſcriberetur. Iam verò quòd quidam dicunt, infelices noſtri ſeculi hæreticos ſolius eloquentiæ armis Catholicam fidem impugnaſſe, hoc planè argumentum pro nobis eſt. Si enim tanta eloquentiæ vis eſt, vt impudentiſſima mendacia honeſtare dicendo poſſit, quanto magis veriſſima atque ſanctiſſima catholicæ fidei dogmata eadem dicendi vis tueri, & fraudes atque impietatem hæreticorum detegere poterit; cùm præſertim illi ea mente ſint, vt omnia quæ rudi atque impolita oratione aduerſus illorum blaphemias ſcribuntur, exſibilent, rideant, & ne lectione quidem digna putẽt? Hac enim de cauſa eloquentiæ ſtudia negligere, perinde eſt, ac ſi quis ferreis globis ſulphureo puluere iactis, vti nos minimè debere ſentiret, quòd his armis Turcarum Rex magnam Chriſtiani orbis partem ſub imperium atque ditionem ſuam ſubiunxerit. Hac enim de cauſa multò magis nos eiſdem aduerſus illum armis (quæ tantum habeant virium) pugnare debere certum eſt. Hæc de huius artis commendatione præmonenda eſſe duximus, partim vt quorundam obtrectationibus reſponderemus, partim etiam vt pius Eccleſiaſtes maiori ſe ſtudio & alacritate huic diſciplinæ traderet: quæ tantum illi opis ad munus ſuum feliciter exequendum præbere poteris. Nunc quoniam de artis commendatione ſatis dictum eſt, de artifice ipſo, nempe Eccleſiaſte, de

ſte, de eius ſtudiis, moribus, & officij dignitate atque facultate pauca prius tradenda ſunt, priuſquam ad ſingularia artis præcepta veniamus.

De concionandi officio, & inſigni eius dignitate.

Chap. III.

Vt autem Eccleſiaſtes ex his noſtris lucubrationibus: atque adeò ex toto concionandi munere ſibi aliisque ſalutaris eſſe queat, viſum eſt ante huius operis initium, documenta quædam præſcribere, quæ huius officij canditatis non parum vtilitatis allatura ſint. Interea verò, illud primum & omnium maximum ſit: vt Eccleſiaſtes ante omnia, huius officij dignitatem & maieſtatem penitus exploratam atque perſpectam habeat. Ea verò primùm intelligi poterit ex eorum dignitate, quibus hoc officium à Deo demandatum fuit: qui ſanctiſſimi Prophetæ, ac deinde Apoſtoli Prophetarum filij extitêre. Sed multò mirabilius eſt, quòd idem ipſe Prophetarum & Apoſtolorum Dominus in mundum venire, & per ſe munus hoc obire dignatus ſit. Multifariè enim, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſsimè diebus *Hebr.1* iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Hinc ipſe de ſe filius ait: Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. *Ioã. 19.* Et apud Eſaiam: Et erunt, inquit, *Eſai 30.* oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient vocem poſt tergum monentis. Hæc *Ioel. 2.* eſt via, ambulate in ea. Et apud Ioelem: Et filij, inquit, Sion, lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ. Ex quibus

locis, aliiſque, quæ longum eſſet recenſere, apertè liquet, quanta huius officij dignitas ſit: quando eius miniſtrum & principem, ipſum Dei Filium, Verbum & Sapientiam Patris extitiſſe cōfitemur. Cui deinde Apoſtoli ſucceſſerunt: qui primitias Spiritus accipientes, Eccleſiam doctrina ſua fundauerunt. Horum enim eſt illa vox:
2.Cor 5. Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Nec miniſtrorum modò dignitas, ſed miniſterij quoque finis, eius dignitatem apertè declarat. Finis autem eſt, diuinæ maieſtatis gloria, & pereuntium animarum ſalus: quas Euangelicus concionator ex teterrimis draconis faucibus ereptas, ad ſempiternæ felicitatis paſcua tranſmittit: & id perficere ſtudet, quod Chriſti Domini mors & ſanguis operatus eſt. Neque hoc ingens beneficium in vnum aut alterum hominem, ſed in omnes, ad quos vox eius peruenerit, conferre nititur. Itaque ſi ex fine, rei dignitatem, vt par eſt, metiamur, nihil hoc fine maius, aut ſublimius excogitari poteſt: vt illud etiam adiungam, quod in omnium ore verſatur: nempè, bonum quantò communius, tantò eſſe diuinius. At concionum fructus & vtilitas vt ad omnes homines quàm latiſſimè patet.

Certat autem cum officij dignitate magnitudo meriti. Sic enim ſpiritualium rerum naturam conditor inſtituit, vt quæ eſſent digniſſima & honeſtiſſima, parem cum dignitate vtilitatem & meritum haberent, ſi non in hac vita, certè in altera: quod in hoc officio videre licet, in quo diſcernere nequeas, maior ne vtilitas, an dignitas ſit: Quod paſſim ſacræ litteræ teſtantur. Hinc Ia-
Iacob.5. cob. Apoſt. Qui conuerterit, inquit, peccatorem

ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Et Dominus in Euangelio: Qui fecerit, inquit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Et Daniel Propheta: Qui, inquit, docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Hac verò de cauſa, eos Dominus ſal terræ, lucem mundi, lucernam ſuper candelabrum, & ciuitatem ſupra montem poſitam appellat. Denique ea eſt meriti & dignitatis magnitudo, huic miniſterio à Domino propoſita, vt quemadmodum Virginibus atque Martyribus aureola quædam (vt appellant) in cælis repoſita eſt (quæ in illis incorruptæ carnis virorem, in his verò inuictæ virtutis conſtantiam ſingulari quadam gloria remunerat) ita Doctoribus ſimilis aureola & corona in cælo parata eſt: propterea quòd non modò ipſi virtutis & iuſtitiæ propoſitum tenuerunt, ſed alios etiam ad ſimile virtutis ſtudiũ doctrinæ ſuæ miniſterio exercitarunt: quæ res inter clariſſimas Præcurſoris Domini laudes numeratur: quòd videlicet multos filiorum Iſraël ad Dominum eſſet doctrina ſua pertracturus.

Math. 5 *Dan. 12* *Math. 5.* *Luca 1.*

De huius muneris difficultate.

Capvt IIII.

Verùm, cùm ita natura comparatum ſit, vt nihil in rebus ſublime atque magnificum ſit, quod non etiam ſit arduũ atque difficile: tantum certè in hoc munere (ſi vtiliter & rectè tractari debeat) difficultatis, quantum dignitatis & vtilitatis eſt. Cùm enim præcipuum concionatoris

officium ſit, non modò pios doctrinæ pabulo ſuſtentare, ſed improbos etiam à ſceleribus & improbitate reuocare: & non modò currentibus calcar addere, ſed ad curſum iacentes atque dormientes incitare: atque poſtremò non modò viuentes in vita gratiæ doctrinæ miniſterio conſeruare, ſed mortuos etiam in peccato eodem miniſterio ad nouam vitam traducere, quid hoc ſtudio & conatu difficilius? Pugnat enim aduerſus hoc collapſæ naturæ vis & potentia: quæ communis peccati tabe infecta, procliuis in vitia eſt. Pugnat deprauata, ne dicam inueterata, multorũ conſuetudo: cuius tanta vis eſt, vt Seneca dicat: Ne vniuerſa quidem Philoſophia, etiam ſi in hoc omnes vires ſuas aduocet, duram iam & veterem ab animo extrahet peſtem. Quid hic mundum in maligno poſitum commemorem? Quid ſceleratorum hominum, inter quos neceſſariò viuendum eſt, contubernia, exempla, conſilia, iniurias, contumelias, fraudes, & ſubdolas adulationes referam? Quid antiqui ſerpentis vires, aſtus, inſidias, variaſque nocendi artes atque tentationes oratione recenſeam? An non ſatis conſtat verum eſſe, quod in libr. Iob ſcriptum eſt, Obſtetricante manu eius (nempe Dei) eductus eſt coluber tortuoſus? Quæ enim alia niſi omnipotentis Dei manus, ad tortuoſum hunc colubrum (qui caudæ ſuæ voluminibus improborum animas ſtringit) foris protrudendum, ſufficiens eſſe valeat? Dum enim fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, niſi fortior illo ſuperueniat, qui arma eius auferat, & ſpolia diſtribuat, dictu mirum eſt, quanta pace atrium ſuum cuſtodiat, & vinctos ſuos retineat. Ita enim omnes ſenſus atque aditus, per quos lumen aliquod illis afful-

Seneca in Epiſt.

Iob. 26.

Luc. 11.

gere poſſit, claudit & obſtruit, vt mirabili quadam & obſtruſa ratione videntes non videant, & audientes non audiant, nec intelligant. Neque verò exiguo nobis impedimento eſt vtriuſque fortunæ ſiue aduerſæ, ſiue ſecundæ conditio. Dum enim illa vehementer premit, nihil audiunt homines, niſi quod illorum inopiam & laborem leuare poſſit: quod filiis Iſraël in Ægypto oppreſſis euenit, qui Moyſis verba ex ore Domini, propter operum quibus premebantur anguſtiam, audire noluerunt. Vbi verò ſecundæ fortunæ aura ſpirare, & ad votum omnia fluere incipiunt, ſic humani cordis anguſtia ſucceſſibus impletur & intumeſcit, vt ad omnia ferè alia obſurdeſcat. Quam rem D. Auguſtinus & experimento didicit, & his verbis expoſuit. Ego cùm amatores ſeculi huius intueor, neſcio quando poſſit eſſe ad eorum animos ſanandos opportuna prædicatio: quando enim res huius mundi velut proſperas habent, faſtu ſuo reſpuunt ſalubres monitiones, & quaſi anilem reputant cantilenam: quando autem aduerſis anguntur, magis conantur euadere vnde ad præſens anguntur, quàm capere, vnde curentur. Sed vt multa breui oratione complectar, tam ingens & arduum opus eſt, hominem à peccati ſeruitute ad Dei obſequium reuocare, vt D. Greg. dicat: Si inuiſibilia penſamus, nimirum conſtat, quia maius eſt miraculum prædicationis & orationis ſolatio, peccatorem conuertere, quàm mortuum carne ſuſcitare. His igitur argumentis intelligere Eccleſiaſtes facilè poterit, quàm ingens prouincia ſibi demandata, quantumque onus humeris eius impoſitum ſit: quantoque ſtudio contendere debeat, non modò, vt parem huic difficultati ani- *Gregor.*

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

mum ſtudiumque adhibeat, ſed vt multò magis, qua ſe ergo Deum pietate, reuerentia, animique ſubmiſſione gerere debeat: vt diuina bonitas & prouidentia, quæ ferè inferiorum cauſarum miniſterio cuncta operatur, eo tanquam idoneo inſtrumento, ad hoc tantum opus vti velit. Hinc etiam intelliget, ſi non ſuam, ſed Domini ſui gloriam, & animarum ſalutem quærit, quantò magis negotium hoc orationibus, quàm ſermonibus: lachrymis, quàm litteris: lamentis, quàm verbis: & virtutum exemplis, quàm rhetorum præceptis vrgere debeat.

De puritate & rectitudine intentionis in Eccleſiaſte.

Cap. V.

Alia quoque non minor fortaſſe in hoc opere difficultas eſt, quæ non minus cœleſti ope indiget: nempe intentionis puritas & rectitudo, quam Eccleſiaſtes in huius muneris functione retinere debet: hoc eſt, vt ſui ſuorumque commodorum, atque honoris oblitus, in ſolam Domini ſui gloriam, & animarum ſalutem tota mente defixus ſit; illam ſolam intueatur, illam captet, illam cogitet, illam ſemper ob oculos habeat, nec vnquam ab illa ad ſe mentem cōuertat. Indigniſſimum enim eſt, cùm de ſummi conditoris gloria, & ſempiterna animarum ſiue vita, ſiue morte agitur, vt homo tantarum rerum momenta negligens, ſolam glorioſæ ſuæ rationem habeat, magisque hanc inanem rumuſculi popularis auram periclitari (ſi minus auditoribus gratia ſit eius oratio) quàm Dei gloriam, &

animarum ſalutem ſentiat. Quis verò adeò ſui amans, & Dei negligens erit, quem huius tantæ peruerſitatis & diuini contemptus non pudeat, ſi fortè hanc affectuum ſuorum prauitatem in pectore ſuo animaduertit? Armenia clariſſima fœmina (vt Franciſcus Senenſ. memorat) cùm à Cyri conuiuio domum rediens, Cyri pulchritudinem cunctis laudantibus, interrogata à viro fuiſſet, quid de Cyri dignitate ſentiret, reſpondit. A te, mi vir, oculos nunquam deflexi: itaque qualis alieni viri forma ſit, prorſus ignoro. Si igitur fœmina hæc nefas eſſe putabat, in alium, quamuis Regem, forma præſtantem, oculos conijcere, quantò deteſtabilius erit, cùm de Dei gloria, & ſumma hominum felicitate agitur, hac prorſus neglecta, de ſola gloriola ſua (quæ vmbra citius euaneſcit) ſolicitum eſſe? Cùm Heliſeus Propheta puero ſuo, quem cum baculo ad mortuum puerum mittebat, præcepiſſet, vt accinctis lumbis, quanta poſſet celeritate accurreret, nec illi reſalutandi, aut reſpondendi occurſantibus & ſalutantibus facultatem tribuiſſet; quid aliud quæſo innuere voluit, quàm eos, quibus hæc à Domino cura demandata eſt, vt mortuas in peccato animas, diuinæ ſeueritatis & iudicij baculo ante oculos poſito, ad iuſtitiæ viam reuocent, adeò in hoc tam præclarum & ingens munus intentos eſſe debere, vt omnium aliarum rerum vel neceſſarium obliti, hoc vnum agant, hoc vnum cogitent, in hoc vnum dies noctesque intenti ſint, nec vllius terrenæ rei commercio ab hoc ſtudio auocentur: quò videlicet muneris amplitudini, par quoque miniſtri cura & diligentia reſpondeat. Si enim pater aliquis, enitenti filiæ & ob difficultatem partus

4. Reg. 4.

Simile.

periclitanti ad medicum accerſendum properaret, num is hoc tempore populares ludos, aut ſimilia ludicra ſpectare, aut ad ea animum aduertere poſſet? Cùm igitur officij noſtri ſit, non periclitantia hominum corpora, ſed animas pretioſo Chriſti ſanguine redēptas, ad ipſis æternæ mortis faucibus eripere, & immortali vitæ reddere: quid eſſe magis præpoſterum atque deteſtandum poteſt, quàm hoc tāto munere fungentē ad inaniſſimæ gloriæ ſuæ fumū oculos conuertere?

Cæterùm, quamuis hoc adeò damnabile ſit, vt vix vllis verbis tantæ rei indignitas amplificari poſſit, difficillimum tamen eſt, in hanc foueam non incidere. Hæc enim intentionis puritas (quam ab Eccleſiaſte requirimus) potentiſſimū intra præcordia noſtra hoſtem ſibi aduerſantē, videlicet honoris & propriæ excellentiæ appetitum habet: qui in pleriſque hominibus adeò vehemens eſt, vt inſitus à natura vitæ amor, & carnalis commercij cupiditas (quam Theologi inter cæteros corruptæ naturæ affectus dominari dicunt) ac cæteræ deinde cupiditates huic honoris & gloriæ appetitiori cedant. Quā multos enim quotidie cernimus, vitā (qua nihil in rebus humanis homini charius eſt) in ſummū diſcrimē adducere: imò & mortē oppetere, ne vllam honoris iacturam patiantur? Quam multos, qui illibatū carnis pudorem, non tam diuini timoris, quàm humani dedecoris metu conſeruant? Nec verò multis, ad huius affectus vim atque tyrannidem explicandā opus eſt. Res geſtas omnium temporū homo ſibi ante oculos ponat, omnes orbis terrarum vaſtationes conſideret: & quæ bella Alexander Magnus, Iulius Cæſar, cæterique Romanorum, aliarumq; nationum Reges & Im-

peratores ſuſceperunt, & quotidianas item hominum pugnas inſpiciat: faciléque deprehendet, omnes ferè has flammas ab huius cupiditatis igne excitatas. Quòd ſi parum externis teſtimoniis credit, ſe ipſum introſpiciat, affectus ſuos ſcrutetur: & quantam vim hic morbus habeat, facilè deprehendet. Hæc autem generis humani tabes intentionis puritatem, quam ad hoc munus integrè obeundum requiri diximus, magnopere inficit. Hæc enim affectus tantò eſt vehementior, quantò eſt honor & gloria maior, & ad plures permanat. At eximij concionatoris gloria, non modò eius ciuitatis, in qua degit finibus continetur, ſed ad exteras etiam nationes & regna peruadit. Sic audimus, Romæ, aut Mediolani eſſe concionatorem quendã præſtantiſſimũ qui plurimũ dicendi facultate cæteros antecellat. Neque verò hæc corporis virium & fortitudinis fama eſt, qua à multis etiam brutis longè ſuperamur: nec diuitiarum & formæ gloria, quæ fluxa & fragilis eſt: ſed ingenij, dexteritatis, eloquentiæ, liberalis eruditionis, atque adeò probitatis, quæ in egregij concionatoris oratione elucere debet. Quæ quidem gloria quantò dignior atque præſtantior, tantò cupiditas noſtra gloriæ auida ardentius in eam rapitur & concitatur. quid verò de metu ignominiæ dicam, qui initio dicendi ita quorundam mentes obſidet, vt corporis etiam membra ſoluantur, & tremant genua dicturis, nec vlla ratione hunc à ſe metum excutere poſſint? Vnde autem hic adeò impotens affectus, niſi ex ignominiæ metu & periculo, qui tunc dicturis impendet, profiſciſcitur? Vnde verò ingens hic metus ignominiæ, niſi ex immodica gloriæ cupiditate naſcitur? His igi-

tur duobus affectibus occupata & oppleta mens, quem in animo locum relinquet, vt in vnam Dei gloriam, & animarum ſalutem, omni mente & ſtudio, ſpretis omnibus alijs, defixus ſit? Liquet igitur ex his, quàm non ſit facilè, hanc intentionis puritatem in hoc munere obeundo retinere, niſi illam concionator à Deo multis lachrymis, multaquе vi precum, & virtutum meritis tanquam rarum aliquod & ſingulare eius donum impetrare contendat. Et ne ſi hoc quidem ſtudiosè ac diligenter fecerit, ab huius labis periculo ſe prorſus immunem credat: ſemper enim in hac parte ſuſpectus ſibi eſſe debebit. *Greg. in Paſtor.* Vt enim ſapienter D. Gregorius ait, ſæpè mens ſibi mentitur, & fingit de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat. Huius autem intentionis pe-*Iob. 9* riculum idem vir Sanctus illa Beati Iob verba explanans, Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, exponit his verbis: Sed ſunt nonnulla, quæ ſciri à nobis facilè nequeunt, etiam cùm geruntur. Sæpè officium prædicationis aſſumimus, vt per hoc fraternæ vtilitati ſeruiamus: ſed niſi placeamus illi, cui loquimur, nequaquam libenter accipitur, quod prædicamus. Cumque placere mens vtiliter ſtudet, ad amorem laudis propriæ defluit turpiter: & quæ à captiuitate vitiorum alios curabat eruere, ipſa ſuis fauoribus incipit captiua ſeruire. Quaſi latrunculis quippe eſt appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur: vt ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur: cumque propoſitæ vtilitatis intentio ad ſtudia priuata deducitur, horrendo modo vnum idemquе opus culpa peragit, quod vir-

tus inchoauit. Sæpè & ab ipſis exordijs aliud cogitatio expetit, aliud actio oſtendit. Hactenus Gregorius. Hoc autem periculum concionatores multi, ac præſertim iuniores adeò non cauent, vt nec etiam agnoſcant. Sicut enim in quibuſdam regionibus deforme ebrietatis vitium, nec vitium aut dedecus eſſe putatur, propterea quod praua hominum conſuetudo huic vitio horrorem detraxerit: ita multis concionatorum adeò familiaris & innata hæc vanitas eſt, vt vix eam aduertant, & nec inter peccata quidem numerent. At qui diuino timore acti, ſe ipſos & interiora ſua omnia diligenti examine ſcrutantur, ſéque ex omni parte circumſpiciunt, vehementer ſibi ab hoc periculo timent. Fuit olim mihi arctiſſima familiaritate coniunctus concionator quidam, vir pius, qui (vt ipſe narrauit) cùm primum concionandi munus aggreſſus eſt, parum vanitatis huius periculum aliorum more præuidebat. At vbi proceſſu temporis oculos magis aperuit, & ea, quæ antè diximus, cum animo ſuo reputauit, adeò perterrefactus fuit, vt concionandi munus omninò relinquere deſtinauerit, & multò etiam tempore ab eo munere deſtiterit. Vbi verò ad illud, parendi neceſſitate coactus rediit, multis ſe rationibus, multiſque precibus aduerſus communem hunc concionatorum hoſtem munire ſtudioſiſſimè curabat. Hæc à me paucis dicta ſunt, quæ multis planè dici debuerunt: vt occultiſſimi huius periculi, reique omnium maximè ad hoc munus exequendum neceſſariæ, diuini verbi miniſtros admonerem. Cùm enim in iis, quæ ad finem aliquem ordinantur, ratio omnis ex fine petenda ſit, efficitur planè, vt fine perperum con-

Simile.

ſtituto omnia ordine, ratione, & merito deſtituantur.

De probitate & moribus concionatoris.
Cap. VI.

IAm nunc quid ex iis, quæ dicta ſunt, ſequatur, expendere incipiamus. Primùm ſi ea officii dignitas & maieſtas eſt, vt ipſum Dei Filium principem & autorem habeat, pro eoque Eccleſiaſtes legatione fungatur in terris: qualis eius puritas & integritas futura eſt, qui huic tanto muneri deſtinatur? Neque enim natura rerum patitur; vt in tantæ dignitatis ſplendore vita ſordeat: ſed illud exigit, vt cùm miniſterii dignitate, vitæ puritas & integritas certet. Hinc cùm Dominus Hieremiam Prophetam, ad deprauatos populi ſui mores caſtigandos mitteret, in matris etiam vtero deliteſcentem, nec dum in lucem editum Spiritu ſancto repleuit. Iſaiæ verò labia, Cherubini ad ipſum volantis miniſterio, cæleſtique igne ex altari Dei ſumpto, ab omni pollutionis & peccati labe purgauit: quò idoneus miniſter eſſet, per quem puritatis autor ſcelerati & rebellis populi crimina obiurgaret. Quid Apoſtolos memorem, quos tanta Spiritus Sancti gratia in die pentecoſtes Dominus repleuit, vt idoneos Euangelicæ doctrinæ magiſtros efficeret? quid Paulum referam, quem non modò eodem ſpiritu repleuit, ſed in tertium vſque cælum ſuſtulit: vt inter Angelos diſceret quod inter homines doceret? Sed hæc omnia exempla illud mihi ſuperare videtur, quòd ipſe Dei Filius non ante munus hoc docendi ſuſcepit quàm ſe ad illud, quadraginta dierum ieiuniis, orationibus, & ſolicitudinis ſeceſſu præparare

non quòd is hac præparatione indigeret (qui puritatis & ſapientiæ fons erat) ſed vt hoc exemplo Eccleſiæ doctores diſcerent, qua vitæ puritate & innocentia ad hoc cæleſte munus obeundum accedere deberent. Intelligebat enim ſummus ille magiſter, quandò eſſent ad fidem faciendam, & vitam hominum inſtituendam efficaciora præclara virtutum exempla, quàm exculta & perpolita verba. Vnde, cùm idem concionatores lucernam ſupra candelabrum poſitã appellaſſet, vt prælucerent omnibus, qui in Eccleſiæ domo eſſent, ſubit continuò: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Quibus verbis non obſcurè indicauit, quantò magis egregia virtutum opera, quàm ſelecta & limata verba gloriam Domini illuſtrarent: quod illud quoque Eſaiæ vaticinium declarat: Et vocabunt in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Quid enim magis diuinæ gloriæ ſplendorem, quàm probitatis & iuſtitiæ pulchritudo atque conſtantia (quæ diuinæ bonitatis imaginem refert) declarare poteſt? Denique ſi Eccleſiæ annales & incrementa, ad memoriam reuocemus, facilè inueniemus longè magis Eccleſiam Sanctorum exemplis, quàm diſertorum hominum verbis auctam & locupletatam fuiſſe. Quàm multorum monachorum cæleſtem in terris vitam meditantium, pater extitit illiteratus Antonius? De quo illa Diui Auguſtini verba iactantur: Surgunt indocti, & rapiunt nobis paradiſum, & nos cum doctrinis noſtris in carne & ſanguine volutamur. Quid illiteratum etiam Franciſcum referam, qui tot virtutum plantaria in Eccle-

Matth. 5.

Eſaiæ. 16.

Aug. lib. 8. *Cõfeſ.*

ſiæ paradiſo, ſanctitatis exemplis magis, quàm diſertis verbis conſeuit? quid Simeon ille cognomento Stilites literarum omnium rudis, cuius vitam coætaneus & familiaris eius amicus Theodoretus conſcripſit: quàm multas nationes in columna illa manens, admirandæ vitę ſuæ exemplis ab idolorum cultu, ad fidem Chriſti reuocauit? Vicina quoque noſtro ſeculo Diua Catharina Senenſis, & fœmina & literarum ignara, tam multos homines à ſcelerata vita ad iuſtitiam & pietatem conuertit, vt quatuor Cōfeſſarij (qui illi annuente Gregor. XI Pontif. Maxim. iugiter aſſiſtebant) vix tempus ad quietem haberent: dum eorum confeſſiones audiunt, quos illi ſplendore magis vitæ, quàm doctrinæ, ad virtutis & iuſtitiæ ſtudium traducebat. Hæc à me breuiter dicta ſunt, non quò doctrinę munus aliqua ratione extenuarem, ſed quò vitæ ſplendorem & dignitatem pio concionatori plurimum commendarem. Quam tam breui oratione Seneca complexus eſt, cùm ad Lucillum ſcribens ait: Eum elige doctorem, quem magis admireris, cùm videris, quàm cùm audieris. Hinc Lactan. Firmianus, Qui dat, inqnit, præcepta viuendi, debet amputare omnium excuſ. tionum vias: vt imponat hominibus parendi neceſſitatē, non vi aliqua, ſed pudore. quomodo verò amputari poterit excuſatio, niſi vt qui docet, faciat quæ docet, & ſit quaſi præuius, & manum porrigat ſecuturo. Nam hebere non poſſunt quæ doceas firmitatē, niſi ea prior feceris: quia natura hominum procliuis in vitia, videri vult non modò cū veniat, ſed cū ratione peccare. Hactenus ille. Hoc autē (vt cęteros eius officij cōſortes pręter eā) ita pręſtabat Paul. vt ſe ipſum in imita-

In hiſt. Religion.

Seneca ad Lucil

Lactāt. in 4. diui. inſtit lib.

tionis exemplum, fidelibus, quibus verbum vitæ tradebat, non ſemel proponeret. Alibi enim ait: Imitatores mei eſtote, fratres, ſicut & ego Chriſti. Et alibi: Capite nos: neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Et ad Philip. rurſum, De cætero, inquit, fratres, quæcunq; ſunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iuſta, quæcunq; ſancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Non ergo ſolis auribus, quæ vtiliter audirent, ſed oculis etiam, quæ admirantes viderent, atque imitarentur, bonus magiſter exempla proponebat. Ceterùm de his, qui alia via gradiuntur (qui videlicet aliter viuunt quàm viuendum eſſe præcipiunt) ſic D. Grego. ait: Sunt nonnulli, qui ſolerti cura ſpiritualia præcepta perſcrutantur: ſed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant. Repentè docent, quæ non opere, ſed meditatione didicerunt: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde idem vir Sanctus concionatores grauiter admonet his verbis: Mundari prius oportet, & ſic alios mundare: ſapientem prius fieri, & ſic alios facere ſapientes: lumen fieri, & ſic alios illuminare: ad Deum accedere, & ſic alios ad Deum adducere: ſanctificari, & ita ſanctificare: manus habere rectas, & ſic alijs porrigere manum. Qui a verò hoc ſanctiſſimi viri præceptũ multi neglıgunt, meritò D. Bernar. queritur, canales nos hodie in Eccleſia habere plurimos, cõchas verò perpaucas. Tantæ enim charitatis eſſe ait eos, per quos ad populũ diuinorum eloquiorum fluenta manant, vt prius effundere, quàm infundi velint: cùm tamen longè alia ratione hoc fieri debere, vel ille Dauidis verſiculus mo-

1. Cor. 4
2. Cor. 7
Philip. 4
Grego. in Paſt.
Bern. ſuper Cãt.

neat: Eructauit cor meum verbum bonum. Quid enim aliud eſt eructare niſi animum diuinorum eloquiorum epulis ſaginatum, de plenitudine cordis verbum bonum pronunciare? Eoſdē etiam

Seneca Epiſt. 10. Seneca grauiſſimè notauit his verbis: Nullos quidem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui Philoſophiam, velut aliquod artificium venſale didicerunt: qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt. Exempla enim ſe ipſos inutilis diſciplinæ circunferunt: nulli non vitio, quod inſequuntur obnoxij. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum: luctandum cum ipſo mari: eripienda ſunt vento vela. Quid mihi poteſt adiuuare rector nauigij attonitus & vomitans? Quanto maiore putas vitam tempeſtate iactari, quàm vllam ratem? Non eſt loquendum, ſed gubernandum. Hactenus ille. Sed quid tam multis argumentis ad hoc probandum in re tam aperta opus eſt, cùm ipſi etiam rhetores oratorem definiant, eſſe virum bonum, dicendi peritum. Si ergo orator, qui de ſtillicidiis arcendis, déque depoſitis reddendis, vt fidem apud iudices faciat, vir bonus eſſe debet, priusque illi vitæ probitas, quàm artis peritia tribuitur: quid de concionatore dicendum, cuius tota cura & officium eſt, homines ad virtutis & probitatis ſtudium non modò loquendo, ſed etiam rectè viuendo traducere? Rectiſſimè enim dictum eſt: Ab immundo quis mūdabitur? Ex quibus omnibus intelligere facilè poſſumus

Eccl. 34. quid ſit in cauſa, cur cùm hoc noſtro ſeculo omnia ferè templa quotidianis concionatorum vocibus & clamoribus reſonent; tam paucos homines

nes videamus, qui eorum clamorib. perterrefacti, prauos mores, & inueteratam peccandi conſuetudinem deſerant. Cùm enim verbum Dei ignis ſit, & quaſi malleus conterens petras, quid in cauſa eſt, vt nec hic cœleſtis ignis algentia hominum pectora incendat, nec hic malleus ferrea corda molliat: niſi quòd maxima concionatorum turba negotium hoc, magis verbis quàm exemplis, magis literis quàm lamentis, magis eloquentiæ ſtudiis quàm piis precibus vrgeat: maioremque popularis plauſus captandi, quàm vitia eliminandi: ac, poſtremò maiorem nominis ſui celebrandi, quàm diuinæ gloriæ & ſalutis humanæ procurandæ curam habeat? Hoc autem quid aliud eſt, quàm talentum in terra recondere: quādo hi commiſſi muneris miniſterium non ad Dei gloriam, & hominum ſalutem, ſed ad terrena commoda referunt: vt videlicet liberius & indulgentius viuant, vt amplioris dignitatis locum obtineant, vt popularem famam aucupentur, & pinguiora Eccleſiæ ſtipendia percipiant? Hæc dum omni ſtudio captamus, Dei gloriam, & animarum ſalutem, vel negligimus, vel in poſtremis habemus. Quomodo autem ſe Dominus aduerſus huiuſmodi operarios gerere debeat, ſatis apertè Vates ſanctus indicauit, cùm ait: Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? & cætera quæ ſequuntur. Quicunque verò tales ſunt, ad eorum ſortem pertinent, de quibus Saluator in Euangelio ait: Dicunt enim, & non faciunt: alligant onera grauia & importabilia: digito autem ſuo nolunt ea mouere.

Pſ. 49.

Matth. 23.

De ſtudio charitatis in Eccleſiaſte.

Cap. VII.

VERVM, cùm hæc vitæ probitas & virtutum ſtudium non ad concionatores modò, ſed ad omnes in vniuerſum pertineat, charitatis tamen virtus (à qua concionandi munus proficiſcitur) in Eccleſiaſte maximè eminere debet. Ex ea nanque oritur flagrantiſſimus diuinæ gloriæ amor, ardentiſſimumque ſalutis humanæ deſiderium, quod huius officij caput & fundamentum eſt. Sic enim huic muneri deſtinatus, Dei gloriam & animarum ſalutem ſitire debet, vt nullus auarus diuitias, nullus ambitioſus honores, nullus denique imperator de hoſtibus triumphum atque victoriam tanta auiditate deſideret, quanta is animarum ſalutem deperire, & earum interitum lamentari debet. Hoc enim flagrantiſſimum deſiderium, quod à charitatis radice proficiſcitur, adeò Euangelici concionatoris proprium, adeoque illi ad munus ſuum vtiliter obeundum neceſſarium eſt, vt qui ardore ac deſiderio deſtitutus ſit, meo iudicio, officium hoc attingere minimè debeat.

Apoc.12 Hoc deſiderio Sancta illa mulier in Apocalypſi flagrabat, quæ cruciabatur vt pareret: propterea quòd tanto deſiderio pariendi filios Sponſo ſuo tenebatur, vt nullos corporis cruciatus, nulla tyrannorum ſupplicia formidaret, dummodò ſpiritualem hanc ſobolem cœleſti Sponſo generaret. Cuius ardentiſſimum deſiderium Rachel olim adumbrauit, quæ tanto filiorum amore flagrabat, vt ad virum ſuum diceret: Da mihi liberos, alioqui moriar. Iam verò Dauid

Gene. 30.

rex quo animarum ardore æſtuabat, qui tam acri doloris ſenſu earum interitum & ruinam deflebat? Vidi, inquit, præuaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Et, Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Quibus verbis ſignificat, non minus ſe diuinæ gloriæ conuitiis torqueri, quàm ſi is omnibus probris & maledictis inceſſeretur. Apoſtolus verò quam multis in locis hoc animi ſui ſtudium, deſideriū, zelum, & charitatem oſtendit? Quis inquit, infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Et ad Galatas. Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Hoc eſt, quos iterum magno perditionis veſtrę dolore ſaucius, magnoque ſtudio atque conatu iterum eniti, & Chriſto reddere paro. Ex hoc autem interno igne faces illæ verborum prodierunt: Vellem eſſe apud vos modò, & commutare vocem meam (id eſt, in omnes me dicendi figuras transformare) quoniam confundor in vobis. Hoc eſt, quoniam inops conſilij, & plenus mœroris atque anguſtię ſum, nec quò me vertam, aut quid conſilij capiam, ſcio. Ad Corinth. verò, quo dolore, quibus lachrymis ſe priorem epiſtolam ſcripſiſſe profitetur, quòd eos ab Euangelica ſimplicitate deſciuiſſe intelligeret? Quid verò illa eiuſdem verba: Omnia ſuſtineo propter electos, vt ipſi ſalutem conſequantur? & , Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.) Et ad Theſſalonicenſes ſcribens, Volebamus, inquit, vobis tradere non ſolùm Euangelium, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Neque verò illud mihi quiſquam obijciat, hanc

Pſ. 118. Pſ. 68. 2. Cor. 11. Galat. 4. Ibidē. 2. Cor. 2 2. Ti. 2. 1. Cor. 9 Theſſ 2

mentem Apoſtolorum tantùm fuiſſe, qui Spiritus plenitudinem acceperunt: nos verò in hac mundi fece non eam cœleſtium donorum vbertatem percepiſſe, vt ſimili ardore flagrare poſſimus. Sit ita ſanè. Sed ſimili tamen ſtudio & deſiderio Prophetarum pectora ante gratiam quoque Euangelij æſtuabant: quod eorum lachrymæ, quas propter hominum peccata fundebant, eorumque cruciatus & mortes, quas propter obiurgandi ſeueritatem & acrimoniam pertulerunt, facilè declarant. Sequentibus verò ſeculis, quàm multi ex Sanctis patribus ac Doctoribus hoc eodem deſiderio arſerunt? De Beato Patre noſtro Dominico inter eximias eius laudes hæc etiam prædicatur: quòd arderet quaſi facula zelo pereuntium. Quo ardore incenſus, nouum in Eccleſia prędicatorum ordinem, Spiritu Sancto inſtigante, primus excogitauit, erexit, ac fundauit. Tanto autem erga homines charitatis igne, tantoque pereuntium animarum dolore torquebatur, vt nullo incommodo, nullique labori parceret, quò minus die noctuque opportunè atque importunè ſaluti earum inuigilaret: adeò, vt aliquando integram Quadrageſimam ſolo pane & aqua victitarit, noctibuſque feſſa diurno labore membra ſuper nudam tabulam reclinaret: quò fœminas, apud quas hoſpitabatur, hæreticorum dolis ſeductas, ad fidei ſynceritatem hoc exemplo reuocaret quod & obtinuit.

Hæc igitur mens, hic affectus, hoc flagrantiſſimum diuinæ gloriæ, & humanæ ſalutis deſiderium præcipuus huius officij magiſter eſt. Neque tantum vniuerſę rhetorum ſcholę atque præcepta, quàm hic vnus ardor concionantem iuuare in dicendo poterit. Hic enim vnus affectus (qui

velut mens & anima quædam huius artificij eſt) dicendi penè omnia præſtat. Hic enim docet ea negligere, quæ aures magis tinnitu verborum & acumine ſententiarum oblectant, quàm mentes erudiant atque ſanent. Hic omnes perſuadendi rationes excogitare, & omnes dicendi machinas auditorum mentibus admouere facit: vt eas ad timorem Domini, & ſceleratæ vitæ odium traducere poſſit. Hic etiam, vbicumque illi orationis curſus occaſionem præbuit, & affectus excitare, & ſingularia vitæ documenta tradere, & ad mores inſtituendos, quæ dicuntur, accommodare, & languentes auditorum animos dicendi vi & acrimonia ſuſpenſos tenere, & dormitantes excitare facit. Hic exclamat, arguit, obſecrat, increpat, terret, ſtupet, admiratur, & in omnes ſe affectus & figuras dicendi transformat: defunctos excitat, abſentes alloquitur, Dei opem implorat, cœlum, terras, maria permiſcet, & quaſi quodam prophetico furore percitus clamat: Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini. Et, Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Et, Generatio praua atque peruerſa, hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? Hæc igitur & multa alia flagrantiſſimum hoc deſiderium concionatoris animo inſpirat, qui interdum ſe ipſe non capit, ac penè diſrumpitur: cùm ſpretam religionem, ſceleratos hominum mores, cæcitatem mentis, obduratum & inſenſibile pectus, ac tot pereuntium animarum extremum periculum contemplatur: ideoque nullum non mouet lapidem, nihil intentatum relinquit, quò homines, quos in ipſis penè draconis faucibus iam iam deuorandos videt, reuocare inde poſſit: tanta eſt huius

ardoris (quem ſolus Spiritus ille cœleſtis excitare & inflammare ſolet) vis atque potentia. Quocirca non ab re dictum à nobis fuit, hunc eſſe præcipuum huius operis & artificij magiſtrum. Hic eſt enim ſpiritus ille robuſtorum, qui turbinis inſtar impellit parietem : hoc eſt, qui pectora etiam diuturna peccandi conſuetudine obdurata diſrumpit & concutit. Hæc illa Domini vox, quæ confringit cedros, quæ intercidit flammam ignis, quæ parere facit præ metu ceruas, & omnia tandem ſibi obſiſtentia perrumpit. Hanc ergo vocem, hunc animum, hoc ardens & incitatum deſiderium habere debet, quiſquis hoc Propheticum & Apoſtolicum munus exercere pro dignitate parat. Vnde, cùm quidam vir pius, qui tum primùm concionandi munus aggrediebatur, à veterano eius artificij principe quæreret quid ſibi maximè ad id munus obeundum neceſſarium eſſet : ille, Nihil, inquit, magis, quàm vt is qui dicit, ardentiſſimo Domini Ieſu amore flagret. Qui enim ſic erga illum affectus eſt, vehementer illius gloriam, & animarum ſalutem (pro quibus ille vitam profudit) ſitiet, & quæ ille maximè odit (nempè hominum peccata & flagitia) ſimili affectu deteſtabitur: atque ita fiet, vt cùm hiſce de rebus agendum erit, non perfunctoriè, non oſcitanter, aut ſegniter, ſed vehementer, acriter, & pro dignitate rerum dicat : eumque affectum animis auditorum imprimat, quem ipſe voce, vultu, geſtu, acrimonia, & tota dicendi contentione præferat. Cùm autem hic affectus & ardor (vt antea diximus) à Spiritu Sancto ſit (non enim hunc natura, ſed gratia, & magna quidem gratia præſtat) non poteſt populus audiens hoc ardore

declamantem non mirari, ſuſcipere, & reuereri: propterea quòd intelligat, maius aliquid, & ſupra hominis facultatem atque naturam ibi latere, ibique Dei digitum eſſe. Cuius rei cognitio humana pectora vehementer commouet & concutit: ſiue quod Deum intelligant humano ore loquentem, ipſoſque ad ſe vocantem, ſiue quòd ex inuſitata illa dicentis acrimonia, rei dignitatem, de qua agitur, agnoſcant. Cùm autem Cicero, nullam eſſe eloquentiam dicat, quæ admiratione careat, nulla re magis, quàm hac dicendi vi auditorum admiratio concitatur.

Quæret hic fortaſſe ſtudioſus concionator, qua ratione hunc animum atque affectum induere aliquis poſſit. Cuius rei facilis admodum reſponſio, ſed non facilis ad hoc via eſt. Cùm enim (vt dictum eſt) hic mentis ardor ab inflammata in Deum charitate proficiſcatur (quæ niſi intra virtutum omnium ſinum atque complexum inueniri poteſt) apertè liquet, innocentia & puritate vitæ hunc animum eſſe comparandum. In quo quidem ſtudio vehementer adiuuat intentionis puritas (de qua paulo ante loquuti ſumus) qua homo non ſuam, ſed Domini ſui gloriam caſto pectore quærit. Adiuuat in hoc etiam vera animi ſubmiſſio: qua pius Eccleſiaſtes (atque is præſertim, qui ex maiorum ſuorum imperio hoc munus exequitur) ſupplicem ſe Deo exhibet: & hinc quidem indignitatem ſuã profeſſus, inde verò parendi neceſſitatem proponens, ſpiritum atque animum ad eius officij functionem clementer ſibi à Domino impartiri poſtulat. Ad hanc autem humilitatem pertinet, vt homo omnem à ſe ſui fiduciam ad hoc

munus obeundum depellat: nec vel eruditione, vel eloquentia, vel vocis & pronunciationis elegantia, vel opinione & fama populari, vel diuturna concionandi conſuetudine atque dexteritate fretus, aliquid ſe effecturum putet, niſi cœlitus adiuuetur, virtutéque ex alto induatur. In mentem verò operis huius difficultatem reuocet (de qua ſatis multa ſuperius diximus) intelligetque, hoc vnum ſibi ſupereſſe remedium, vt cùm Ioſaphat rege ſanctiſſimo totum ſpiritum ſuum conferat ad rogandum Dominum. Ab illo felicem laboris ſucceſſum, ab illo animarum ſalutem, ab illo dicende vim & facultatem, non ab humanis eloquentiæ aut eruditionis præſidijs ſperet. Si enim vnigenitus Dei filius Patri ſuo, & doctrinam quam prædicabat, & doctrinę fructum tribuebat, cùm diceret: Mea doctrini non

Ioan. 7. est mea, ſed eius qui miſit me. Et, Verba quæ
Ioan. 14 ego loquor vobis, à meipſo non loquor. Et, Ser-
Ibidem. monem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me, Patris: quis adeò impudens & inſolens erit, qui ſibi aliquid in docendi officio arrogare audeat? Depulſa ergo hac impia ſui fiducia, pius Dominus obedientiæ atque veræ humilitatis amator nihil verè humili atque obedienti filio denegabit. Multum prætereà conferet ad ſalutis alienæ ſitim acuẽdam, ea, quæ paulò ante de huius officij dignitate, & meriti magnitudine diximus, conſiderare. Cùm enim (auto-
Gregor. re D. Greg.) nullum ſacrificium Deo gratius ſit, quàm ſalus animarum, illeque (vt idem ait) in maiore apud Deum amore ſit, qui ad eius amorem plurimos trahit: quiſquis huius diuini erga ſe amoris ſtudioſus eſt, vehementer optabit, ad eius amorem plurimos adducere: vt ipſe tan-

dem voti ſui compos efficiatur. Huc pertinet inſigne quoque huius operis meritum ſimul & præmium, quod vbique pijs concionatoribus ſacræ literæ pollicentur. Hoc declarat Iacobus Apoſtolus, cùm ait: Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui comuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuę, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Item Prouerb. xj. Salomon. Anima, inquit, quæ benedicit, impinguabitur: & quæ inebriat, ipſa quoque inebriabitur. Iuſtum quippe apud æquiſſimum iudicem Deum eſt, vt in omni opere par pari hominibus referatur: & ita, qui opera atque doctrina ſua aliorum animas reficit, & ſpiritualibus bonis ditat, ipſe quoque à Domino reficiatur, & ſimilibus bonis locupletetur, quibus ornatus & auctus ante ſupremi iudicis tribunal tutus apparere poſſit, & cum Apoſtolo dicere: Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nónne vos ante Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius. *Iacob. 5.*

Iuuabit & illud, ſi Eccleſiaſtes nominis ſui rationem conſiderans, meminerit ſe hominum piſcatorem à Domino appellari. Sicut autem piſcator cùm rete iacit, hoc vnum præcipuè curat, ne vacuum rete domum referat: ſic animarum piſcator, hoc præcipuè captare, in hoc neruos omnes intendere debet, vt eo modo actionem ſuam inſtituat, qua huiuſmodi præda Euangelicam ſagenam impleat: hoc eſt, vt pereuntium animas CHRISTO Domino lucrifaciat. Hoc autem conſequetur, ſi ea dicat, & eo modo dicat, quò poſſit obdurata corda concutere, & in tenebris & cæca peccati nocte iacentes, *Simile.*

doctrinæ ſuæ luce ad veritatis notitiam trahere: quo miſerandum animæ ſuæ ſtatum & periculum agnoſcentes, & animo compungantur, & ad iter ſalutis reuocentur. Ad quod & incertam mortis horam, & diuini iudicij ſeueritatem, & horrendas gehennæ flammas, æternitatemque pœnarum non rarò ponere ante oculos debet. Quamuis non ſemper aduerſum hos orationis ſtilus dirigendus eſt: quando is ſapientibus & inſipientibus, pijs & improbis debitor ſit, & ad pietatem & iuſtitiam alios quidem potenter trahere, alios verò blandè & leniter erudire & inſtruere debeat. Quemadmodum verò piſcator triſtis abſcedit, vbi vacuam ſagenam ab vndis extulit: ſic animarum piſcator, ſi adeò languidè ſe in officio geſſit, vt conijcere hoc iudicio poſſit, ſe nihil prendidiſſe, de hac iactura, non de ignominia ſua dolere debebit.

Nec leuis etiam ſtimulus ad dicendum eſt, ſi quas fortè animas ab huius magni maris fluctibus ad portum ſalutis reuocauit. In his namque venuſtiſſima virtutis & iuſtitiæ ſpecies, mirabiles in animo pij concionatoris amores excitát, & ad eam docendi rationem extimulat, qua hunc incomparabilem animarum theſaurum augere queat. Qui accipitres ad capiendas aues nutriunt; hoc ante omnia curant, vt aliqua primùm facili præda ineſcentur, quò auidius deinde ad inſequendas eius generis aues rapiantur, quarum iam guſtum perceperunt. Ad hunc igitur modum concionatores, qui aliquot animas è Diaboli faucibus ereptas, in libertatem aſſeruerunt, ad alias ſimili ſtudio atque labore capiendas excitari ſolent. Sic enim Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, militum ſuorum animos ad prælium

acuebat, pulcherrima illis hoſtium ſpolia, quæ paulò ante in bello ceperant, oſtentans. Hoc ergo modo Eccleſiaſtes inclyta animarum ſpolia, quæ à *Diaboli* poteſtate eripuit, ſibi ante oculos ponat: quò ſe ſtudioſius & alacrius huic tãto muneri accingat. Quiſquis autem huiuſmodi ſpolia Chriſto Domino obtulit: hoc eſt, qui verbi ſemine ſpirituales Chriſto Domino filios parturiuit, cum Lia vtique gloriari, eiùſque verba vſurpare poterit, dicens: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios.

Supra omnia verò ad hunc charitatis affectum conſequendum, mirè adiuuat ſanctæ orationis & contemplationis ſtudium: quo mens noſtra ſpiritualia atque diuina contemplatur. Ita enim fiet, vt earum amore accendatur, atque omnes pios affectus ſpiritualibus rebus contemplãdis nutriat & foueat. Qua de re iam iam dicemus. Porrò autem qui ſine hoc interno diuini Spiritus ſenſu & motu, eam dicendi vim & acrimoniam, quam hactenus deſcripſimus, conſequi volunt, & arte, atque ficta ſimulataque acrimonia, hunc veritatis affectũ ſe aſſecuturos putãt, ſæpè ridiculi ſunt, & ſeipſos multis modis produnt: præſertim ſi ipſorum vita parùm cum hac dicendi ratione cohęreat. Si ne Apelles quidem puerum ferentem vuas ſic ad viuum penicillo exprimere potuit, vt auiculæ picturæ fraudem non intelligerent: qua fronte quiſquam ſe arte conſecuturum putat, quod ſingulare Spiritus Sancti donum, & maximum quidem donum eſt? Si enim ars nondum eò peruenire poteſt, vt naturam perfectè exprimat: quomodo diuini Spiritus energiam, quæ ſupra naturam eſt, exprimere poterit?

De ſtudio ſanctæ orationis & meditationis, quod in Eccleſiaſte eſſe debet.

Chap. VIII.

SVpra vitæ integritatem, & intentionis ſinceritatem, quas in Eccleſiaſte eſſe debere docuimus, ſingulare etiam ſanctæ orationis ſtudium requiro: quod non poterit non habere is, qui hac vitæ & intentionis puritate prædıtus eſt. Nemo autem me aut nimium, aut ſuperſtitioſum in tam multis virtutibus exigendis iudicabit, ſi huius officij rationem prudenter expenderit. Plura
Bernar. enim Diuus Bernardus in Eccleſiaſtico doctore requirit: qui poſteaquam grauiter (vt ante diximus) queſtus eſſet, quòd multos in Eccleſia canales haberemus, conchas verò perpaucas (quòd videlicet concionatores prius effundere, quàm infundi vellent) quæ ſint quæ habere debeant, explicat his verbis: En quanta priùs infundenda ſunt, vt effundere audeamus: de plenitudine, non de penuria largientes. Primò quidem compunctio, deinde deuotio, tertiò pœnitentiæ labor, quartò pietatis opus, quintò, orationis ſtudium, ſextò contemplationis otium, ſeptimò plenitudo dilectionis. Hactenus ille. Vides ergo inter hæc, deuotionis ſpiritum, orationis ſtudium, & contemplationis otium à viro ſanctiſſimo requiri? Idemque rurſus in Epiſtol. 201. ad Abbatem quendam ſcribens, tria illi eſſe neceſſaria ad ho-
Idem minum ſalutem promouendam docet: Nunc, inquit, manent tria, verbum, exemplum, & oratio, maior autem horum, oratio. Ea namque operi & voci gratiam & efficaciā promeretur. Hæc il-

ke. Verùm vt omittam, quòd hæc ipſa vitæ & intentionis puritas, niſi in pectore diuinarum rerum contemplatione ſaginato vix vnquam reperitur: conſtans tamen ſanctorum Patrum ſententia eſt, Euangelicos doctores in contemplatione haurire, quod poſtea populis effundant: quod in Prophetis (qui huius officij príncipes extiterunt) cernere licet, qui à Domino accipiebant, quod populo nunciabant. Hoc enim illa Prophetæ verba innuunt: Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Hinc *Pſal.71.*
D. Gregor. Humani, inquit, generis redemptor, per diem miracula hominibus exhibebat, & ad orationis ſtudium in monte pernoctabat: vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam amore ſpeculationis funditus deſerant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus contemnant: ſed quieti cōtemplantes ſorbeant, quod occupati erga proxímos loquentes refundant. Præterea cùm ſalus animarum, & perditorum hominum pœnitentia & conuerſio, miniſterij huius finis ſit (quæ res niſi ſingulari Dei auxilio perfici non poteſt, vt paulò antè diximus) opus eſt, vt Eccleſiaſtes non ſolùm verbis, ſed multò etiam magis precibus & lamentis opem Domini imploret, vt pios conatus & labores ſuos prouehat, atque ſecundet. Meminiſſe enim debet, quid piſcanti Petro euenerit: qui tota nocte cum ſocijs laborans, nihil cepit: cùm autem in verbo Domini retia laxaſſet, *Auguſt.*
copioſam piſcium multitudinem concluſit. Qua *in 4. de*
de cauſa Diuus Auguſtinus concionatorem mo- *doct.*
net, ſi voti compos fieri velit, vt precibus magis, *Chr.*
quàm verbis munus ſuum vrgeat. Sic enim ait: Prædicator laboret, vt intelligenter, vt liben-

ter, vt obedienter audiatur: & hoc ſe poſſe magis pietate orationum, quàm ſermonis facultate non dubitet: vt orando pro ſe, ac pro illis, quos eſt allocuturus, ſit prius orator, antequã doctor: & ipſa hora accedens, prius quàm exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam ſitientem, vt ructet quod biberit, vel quod impleuerit effundat.

His etiam adde, quòd cùm ex eiuſdem patris Auguſtini diſertorumque omnium ſententia tam oratoris, quàm concionatoris triplex eſſe officium dicatur: nempe docere, delectare, & flectere: & docere quidem neceſſitatis, delectare ſuauitatis, flectere autem, & auditorum animos commouere, victoriæ ſit: quonam modo Eccleſiaſtes aliorum affectus excitare poterit, niſi ipſe etiam commotus ſit? Hinc D. Grego. Ad ſupernum, inquit, deſideriũ inflammare auditores nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur: nec enim res, quæ in ſeipſa non ardet, aliam accendit. Qua de re non grauabor Quintiliani rhetorum principis ſententiam hoc in loco attexere: qui inſtitutionnm oratoriarum lib. 6. de concitandis affectibus differens, ſic ait: Summa, quantum ego quidem ſentio, circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, vt moueamur & ipſi. Nam & luctus, & iræ, & indignationis ridicula fuerit imitatio, ſi verba vultumque tantùm, non etiam animum accommodauerimus. Quid enim aliud eſt cauſæ, vt lugentes vtique in recenti dolore diſertiſſimè quædam exclamare videantur, & ita nonnunquam indoctis quoque eloquentiam faciat: quàm quòd illis ineſt vis mentis, & veritas ipſa morum? Quare in his, quæ veriſimilia eſſe volumus, ſimus ipſi ſimiles

Grego.

Quintil. lib. 6.

eorum, qui verè patiũtur, affectibus: & à tali animo proficiſcatur oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, cùm hoc dicam, non dolentem? iraſcetur, ſi nihil ipſe qui in iram concitat, idque exigit, ſimile patiatur? ſiccis agenti oculis index lachrymas dabit? Fieri non poteſt. Neque incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res vlla dat alteri colorem, quem ipſa non habeat. Primùm eſt igitur, vt apud nos valeant ea, quæ valere apud iudicem volumus,: afficiamúrque, antequam afficere conemur. Hactenus Fabius. Ex huius ergo præſtantiſſimi artificis ſententia aliquet, ad affectus excitádos præcipuum eſſe, vt afficiamur ipſi. Quæro igitur, quinam ſint, in quorum mentibus magis hi affectus erga res diuinas dominentur, ſiue illi acres & concitati, ſiue mites & lenes ſint: quàm in iis, qui diuinarum rerum aſſidua conſideratione, & ſanctæ orationis ſtudio deuotionis affectum fouere, nutrire, & augere die noctuque ſtudent? Horum enim præcipua cura eſt, huiuſmodi exercitatione mentem in Deum attollere, deuotionem alere, piosque erga diuina affectus incendere. Quorum multi ita animo diſpoſiti & conſtituti ſunt, vt (inſtar pulueris ſulphurei) vel vnius verbi Dei ſcintilla tacti, protinus inflammentur. Vnde, cuidam ex beatiſſimi Patris Franciſci ſocijs (qui totus erat diuinarum rerum contemplationi addictus) illud ſæpe eueniſſe memoratur, vt vel ſola paradiſi voce audita, penè in extaſim, præ deſiderij & gaudij magnitudine, raperetur. Denique ſicut ligna arida facilè ignem concipiunt, virida verò atque humentia non item: ſic concionatores diuinarum rerum & deuotionis ſtudio de- *Simile*

diti, facilè velut exſiccata ligna deuotionis atque dilectionis igne inflammantur : quo auditorum animos afficiunt : qui verò deuotionis expertes ſunt, tanquam humentia ligna, vt neque ſeipſos incendunt, ita nec alios incendere poſſunt. Hæc autem omnia quæ diximus, breuiter Proſper libro 1. de vita contemplat. complectitur his verbis: Prædicator, non in verborum ſplendore, ſed in operum virtute totam prędicanda fiduciam ponat: non vocibus delectetur populi clamantis, ſed fletibus: nec plauſum à populo ſtudeat expectare, ſed gemitum : lachrymaſque, quas vult à ſuis auditoribus fundi, ipſe primitus fundat: & ſic eos compunctione ſui cordis accendat. Hæc igitur de concionatoris officio, eiuſque dignitate præfati, artem ipſam à primis (quod dicitur) incunabulis in ſequenti libro tradere incipiemus.

Proſper.

ECCLE-

ECCLESIASTICÆ

RHETORICÆ, SIVE DE RATIOne concionandi,

LIBER SECVNDVS.

Quid ſit Rhetorica, quæ eius materia, quod officium & finis, & quæ ſint eius partes.

CAPVT PRIMVM.

RHetorica eſt bene dicendi ratio, ſeu de quaque re propoſita, prudenter ornateque dicendi ſcientia. Quamuis autem Rhetoricæ nomen eam eloquentiæ partem ſignificet, quæ ſola artis præcepta continet, nos hic Rhetoricam pro eloquentia accipimus: quæ quidem eſt vis illa prudenter, explicatè, abundanter, numeroſeque dicendi, id eſt, eloquẽtia, quæ nihil aliud eſt, quàm copioſè loquens ſapientia. Qua quidẽ ex re liquet, quantum illi decipiantur, qui eloquentiam putant eſſe tumultuariam verborum idem ſignificantium congeriem, & affectatum dicendi leporem & venu-

ſtatem: cùm nihil tamen veræ eloquentiæ magis contrarium ſit. Eloquentia enim non eſt illa inanis & propè puerilis verborum volubilitas, quæ ſæpè in populo inſolenter ſe venditat, ſed (vt diximus) diſertè & copiosè loquens ſapientia, quæ in prudentum animos cum ſuauitate illabitur. Tolle enim ſapientiam, eloquentiæ ſequetur interitus. Quò enim quis prudentius, & grauius loquutus fuerit, eò præclarius eloquentiæ ſpecimen, modò ſermo purus vna acceſſerit, cuique dare videbitur.

Materiam porrò huius artis eam dicimus, in qua omnis ars & ea facultas, quæ conficitur ex arte, verſatur: vt ſi medicinæ materiam dicamus morbos ac vulnera, quòd in his omnis medicina verſetur: item quibus in rebus verſatur ars & facultas oratoria, eas res materiam artis Rhetoricæ nominamus. Has autem res alij plures, alij pauciores exiſtimauerunt. Nam Gorgias Leontinus antiquiſſimus ferè rhetor, omnibus de rebus oratorem optimè poſſe dicere exiſtimauit. Hic infinitam & immenſam huic artificio materiam ſubijcere videtur. Ariſtoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta atque ornamenta ſubminiſtrauit, tribus in generibus rerum verſari rhetoris officium putauit, demonſtratiuo, deliberatiuo, iudiciali. Demonſtratiuũ eſt quod tribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem, aut vituperationem. Deliberatiuum eſt, quod poſitum in diſceptatione, vel conſultatione ciuili, habet in ſe ſententiæ dictionem. Iudiciale eſt, quod poſitum in iudicio, habet in ſe accuſationem & defenſionem, vel petitionem & recuſationem. Et, quemadmodum noſtra quidem fert opinio, oratoris ars & facultas in hac materia tripartita

verſari exiſtimanda eſt. Hanc nos quoque Ciceronis ſententiam libenter amplectimur: ſic tamen vt intelligamus, quòd quamuis huius artis materia his terminis circunſcripta ſit, præcipua tamen eius pars, hoc eſt, elocutio (vnde eloquentia ipſa nomen accepit) ad omnes omnium generum diſciplinas quàm latiſſimè patet. Nam & Philoſophi, & Medici, & Iuriſconſulti, & Mathematici, & multi etiam ſacrarum literarum tractatores, huius partis, nempè elocutionis præceptis inſtituti, ornatiſſimè & eloquentiſſimè dicunt.

Ex his autem tribus cauſarum generibus iudiciale, quòd præcipuè apud Rhetores in vſu fuit (qui in hoc bene dicendi artem excogitarunt, vt ciuiles cauſas in iudicio tractarent) nos tanquàm ab hoc inſtituto noſtro, qui non cauſarum actoribus, ſed concionatoribus præcepta comparamus, abdicandum duximus: atque deliberatiuo, hoc eſt, ſuaſorio, & demonſtratiuo contenti erimus: quorum altero in ſuadendis virtutum officijs, ac vitijs diſſuadendis, altero in diuorum laudibus celebrandis vtimur.

Officium verò huius facultatis videtur eſſe dicere appoſitè ad perſuaſionem: finis, perſuadere dictione. Inter officium autem & finem hoc intereſt, quod in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat, conſideratur: vt medici officium dicimus eſſe, curare ad ſanandum appoſitè: finem, ſanare curatione, Item oratoris quid officium & quid finem eſſe dicamus, intelligemus, cùm id quod facere debet, officium eſſe dicemus: illud cuius cauſa facere debet finem appellabimus.

Cùm autem eorum quæ ad finem aliquem con-

ſequendum inſtituta ſunt, ratio ex ipſo fine ſumenda ſit ex hoc ipſo fine, quid orator efficere, & quas res habere debeat, commodiſſimè intelligitur. Primùm enim vt appoſitè ad perſuadendum dicat, oportet eum docere, flectere, & delectare. Dialectico nanque, qui rei dubiæ fidem facere contendit, ſufficit vt doceat, hoc eſt, vt argumentis, quid voluerit, euincat. Cæterùm cùm orator non modò fidem facere, ſed etiam ad aliquid agendum excitare ſoleat, non ſolùm argumentis probare, ſed etiam orationis venuſtate & rerum varietate delectare, atque affectibus concutere auditores, & ad agendum impellere debet. Itaque docere neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ. De quibus ſuo loco copioſius. Et docere quidem, Rodolphus ait, rem facilem eſſe, & quam quiſque tantùm non inertiſſimæ mentis præſtare poſſit: concutere autem affectibus audientem, & in quemqunque velis animi habitum transformare: allicere item, audiendique voluptate tenere ſuſpenſum, non niſi ſummis, & maiori quodam muſarum afflatu inſtinctis contingere ingeniis.

Rudol. Agric. li. 1. topi.

Ex eodem etiam ſiue officio ſiue fine colligimus, quas partes habere orator ſiue concionator debeat. Oportet enim in oratore eſſe inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem. Inuentio eſt excogitatio rerum verarum aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant. Diſpoſitio eſt ordo & diſtributio rerum, quæ demonſtrat quid, quibus in locis ſit collocandum. Elocutio eſt idoneorũ verborum & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. Memoria eſt firma orationis perceptio. Pronunciatio eſt vocis, & vultus, & ge-

ctus moderatio cum venuſtate.

Ad hæc autem omnia paranda, tria ſunt neceſſaria, ars, imitatio, exercitatio. Ars eſt præceptio quæ dat certam viam rationemque dicendi. Imitatio eſt qua impellimur cum diligenti ratione, vt aliquorum ſimiles in dicendo velimus eſſe. Exercitatio eſt aſſiduus vſus conſuetudoque dicendi. Artis autem præceptis opus eſt, primùm ad iudicandum non ſolùm de ſcriptis eloquentium virorum, quos nobis proponimus imitandos, verùm etiam de noſtris commentationibus: deinde ad naturam iuuandam, quæ ſi non optima ſit, corrigi tamen aliquantum poteſt: &, vt ſcribit Cicero, licet ingeniis magnis præditi quidam dicendi copiam ſine ratione conſequantur, ars tamen eſt dux certior quàm natura. Quod enim naturali tantùm fretus lumine facis, id arte multò melius ac certius efficies. Nemo tamen exiſtimet, tantum opis in præceptis artis poſitum eſſe, vt per ea ſatis ſe ad dicendum inſtructum eſſe arbitretur. Niſi enim reliquæ duæ partes acceſſerint, ſcilicet imitatio & exercitatio (quarũ altera multa eloquentium virorum lectione, altera aſſiduo ſcribendi vſu conſtat) nemo eloquentiæ palmam aſſequetur. Neque verò ſatis eſt multa legere, niſi in eo quod legis, omnes dicendi figuras, ſententias, phraſes, tropos, & quidquid poſtremò ad inueniendi, vel eloquendi rationem pertinet, diligenter animaduerteris: vt hac ratione artis præcepta familiaria tibi efficias, & in promptu & veluti ad manum poſita ſemper habeas. Multi enim ſunt, qui diſertiſſimorum virorum ſcripta legentes, quia ſola rerum cogitatione contenti, nihil de dicendi ratione aduertunt, nihil prorſus in ea proficiunt.

Quomodo Rhetorica à Dialectica differat.

Chap. II.

Cæterùm vt Rhetoricæ diffinitionem (quæ magnam lucem ad eius rationem atque naturam penitus cognoſcendam affert) apertius intelligamus, qua in re cum Dialectica conueniat, & ab ea item differat, paulò fuſius explicandum eſt. Diffinitio namque expoſita rerum inter ſe finitimarum ſimilitudine, & differentia, colligitur. Conſtat autem ex Ariſtotelis ſententia, finitimam eſſe Dialecticæ Rhetoricam, & ſub illa tanquam ſuperiori diſciplina, quemadmodum Muſica ſub Arithmetica, contineri. Qua de re ſic Arias Montanus ait:

Lib. 1. Rhet. ad Theod.

Huic ſoror eſt ventre ex vno concepta gemella,
Precipuo Logicen dixerunt nomine Graij,
Quæ rationis opes, vires, neruoſque miniſtrat
Dicenti, viuos adhibet germana colores:
Hæc vincit, victum illa ſequi parereque ſuadet.

Illud certè conſtat, vtriuſque diſciplinæ eundem eſſe finem, eaſdemque rationes, quibus ad hunc finem peruenitur. Vtriuſque finis eſt, perſuadere, & rei dubiæ fidem facere, ad quod variis vtitur rationibus & argumentis. Vtraque tamen, tum diſſimiles quæſtiones, tum diſſimiles auditores, tum etiam diſſimilem dicendi rationem ſequitur. Cùm enim quæſtionum aliæ ad intelligendum, aliæ ad agendum deſtinatę ſint (quarum illæ ſpeculatiuæ, iſtæ practicæ nuncupantur) Dialectica prioris generis quæſtiones frequētius verſat, Rhetorica verò noſtra, hoc eſt, Eccleſia-

ſtica (de qua ſermonem inſtituimus) poſterioris generis ſæpius tractat. Semper enim (quanuis aliud prima fronte videatur) ſuadere aut diſſuadere intendit, dum auditores aut ab improbitate deducit, aut ad virtutis & pietatis ſtudium incitat. Eſt & maxima inter auditores differentia, apud quos Dialecticus & Eccleſiaſtes dicunt. Ille enim ferè in ſcholis apud ſapientiæ ſtudioſos diſputat, hic apud populum, qui magis exemplis & affectibus, quàm philoſophicis rationibus capitur. Vnde etiam illa differentia naſcitur, quam Zeno inter Dialecticam & Rhetoricam compreſſa & extenſa manu aſſignauit: Dialecticam compreſſæ, Rhetoricam verò protenſæ manui ſimilem eſſe dicens: quod illius oratio breuior, hæc fuſior & latior ſit. Dialectica enim oratio velut neruos & oſſa corporis tantùm compingere, & ſuis locis aſſignare videtur: Rhetorica verò orationis ſplendore & copia veluti ſanguinem, & carnem, & cutem, & calorem, ac ſpeciem & ornatum addit. quibus rebus qui carent, aridi ac ieiuni à Rhetoribus appellantur. Hæc autem poſtremo differentia ex antecedentibus colligitur. Nec minus aptè hoc ipſum pictorum exemplo explicatur: qui primùm quidem rudi (vt ita dixerim) craſſaque Minerua omnia ſimulachri membra delineant, deinde verò varios & colores, & ornatum, & cætera quæ ad perfectam & abſolutam imaginem requiruntur, addunt. Prius autem illud Dialecticæ officium, poſterius verò Rhetoricæ declarat. Hæc autem poſtrema differentia, ex duabus ſuperioribus (quæ paulo anteà diximus) proficiſcitur. Nā rudis atq; imperita multitudo longiori oratione capienda eſt: quoniam non ſolùm vt ſciat, & intelligat, ſed

Simile appoſitum.

vt agat quod volumus, non ſyllogiſmis tantùm, ſed etiam affectibus, & magna vi dicendi concutienda & exagitanda eſt: quæ nõ anguſtam & breuem, ſed acrem, & vehementem, atque copioſam orationem deſiderat. Cuius rei commodiſſimum extat apud Senecam exemplum: quod docendi gratia hoc in loco attexere libuit. Sic enim ait: Vult nos ab ebrietate deterrere Zeno vir maximus, & huius ſectæ fortiſſimæ ac ſanctiſſimæ conditor. Audi ergo quemadmodum colligit virum bonum non futurum ebrium. Ebrio ſecretum ſermonem nemo committit, viro autem bono committit: ergo vir bonus ebrius non eſt. Non eſt animus in ſua poteſtate ebrietate deuinctus. Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in ſummum vis caloris eiectat: ſic vino æſtuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante: ita ne ſecretum quidem, quod ſuum alienumque eſt, pariter effundunt. Interim ſi hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſyllogiſmis agis? Dic quàm turpe ſit plus ſibi ingerere quàm capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quàm multa ebrij faciant, quibus ſobrij erubeſcant. Nihil aliud eſſe ebrietatem, quàm voluntariam inſaniam. Extende in plures dies illum ebrium habitum: numquid de furore dubitabis? Nunc quoque non eſt minor, ſed breuior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum chariſſimum ſibi ac fideliſſimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certè delituit. Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam remouet.

Seneca Epiſt. 83.

Plures enim pudore peccandi, quàm bona voluntate, prohibitis abſtinent. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid malè latebat emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit: tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat; ſed cupiditatibus ſuis quantum petierint, ſine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolēti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido, omne vitium detegitur & prodit. Adijce illam ignorationem ſui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vetiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: ſtomachi tormenta cùm efferueſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen vtcunque tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt. Quid cùm ſomno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta eſt? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicoſásque hoſtibus tradidit. Hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: hæc contumaciſſimos & iugum recuſantes, in alienum egit arbitrium: hæc inuictas acies mero domuit. Alexandrum, cuius modò feci mētionem, tot itinera, tot in prælia, tot hyemes, per quas victa temporum locorumque difficultate tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt, intemperantia bibendi concidit. Hactenus Seneca. Cuius verba omnia referre hoc in loco volui, quoniam Rhetoricæ ac Dialecticæ orationis diſcrimen apertiſſimè docent. Nec tamen hoc modo Rhetor loqui ſemper debet, niſi cùm res amplificationem magis, quàm probationem deſiderat. In

probationibus namque Rhetor breuitatem & acumen Dialecticorum imitatur, ſed ſic tamen, vt oratio non neruis tantùm & oſſibus (vt anteà diximus) conſtet, ſed etiam carne & cute, hoc eſt, oratorio ornatu veſtiatur.

Lib. 4. de do. Chriſt. Adde, quòd auditor non ſolùm oratione flectendus, ſed etiam eiuſdem ſuauitate & elegantia delectandus, qua (vt Auguſt. docet) & libentius audit, & facilius capitur, & quò impellis ducitur. Nemo enim ad agendum flectitur, ſi grauatè & moleſtè audiat. Hoc autem anguſta & ieiuna oratione, qualis Dialecticorum eſt, fieri nequaquam poteſt. Hinc D. Auguſt. Si qui audiunt, inquit, monendi ſunt potius quàm docendi: vt in eo quod iam ſciunt agendo non torpeant, *Vbi ſuprà.* maioribus dicendi viribus opus eſt. Ibi obſecrationes, & increpationes, concitationes, & coercitiones, & quæcunque alia valent ad commouendos animos, ſunt neceſſaria. Hæc verò dicendi ratio non breuem & anguſtam, ſed vehementem, acrem, & copioſam orationem deſiderat. Ex his liquidò conſtat, qua in re hæ duæ artes inter ſe conueniant, & quibus in rebus diſtant, & quantò ſit difficilius voluntatem hominum impellere ad agendum, quàm intellectum rationibus conuincere ad aſſentiendum.

Orationem omnem in triplici genere verſari, expoſitione, argumentatione, aut amplificatione.

CAP. III.

CVM oratio, Rhetoricæ artis inſtrumentum ſit, qua munus ſuum orator exequitur, quiſquis orationis rationem, & partes om-

nes diligenter expenderit, inueniet planè omnes homines oratione aut ſimpliciter aliquid exponere, aut probare vel improbare, aut rem aliquam ad motum animi excitandum amplificare. Exponimus autem ſimplici oratione, aut hiſtorica narratione, qua mentem noſtram, vel id quod geſtum eſt, vel geri poteſt, explicamus. Probamus verò argumentis & rationibus, quibus rei dubiæ fidem facere conamur. Amplificamus autem, cùm amplo orationis genere, rem eſſe in genere ſuo maximam declarantes, ad iram, miſericordiam, mœrorem, odium, amorem, ſpem, metum, admirationem, vel ad quemuis alium affectum auditoris animum concitamus. Non ſum autem neſcius, communia eſſe probandi atque amplificandi loca & argumenta (vt paulò poſt videbimus) ſed quoniam tractandi ratio diuerſa eſt, docendi gratia alterum ab altero ſecernere maluimus.

Quia verò nullus inter homines ſermo, nullaque oratio eſt, quæ non in his tribus generibus verſetur, quo pacto vnumquodque horũ confici debeat, diligenter à nobis in hac arte aperiendum eſt. Sic enim fiet, vt Eccleſiaſtes, vbi quid horum in concione occurrerit, facilè intelligat, qua id ratione tractare commodiꝰ poſſit. Et quoniam inter tria hæc, probandi & argumentandi ratio præcipua eſt, ex qua etiam (vt modò diximus) vis amplificãdi manat: de hac primo loco, mox de alijs dicendum erit. Quia verò rectus dicendi ordo exigit, vt communiora prius, deinde minus communia (quæ ſub illis continentur) trademus, prius quidem communem hanc probandi methodum atque rationem (quæ ad omnia concionum genera pertinet) deinde

verò propria ſingularum concionum præcepta & argumenta exponemus. Quem ordinem & Cicero in Rhetoricis, & in Topicis Ariſtoteles ſequuti ſunt: ille enim veluti ſyluam quandam ad omnia argumentorum genera inuenienda propoſuit, deinde ad ſingulares cauſas tranctandas deſcẽdit: hic verò ſimili ratione locos omnes deſcripſit, qui ad omnem quæſtionem tractandam pertinerent: deinde ad ſingulares quæſtiones explicandas tranſitum fecit: in quibus, vel de genere rei, vel diffinitione, vel de proprio, aut accidente aliquid quæritur.

Diuiſio Quæſtionis.

Cap. IV.

1. Quæſt. diuiſio. QVONIAM omnis argumentandi atque probandi ratio (de qua in hoc ſecundo libro dicere inſtituimus (ad quæſtionem aliquám terminandam, deſtinata eſt, quotuplex ſit quæſtio, quæ in diſceptationem venit, explicandum prius videtur. Quæſtionum ergo genera duo ſunt: vnum infinitum (quod Græcè theſis, Latinè propoſitum) alterum finitum, quod Græcè hypotheſis, Latinè cauſa ſiue controuerſia dicitur. Theſis de genere vniuerſo quærit, ſine deſignatione perſonarum, temporum, locorum, & ſimilium: Hypotheſis verò de rebus ſingulis, quæ perſonis, temporibus, & locis implicitæ ſunt. Theſis eſt, Sitne ducenda vxor, Hypotheſis, Sitne Philoſopho? aut ſeni, hoc tempore, illo loco, illis moribus, peregrina, indotata, vetula, puella, Iulia Pompeio ducenda? Circunſtantias vocant, quibus ſit quæſtio finita: qualia ſunt, perſona, res, cauſa, tempus, locus & modus: de quibus commodiore loco dicemus. Infinita quæſtio
2. Diuiſ. duplex eſt, vel enim ad cognitionem pertinet,

cuius finis eſt ſcientia: vt, Sitne terra globoſa? veráne ſit vſquam amicitia? Vel ad actionem: vt, ſitne gubernanda reſpublica? quibus rebus amicitia colenda ſit? Superioris genera ſunt tria. An ſit, quid ſit, quale ſit, & ſimilia: quæ traduntur à dialecticis in tractatione thematum ſimplicium & copulatorum: vt, ſintne Pygmæi? fueritne ſemper mũdus? idemne ſemper ſit futurus? Quid ſit, vt, Quid anima? Quale ſit, vt, An cælum ſit coloratũ? Sitne laudabile, ſitne vtile philoſophię operam dare? Alterius verò quæſtionis (cuius videlicet finis non ſcientia, ſed actio eſt) duo ſunt genera: vnum ad officium, alterum ad motum animi, vel gignendum, vel ſedandum, planeue tollendum. Ad officium, ſicut cùm quæritur, ſuſcipiendíne ſint liberi? Ad mouendos animos, cùm fiunt cohortationes ad defendendam Rempubl. ad gloriam, ad laudem. Quo ex genere ſunt, querelæ, incitationes, miſerationesque flebiles. Rurſusque oratio, tum iracundiam reſtringens, tum metum eripiens, tum exultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abſtergens.

3. Diuiſ.

Hæc ex Cice. in lib. Topicorũ.

Ex hac autem quæſtionis diuiſione tria intelligimus, quæ ad hanc artem maximè neceſſaria ſunt: Primùm quidem alium inuentionis fontem ad infinitam quæſtionem, alium ad finitam, quas theſim & hypotheſim Græcè appellari diximus, requiri. Ad theſim quippe tractandam argumenta ex iis præcipuè locis depromuntur, quæ Græcè topica vocantur: ad hypotheſim verò ex Circunſtantiarum locis, quæ vel rebus, vel perſonis attributa ſunt: quandoquidem huiuſmodi quæſtiones (vt paulò antea diximus) rerum & perſonarum circunſtantiis implicitæ ſunt. Quanuis autem argumenta, quæ ex circum-

1. Vtilitas.

ſtantiis oriuntur, ad topicorum quoque loca referantur (vtpotè quæ ambitu ſuo omnia argumentorum genera comprehendant) quia tamen multiplices & variæ circunſtantiæ ſunt, multaque ex illis argumenta eruuntur, ſingularis earum tractatus à locis illis ſeiungi debuit, quò ea quæ illic breuiter in adiunctorum & cauſarum loco inſinuantur, copioſius & latius tractarentur.

2. *Vtilitas.* Hæc eadem quæſtionis diuiſio facit, vt intelligamus (quod & Cicero, & cæteri huius artis ſcriptores docent) nempè vt quæſtionem finitam ad infinitam; hoc eſt, hypotheſim reuocemus ad theſim. quod vt exemplo pateat, finita quæſtio eſt, An Ariſtotelis philoſophia ſit perdiſcenda: eius quaſi pars quædam eſt illa infinita. An philoſophia ſit perdiſcenda: ad quam orator finitam transferet: verum hac de re ſuo loco latius.

3. *Vtilitas.* Eadem etiam quæſtionis diuiſio valet, vt pernoſcamus aliter quæſtiones, quarum finis eſt ſcientia, aliter eas, quæ actionis appellantur, eſſe tractandas, in illis namque ſatis eſt vt vel rei naturam explicemus, vel dubiæ fidem faciamus: in his verò non ad ſciendum modò, ſed ad aliquid agendum, vel aliquem motum in animis excitandum, auditor impellendus eſt: quod maiorem vim & impetum orationis requirit, vt docuimus, cùm Rhetoricæ & Dialecticæ differentiam traderemus. His ita conſtitutis, de argumentorum inuentione, quibus infinitæ quæſtiones ſiue theſes tractantur, dicere incipiamus.

De locis unde argumenta ducuntur, quibus præcipuè infinita quæſtio tractatur.

C a p. V.

QVia omnis argumentorum inuentio vel ad probandum, vel ad amplificãdum deſtinatur, neceſſe eſt, vt omnia quæ rem probant, aut amplificant, rebus ipſis, quas probare vel amplificare volumus, aliqua ratione conueniant, vel illis etiam aduerſentur: cùm contrariorum eadem ſit diſciplina. Rebus autem ipſis quædam intrinſecus, quædam verò extrinſecus conueniunt. Nam genus, ſpecies, differentia, diffinitio, propria, accidentia, partes, totum cauſæ & effectus, rebus omnibus natura inſunt. Nulla enim res his velut affinibus & attributis deſtituitur. Eſt enim hæc velut communis rerum omnium genealogia, & veluti quædam conſanguinitatis arbor (qualem Theologi pingunt) quę ante ſe, & poſt ſe, à dextra, læuaque velut affines ſuos habeat. Et quidem anteriori loco ponuntur, genus rei, & totum, & partes, & cauſæ à quibus res profecta eſt: poſteriori verò loco effectus, qui ex cauſis conſequuntur, à dextra verò leuáque differentia rei, definitio, propriæ qualitates, & accidentia eius, niſi malis hęc duo poſteriora inter effectus collocare: quoniam à forma rei tanquàm à cauſa prodeunt. Hæc verò quæ rebus accidunt, alij adiacentia, alij adiuncta vocant, & in tria tempora partiuntur, antecedentia, concomitantia, & conſequentia. Quorum quædam neceſſariò, quædam verò non neceſſariò rebus cohærent: atque hæc poſteriora Dialectici cõmuniter accidentia vocant. Hæc igitur omnia, quæ

variè rebus adiuncta ſunt, intrinſecus eis conuenire dicuntur. Extrinſecus verò, ſimilia, diſſimilia, maiora, minora, paria, exempla, teſtimonia, & oracula (quæ ea de re prolata ſunt) rebus ipſis conuenire dicimus. Hæc autem rerum omnium attributa, tam Dialectici, quàm Rhetores locos appellarunt: quòd ex ijs tanquam è locis, & veluti promptuarijs argumenta omnia ſiue ad probandum, ſiue ad amplificandum eruantur. De quibus & Ariſtoteles, & Cicero, & Boëtius, multique lij inſignes ſcriptores, & noſtro ſeculo Rodolphus Agricola copiosè ſcripſerunt.

Et hi quidem prima diuiſione loca omnia in artificialia & artis expertia, ſiue inartificialia diſtribuunt? Ad hoc autem poſterius genus variæ autoritates & teſtimonia, tum diuina, tum humana, & varia item exempla, hoc eſt, præclarè dicta aut facta pertinent. Ad prius autem illud genus, alia omnia loca, quæ enumerauimus, referuntur: quæ vel in ipſa rei ſubſtantia inſunt, vel cum ea aliqua ratione, ſiue neceſſariò, ſiue non neceſſariò coniuncta ſunt. Dicuntur autem hæc artificialia, quoniam a ſeis probationes & argumenta arte & ingentio dicentis eruuntur: illa verò artis expertia, quoniam ab his argumenta non dicentis ingenio, ſed aliunde aſſumpta, ad cauſam aſſeruntur: quanuis eorundem commoda & venuſta tractatio maximè ad artem pertineat: niſi ſine arte (vt Rodolphus ait) putamus dixiſſe Lucanum:

Quis iuſtius induat arma
Scire nefas magno ſe iudice quiſque tuetur.
Victrix cauſa Deis *placuit, ſed victa Catoni.*

Hæc autem poſteriora loca, quanuis ſola exem-

pla& teſtimonia, partim diuina, partim humana comprehendant, infinitum tamen probationum & argumentorum campum nobis aperiunt, quando quicquid vbique ſiue in diuinis literis, ſiue in ſacris Canonibus & Concilijs, ſiue in Philoſophorum, Hiſtoricorum, & cunctorum ſapientum libris atque diſciplinis continetur, huic loco deſeruit. Probationes quippe ab his locis manantes, nequaquam arte & ingenio dicentis, ſed varia & multa omnis generis autorum lectione comparantur.

Sed ad inſtitutum redeuntes, ſumma huius artis eſt, vt propoſitionem aliquam, ſeu veram vel falſam, probaturus aut improbaturus, omnia quæ eius propoſitionis ſubiecto & prædicato (vt Dialectici loquuntur) conueniunt, hoc eſt, omnem (vt ita dicam) vtriuſque vocis genealogiam, diligenter exploret, nempè genus, ſpeciem, diffinitionem, & cætera, quæ ſuperius commemorauimus. Ex his nanque omnibus veluti locis argumenta promuntur. Cùm enim aliquid ſubiecto & prædicato conuenire in debita terminorum collocatione probatur, non dubium quin verè alterum de altero affirmetur: quando, quæ in vno tertio conueniunt, inter ſe quoque conuenire neceſſe ſit: contrà verò ſi diſſentiant, ipſa quoque inter ſe diſſentire opus eſt. Quam rem commodiſſimo exemplo Rodolphus oſtendit. *Rodolphus.* Si enim diiudicare velis an duæ (verbi gratia) columnæ, quæ longè à ſe diſtant, æquales an inæquales ſint, virgam vtrique parti adhibes: quæ ſi vtrique par ſit, æquales eas eſſe iudicas: ſi impar, inæquales. Eadem ergo ratio argumentandi eſt. Tertiumque illud vtrique parti applicandum, medium appellant: quod quidem ex his o-

mnibus rerum attributis, quæ ſupra commemorauimus, deſumitur.

Sed operæ pretium erit, hæc ipſa propoſitis aliquot exemplis illuſtrare. Sumamus, exempli gratia, pium ſanctæ orationis ſtudium, quod hominibus commendare volumus, & quæ illi conueniant, exploremus: vt ex eis ad perſuadendum
Oratio. argumenta ducamus. Genus huius virtutis eſt Religio, quæ virtutum moralium præſtantiſſima eſt. Definitio eſt, eleuatio mentis in Deum, vel petitio rei dicentis à Deo. Cauſa orationis præcipua eſt Spiritus Sanctus, nos ad orandum inducens, & poſtulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Cauſæ verò ad orandum impellentes ſunt, quotidianæ huius vitæ miſeriæ, & præſentiſſima pericula, & maxima humani cordis ad malum procliuitas, quæ continua diuini numinis ope eget, & ſumma item Dei noſtri bonitas, quæ vt petamus præcipit, & petentibus auxilium pollicetur. Effectus orationis ſunt, primùm quidem gratiæ & gloriæ augmentum (ſicut cætera virtutum opera in charitate edita) promereri. Deinde pro commiſſis Deo ſatisfacere. Tertiò, id quod petimus, ſi debitè & religioſè petamus, impetrare. Quartò demum, animo corroborari, & cœleſti luce atque ſpirituali dulcedine refici atque compleri: & nonnulli item alii, quos longum eſſet enumerare. Partes verò eius, oratio vocalis atque mentalis, ſeu malis partes eius eſſe, quas
1.Tim. 2. Apoſtolus enumerat, cùm ait: Obſecro primùm omnium fieri orationes, obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones, &c. Quæ verba Caſſianus in Collationibus Patrum diligenter explicat. Adiuncta orationi ſunt, quæ neceſſariò cum ea cohærent fides, ſpes, charitas, & attentio, cæ-

teræque virtutes: ſine quibus oratio grata Deo non fit. Adiuncta verò quæ frequenter illam conſequuntur, ſunt vitæ puritas, ſolitudinis amor, ſanctorum deſideriorum ſeges, & robur animi aduerſus peccatum, deuotio & alacritas ad omnia pietatis opera, contemptus rerum humanarum. Guſtata enim ſpirituali ſuauitate (quæ deuotæ orationis comes eſt) ſordet omnis caro. Hæc autem dixi frequenter orationi adiuncta eſſe, quoniam nonnullos orare videmus, qui tamen in virtutis & iuſtitiæ cultu negligentiores ſunt. Similia verò orationi ſunt lectio, meditatio, & contemplatio, quòd his etiam officijs mens eleuetur in Deum. Orationi autem aduerſatur obliuio Dei: quæ malorum omnium origo, ſicut oratio bonorum omnium fons & initium eſt. Iam verò exempla & teſtimonia, ſiue ſacrarum literarum, ſiue ſanctorum Patrum, quæ orationem commendant, eiusque vtilitates & neceſſitatem declarant, innumera ſunt, & paſſim obuia. Hæc enim argumenta, quæ artis expertia eſſe diximus, non dicentis ingenium, ſed memoria, & varia omnis generis autorum lectio præſtat. Dei etiam obliuio, quę orationi aduerſatur, non minus nos, quàm quiuis aliorum locorum iuuare ad inueniendum poterit. Cùm enim explicuerimus, quæ mala ex Dei obliuione conſequantur, facilè erit intelligere, quàm ſit oratio commendanda: quæ nos à tot malis liberat, dum aſſiduè mentem in Deum attollit. Hoc igitur exemplo apertè liquet, quanta argumentorum copia hac arte quæratur. Ex his nanque precationis attributis quę annotauimus, facilè ad eam commendandam varia argumenta promuntur.

Sed inter hos tamen locos, qui ab effectibus

præcordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & comploſæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque iræ minas agens, fœda viſu, & horrenda facies depranantium ſe ac intumentium. Neſcias vtrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme. Cætera licet abſcondere, & in abdito alere: ira ſe profert, & in faciem exit, quantoque maior eſt, hoc efferueſcit manifeſtius. Iam verò ſi effectus eius, damnaque intueri velis, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Videbis cædes ac venena, & reorum mutuas ſordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium, & principum ſub ciuili haſta capita venalia, & ſubiectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flamma relucentia. Aſpice nobiliſſimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Aſpice ſolitudines per multa millia ſine habitatione deſertas: has ira exhauſit. Aſpice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. Hæc omnia ex Seneca, qui multa alia his ſimilia enumerat. Quo exemplo apparet, quàm ſit fœcundus hic locus, qui ab effectibus & adiunctis rerum ſumitur. Simili quoque ratione Archytas ille Tarentinus apud Ciceronem, voluptatem ex iiſdem locis accuſat & diſſuadet. Ait enim, nullam capitaliorem peſtem, quàm voluptatem corporis hominibus à natura datam, cuius voluptatis auidæ libidines, temerè & effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc Patriæ proditiones, hinc rerum publica- *Cicer. de ſenec.* *Voluptas.*

rum euerſiones, & cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci. Nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra verò, adulteria, & omne tale flagitium, nullis alijs illecebris excitari, niſi voluptatis. Cúmque homini ſiue natura, ſiue quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri ac dono nihil tam eſſe inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locum eſſe omninò, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Quod quò magis intelligi poſſet, fingere animo aliquem iubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima; nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet. quocirca nihil eſſe tam deteſtabile, tamque peſtiferum, quàm voluptatem. Siquidem ea cùm maior eſſet atque longinquior, omne animi lumen extingueret. Hactenus ille. Diuus verò Cyprianus his duobus locis diffinitionem & comparationem adiungens, nos ab inuidiæ peſte deterret his verbis: Qualis animi tinea eſt, aut quæ cogitationum tabes, inuidere in altero virtutum eius aut felicitatem, odiſſe in eo vel merita propria vel beneficia diuina, in malum proprium bona aliena conuertere, aliorum gloriam facere ſuam pœnam. Non cibus talibus lætus, non poteſt eſſe iucundus, ſuſpiratur ſemper, & gemitur, & doletur. Dumque ab inuidis numquam liuor exponitur, diebus ac noctibus ſine intermiſſione pectus obſeſſum dilaniatur. Mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero

Cyp. ſer. de liuore.

Inuidia.

ceſſat facinus perpetrato ſtupro, in latrone conquieſcit zelus homicidio admiſſo, & prædoni rapacitatem ſtatuit poſſeſſa præda, & falſario modum imponit impleta fallacia: zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, ac ſine fine peccatum eſt. Quantoque ille, cui inuidetur, ſucceſſu meliore profecerit, tantò inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardeſcit. Hinc vultus minax, toruus aſpectus, pallor in facie, in labijs tremor, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrænata conuitia, manus ad cædis violentiam promptæ etiam ſi gladio interim vacuæ, odio tamen furioſæ mentis armatæ. Hactenus Cyprianus. Hæc autem ideo tot à me exemplis explicata ſunt, vt ſtudioſus Concionator apertè videret, argumenta omnia, quibus aliquid vel probamus, vel amplificamus ex ijs quæ rebus attributa, & natura cum illis coniuncta ſunt, eſſe ſumenda.

De duobus alijs argumentorum fontibus, nempè genere rei, & eius contrarijs.

Caput VI.

HIc igitur primus ac præcipuus argumentorum fons, qui ex attributis earum vocum, quę in quæſtione ponuntur (hoc eſt, ſubiecti, & prædicati, vt appellant) proficiſcitur. Sunt autem duo alij, è quibus etiam, ad eandem quæſtionem tractandam, argumenta ſumuntur: nempè genus rei, ſiue vnum, ſiue multiplex ſit. De genere, hoc ſit exemplum. Si quis ab adulterij crimine deterrere velit, adulterij genera inſpiciat. Eius enim genus proximum eſt *Adulterium.*

impudicitia, remotius verò lethale peccatum. Qui igitur ab adulterio dehortatur, primùm, quàm ingens periculum ſit, in lethali peccato diu permanere, declarare poterit, mala omnia, quæ peccatum ſecum affert, commemorando: quæ ex omnibus locis, hoc eſt, ex omnibus ijs quæ peccato attributa ſunt, colligi poterunt. Deinde ad proximum impudicitiæ genus deſcendens, illud Apoſtoli proferre poterit: Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat: illud videlicet fœdando, ac turpiter inquinando. Cætera quoque mala, quæ impudicitiæ attribuuntur, ſimili ratione tractari poterunt. Tertio verò loco ad propria adulterio attributa tractanda perueniet, vt ex rei proprijs (quod eſt multò commodius) argumentetur. Argumenta verò, quæ à rerum generibus ducuntur, ex illa Ariſtotelis regula, quæ in anteprædicamentis ponitur, vim habent: Quando alterum de altero prædicatur, tanquam de ſe ſubiecta ſibi ſpecie, quæcunque de eo quod prædicatur, dicuntur, de ſubiecta quoque ſibi ſpecie dicuntur. Hoc eſt, quidquid generi cõuenerit, ſpeciei quoque ſubiectæ conuenit. Conſtat enim ſuperiora omnia inferioribus conuenire, & de illis (vt Dialectici loquuntur) prædicari.

Cor. 6.

Neque verò ea quæ rebus ipſis, de quibus dicimus, contraria ſunt, minorem argumentorum materiam ſuppeditabunt: quandoquidẽ (vt Philoſophi tradunt) eadem contrariorum diſciplina eſt. Quod planè non in cæteris rebus modò, ſed in moribus præcipuè locum habet. Quo enim deteſtabiliorem ſuperbiam, impudicitiam, auaritiam, & iracundiam oſtenderis: hoc magis hu-

militatem, caſtitatem, libertatem & manſuetudinem commendabis: quæ nos à tot malis & incommodis liberant. Hinc D. Cyprianus, vbi huius virtutis vtilitatem, neceſſitatem, cæteraſque eius laudes expoſuiſſet, impatientiæ mala commemorat, vt patientiæ laudes amplificet, quæ nos à tanto malo liberat. Sic enim ait: Atque vt magis, fratres dilectiſſimi, patientiæ bonum luceat, quid mali è contrario impatientia importet, conſideremus. Nam vt patientia bonum Chriſti eſt, ſic è contra impatientia Zabuli malum; & ſicut in quo habitat & manet Chriſtus patiens inuenitur, ita impatiens ſemper exiſtit: cuius mentem Zabuli nequitia poſſit, &c Et paulò poſt ita concludit: Et ne longum ſit ſingulatim recenſere omnia, omnino quæ patientia ædificat ad gloriam, impatientia deſtruit ad ruinam: quare fratres dilectiſſimi, & bonis patientiæ, & impatientiæ malis diligenter expenſis, patientiam, per quam in Chriſto manemus (vt venire cum Chriſto ad Deum poſſimus) plena obſeruatione teneamus. Hactenus Cypr.

Cyp. ſer. de patientia.
Patientia.

Neceſſariam eſſe Concionatori abſolutam earum rerum ſcientiam, de quibus eſt dicturus, quo ſupradictis locis vti poſſit.

CAP. VII.

CVm igitur argumenta ex his omnibus quæ natura ipſa rebus conueniunt, eruenda ſint, liquet ſanè, plenam earum rerum, de quibus dicturi ſumus, ſcientiam nos ad hoc prius habere oportere. Cùm enim Dialecticus me admoneat, vt rei genus, diffinitionem, proprias paſſiones, & affectiones, cauſas, effectus, ac partes rei, cæteraque his ſimilia explorem, quid mihi hæc admo-

nitio proderit, niſi prius ego iſta omnia noueriũ? Quomodo autẽ ea noſſe potero, niſi plenam eius rei ſcientiam habuero, quæ hæc omnia tradit? Itaque attentius mihi hanc topicorum artem conſideranti apparet, eam ſimilem ijs artibus eſſe, quæ methodum quidem & rationem rerum faciendarum tradunt: quæ tamen materiam aliunde oblatam ſumunt, qualis pharmacopolarũ ars eſt: quæ docet ex quibus herbis hoc aut illud pharmacum confici debeat, cùm aliunde tamen herbas accipiat, quibus ea pharmaca componat. Ad hunc ergo modum Dialecticus in quæſtionibus quas tractat, ea quæ rebus natura ipſa conueniunt & attribuuntur, explorare docet: vt ex eis argumenta inſtituto ſuo accommodata eruat. Hæc tamen attributa nõ ipſe, ſed illę diſciplinæ præſtant, quæ hiſce de rebus tanquam de propria materia diſputãt. Ex hac autẽ animaduerſione colligitur, totius moralis Philoſophiæ & Chriſtianæ doctrinæ concionatorem peritum eſſe debere. Cùm enim illi de virtutibus & vitijs, de legis diuinæ præceptis, de ſacramentis, de Chriſtianę fidei myſterijs (quæ in ſymbolo continentur) dicendum perpetuò ſit, debet vtique is (quoad eius fieri poterit) abſolutiſſimam harum rerum ſcientiam habere: vt ex ijs quæ hiſce rebus attribuuntur atque conueniunt, argumenta ſumere poſſit: quæ ad ſuadendum vel diſſuadendũ, probandum aut improbandum, & amplificandum vel extenuandũ conducere valeant. Vnde autem hæc copia, niſi ex varia ſanctarum ſcripturarum, veterumquè Patrum lectione colligi poteſt? Debet igitur priuſquam hoc munus attingat, varia & multiplici lectione refertum pectus habere: vt tãquam ſcriba doctus in regno cęlorum, proferat de theſauro ſuo

noua & vetera. Qui enim cùm primùm munus hoc aggrediuntur, Sanctorum Patrum ſcripta legere incipiunt: hi non vetera & noua, ſed noua ſolùm contra hoc Chriſti Domini conſilium proferunt. Qua in re vermiculos, quos bombices appellamus, imitari debent: quæ pluribus diebus nihil aliud faciunt, quàm arborum foliis corpora ſaginare: deinde, vbi in iuſtam corporis magnitudinem excreuerint, ſerica fila nectere die noctuque non deſiſtunt. Eos verò, qui ſine hac ſtudioſa præparatione munus hoc obeunt D. Gregor. caſtigat his verbis. Videant, quos á prædicationis officio ætas vel imperfectio prohibet, & tamen præcipitatio mouet, ne cùm intempeſtiuè arripiunt quod non valent, perdant illud quòd tempeſtiuè aliquoties implere poſſent. Nam & pulli auium, ſi ante pennarum perfectionem volare appetant, vnde in alta ire cupiunt, inde in ima cadunt: ſic & conceptam ſobolem, ſi priuſquam formetur, fœmina profert, non tam domum, quàm tumulum replet. Hæc ille. In hoc autem ſtudio primum eſt, vt in lectione delectum adhibeat: vt non trita, & vulgaria, & paſſim obuia, ſed præſtantiſſima quæque eligat, & quæ non tam tinnitu & illecebra verborum aures mulceant, quàm quæ acumine & grauitate ſententiarum vim & pondus habeant: & multa paucis comprehendant: vt in ijs eruendis & ponderandis paululum operæ ſuæ concionator ponat. Proximum verò (idque maximè neceſſarium eſt) vt albiolo ad hoc ante parato, & titulis rerum omnium quæ in concionis argumenta cadunt, inſignito, quæ inuenta fuerunt, in his locis collocet: & multa etiam, quæ ad Euangelia, quæ vel Dominis, vel Feſtis diebus ab Eccleſia

Simile. *Simile.*

leguntur, pertinent, ſimili ratione annotabit. Hos ergo proprios & ſingulares locos concionatori maximè vtiles & neceſſarios duco: vt ſi de humilitate, charitate, patientia, abſtinentia, precandi ſtudio: contraque ſi de ſuperbia, auaritia, inhumanitateque dicendum ſit, hos locos conſulat, & ex huiuſmodi penu, ac veluti promptuario ſumat, quod ſibi ad dicendum commodius viſum fuerit.

Neque ſola lectione contentus eſſe debet: ſed quæcunque ab aliis ſiue concionatoribus, ſiue cuiuſuis ordinis hominibus grauiter & ſententioſè dicta fuerint, vel ipſi aliud etiam agenti in mentem venerint, quæ vim & pondus aliquod ad mnnus ſuum habeant, nullo modo negligenda putet: ſed protinus ſchedulis breuiter committat, vt opportunitatem nactus ea in ſupradictis locis reponat. Quæ enim noſtra ſunt, multò & copioſius & vehementius (tanquam arma viribus & corpori noſtro accommodata) tractamus. Hæc enim cura atque diligentia fit, vt theſaurus noſter paulatim augeatur, & poſt aliquot annos ingens deinde ſelectarum rerum cumulus tam multis acceſſionibus ſurgat.

Ex lectione autem ſanctarum ſcripturarum reconditiora loca ſeligere curemus, quæ nouitate & dignitate ſua auditores excitent: quorum multa ex Prophetarum & Sapientiæ libris colligere licet. Loca enim ab aliis penè detrita & paſſim obuia minus mouent, niſi ea inſigni aliqua expoſitione ex communibus noua quodammodo faciamus. Danda etiam opera eſt, vt pleraque ſcripturarum loca inſigni aliqua expoſitione aut commentatione illuſtremus: vel ſententiæ vim & grauitatem ponderantes, vel tropum, ſi

quis eſt, aut emphaſim, quæ frequenter in vna voce latet, excutientes. Neque tamen oportet, multis Scripturę teſtimoniis ad vnum aliquid probandum vti: quòd nonnulli faciunt, oſtentandæ magis memoriæ & eruditionis, quàm ædificationis gratia: ſed modus atque delectus habendus eſt, neque quid inſidioſus inuentionis noſtræ amor ſuggerat, ſed quid res poſtulet, cogitandum. Non enim locus deerit, quò ijs, quæ in tempore recitemus, vti poſtea valeamus.

Qui igitur diligenti ſtudio, lectione, & meditatione hunc ſibi theſaurum opportuno tempore comparauerint, grauiter & acres in dicendo erunt, vberrimumque laboris ſui fructum referent. Qui verò vacui, ieiuni, & ſteriles hoc munus aggrediuntur, quam frugem referre poterunt, niſi vt tales auditores ſuos relinquant, quales ipſi ad dicendum acceſſerunt? Quocirca ſummùm concionatoris ſtudium in diuinarum ſcripturarum & Sanctorum Patrum lectione inſumi debet, quórum inuentis ſua quoque inuenta augere & locupletare debet. Eſt enim valde anguſta humani ingenij vena: quæ in aliorum ſtudiis velut lucernarum acceſſione iuuetur, exiguum ſanè lumen præferet. Hinc tot Homiliarij noſtro ſeculo prodierunt, in quorum lectione vix inſigne aliquid legentes inuenimus: propterea quòd eorum autores ingeniorum ſuorum inuentis & labore contenti, & rerum ſuarum amore allecti, quæ ipſis, velut ingenij ſui fœtus placuerunt, aliis etiam placitura credebant. Eget ergo Eccleſiaſtes multa variaque lectione, & inſignium ſententiarum obſeruatione. Non enim alia ratione dictum à veteribus eſſe credo. Poëtam naſci, Oratorem fieri: niſi quòd facultas illa

præcipuè naturæ beneficio, hæc verò ſtudio, meditatione, aſſidua lectione, multa exercitatione & imitatione comparetur. Ex ſacris autem autoribus Hieremias (vt cæteros Prophetas ſileam) quamuis (vt D. Hieronymus ait) minus in verborum delectu cultus, quàm Eſaias ſit, admirabilis mihi concionator eſſe videtur. Tot enim dicendi figuris & affectibus, tantáque vi & acrimonia verborum vtitur, totque modis & furorem Domini amplificat, & in prauos hominum mores inuehitur, vt vix quicquam aut grauius, aut vehementius, aut pro rei magnitudine conuenientius excogitari poſſit. Ex Eccleſiæ verò Patribus D. Chryſoſt. maximè legendus: quòd ſit eloquentiſſimus populique auribus ita accommodatus, vt vix vnquam à ſalutari eius inſtitutione orationem flectat. Hic autem vir admirandus, non modò ad ſententiarum grauitatem, ſed ad vim etiam eloquendi, & tractandorum animorum rationem plurimum conferet: præſertim ſi aſſidua lectione Eccleſiaſtes eum ſibi familiarem fecerit. Rectè enim D. Augu. Si ex conſuetudine loquentium, fiunt homines loquentes, cur ex conſuetudine eloquentium, non fiunt eloquentes? Vnde etiam eloquentiæ præcepta manarunt, niſi ex obſeruatione eorum, qui optimè ab ipſa natura ad dicendum compoſiti erant? Hinc Diuus Auguſtinus. Si acutum, inquit, & feruens adſit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus & audientibus eloquentes, quàm eloquentiæ præcepta ſectantibus, accedente maximè exercitatione ſcribendi vel dictandi.

Aug. lib 4. de doctrina Chriſt.

Auguſt. ibidem.

De locis ex circunſtantiis rerum & perſonarum.

CAP. VIII.

PRæter hos communes locos, alij quoque aſſignantur ex perſonarum & rerum circunſtantijs: qui ad ſuperiores quoque referuntur, & ab illis manant. Tractantur autem ſeorſum ab eis, quoniam ad certa genera quæſtionum pertinent quorum naturam propius, quàm communia illa loca attingunt, quæ latiſſimè vagantur. Hoc autem in loco ad mentem reuocare oportet, quod initio huius ſecundi libri diximus, nempè duo eſſe genera quæſtionum: quædam enim ex communibus vocibus conſtant: quas Rhetores infinitas, ſiue theſes appellant: quædam verò, quæ rerum & perſonarum circunſtantijs implicitæ ſunt (quæ videlicet ex propriis & ſingularibus nominibus conſtant) quas finitas, vel hypotheſes nuncupari diximus. Priorum exemplum eſt, cum de adulterij deformitate in commune, poſteriorum verò, cum de Dauidis adulterio dicimus, vtriuſque deformitatem amplificantes. Sic etiam obedientiam & pudicitiam in commune laudamus, & Abrahæ obedientiam, & Ioſephi pudicitiam ſigillatim amplificamus. Ad eas igitur quæſtiones, quas theſes appellari diximus, priores illi loci accommodati ſunt: ad has verò poſteriores non illi ſolùm, ſed hi qui à circunſtantijs rerum & perſonarum ducuntur, maximè deſeruiunt: cum ea complectantur, quæ ſingularibus rebus atque perſonis conueniunt. Quæ autem illa ſint, iam explicamus.

Perſonis vndecim hæ circunſtantiæ tribuuntur. Nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes. Nomen eſt, quod vnicuique perſonæ datur, vt Petrus, Ioannes, &c. In natura huiuſmodi conſiderantur, ſexus, natio, patria, cognatio, ætas, dignitas. Sexus, vir an mulier ſit. Natio, Græcus an Barbarus. Patria, Athenienſis an Lacedæmonius. Cognatio, quibus maioribus, quibus conſanguineis ſit. Aetas, puer an adoleſcens, natu grandior an ſenex. In dignitate autem commoda & incommoda conſiderantur, à natura data animo aut corpori hoc modo. Valens an imbecillis, longus an breuis, formoſus an deformis, velox an tardus ſit, acutus an hebetior, memor an obliuioſus, comis, officioſus, pudens, patiens, an contra. Et omnino quæ à natura data animo & corpori conſiderabuntur, in natura conſideranda ſunt. Nam quę induſtria comparantur, ad habitum pertinent: de quo poſterius dicendum eſt. In victu, ſiue educatione, conſiderare oportet, apud quem, & quo more, & cuius arbitratu ſit educatus: quos habuerit artium liberalium magiſtros, quod viuendi præceptores, quibus amicis vtatur, quo in negotio, quæſtu, artificio ſit occupatus, quomodo rem familiarem adminiſtret, qua conſuetudine domeſtica ſit. In fortuna quæritur, ſeruus ſit an liber, pecunioſus an tenuis, priuatus an cum poteſtate: ſi cum poteſtate: iure an iniuria, fœlix, clarus, an contra, quales liberos habeat. Ac ſi de non viuo quæretur, etiam quali morte ſit affectus, erit conſiderandum. Habitum autem hunc appellamus animi aut corporis conſtantem, & abſolutam aliqua in re perfectionem, vt virtutis aut artis alicuius perceptionem, aut quamlibet ſcientiam

Huc omnia ex Cicerone, l. de Inuen.

dam. Et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, ſed ſtudio & induſtria comparatam. Affectio eſt animi aut corporis ex tempore aliqua de cauſa commutatio, vt lætitia, cupiditas, metus, moleſtia, morbus, debilitas, & alia, quæ genere in eodem reperiuntur. Studium autem eſt animi aſſidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluptate occupatio, vt philoſophiæ, poëtices, geometriæ, literarum. Conſilium eſt aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio. Facta autem & caſus, & orationes, tribus ex temporibus conſiderabuntur, quid fecerit, aut quid ipſi acciderit, aut quid dixerit, aut quid modò faciat, quid ipſi accidat, quid dicat: aut quid poſtea facturus ſit, quid ipſi caſurum ſit, qua ſit vſurus oratione. Ac perſonis quidem hæc videntur eſſe attributa: à quibus omnibus argumenta ſiue ad probandum, ſiue ad amplificandum duci poſſunt. Cæterùm à perſonæ nomine, quod primo loco poſuimus, rarò argumenta ſumuntur, niſi cùm nomen ipſum ſingulari aliqua ratione perſonæ ſit impoſitum, vt glorioſum Ieſu nomen. Item Abrahæ, Saræ, Iſaac, Iacob, Iſraelis, Ioſeph, Ioannis, Petri, & ſimilium. At verò à nominibus appellatiuis rectè argumenta ducuntur, & ab ethymologia nominis appellantur. Qui locus diffinitioni proximus eſt, & inter prioris ordinis locos numeratur. Ex hoc autem loco ſic D. Hieron. cum Heliodoro argumentatur; Quid facis in turba, qui monachus es? Et ad Nepotianum, Clericus, inquit, interpretetur primò vocabulum ſuum: & nominis ſui diffinitione probata, nitatur eſſe quod dicitur. Si enim Cleros Græcè, Latinè ſors dicitur; propterea vocantur clerici, quia vel ipſi ſunt de ſorte

Hier. in Epiſt.

Domini, vel Dominus ſors illorum eſt. A genere hortamur ad virtutis ſtudium, ne videlicet homo à parentum moribus & nobilitate degeneret. Et ab hoc item amplificamus eorũ prauitatem, qui ab hac nobilitate degenerarunt: eorũque mores coniicimus, qui à ſceleratis parenrib⁹ orti ſunt. Vnde eſt illud: Mali corui, malũ ouum. Improbus eſt, quoniam improbis natus parẽtibus. A natione: Pœnus eſt, ergo perfidus. Cretẽ-
Ad Tit. 1. ſis eſt, ergo mendax. Cretenſes enim (vt Apoſtolus quoque meminit) ſemper mẽdaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Daniel quoque ad impudicũ
Daniel. 13. ſenem ait: Semen Canaan & nõ Iuda, ſpecies decepit te. Et per Prophetam Dominus: Radix tua
Ezec 16. & generatio tua de terra Canaan, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cetea. Hic ex patria impiorum colligit deprauatos populi mores, quales harum gentium erant. A ſexu, probamus fœminarum inconſtantiam, iuxta illud, Varium
Mulier. & mutabile ſemper fœmina. Item affectuum vehementiam. Eſt enim fœmina animal vehementer affectibus obnoxium. Vnde eſt illud Publii Mimi: Aut amat, aut odit mulier: nihil eſt tertium. A ſexu etiam amplificamus mirabilem illam fortitudinem matris ſeptem Machabæorum, & beatæ item Felicitatis ac Symphoroſæ: quæ filiorum necem pluſquam virili animo tulerunt. Sic Diuus Cyprianus de fœminis fortiter
Cyprian. ſupplicia perferentibus. Fœmina, inquit, torta, viris torquentibus fortior inuenitur. Ab ætate: Ignoſcendum, quoniam puer eſt. Terentius: Amauit dum ætas tulit. Conſilio valere hunc credibile eſt, vel attentum eſſe ad rem: quoniam ſenex eſt. Ab educatione & inſtitutione: Prauus eſt, quoniam malẽ educatus, & ab ineunte ętate

mala didicit,malis operam dedit magiſtris,atque ineptis. Ab animi affectione : Cum ſceleratiſſimus hic ſemper fuerit, quid mirum, ſi creditum abiurarit? Huc animi bona referuntur, & vitia. A conditione&fortuna: Huic,quoniam pluſculum acceſſit pecuniæ, ſublati ſunt animi. Pauper vbique iacet? Huc pertinet illud Eccleſiaſtici : Si diues fueris, non eris immunis à delicto. Et il- *Eccl. 11.*
lud item eiuſdem : Diues locutus eſt,& omnes ta- *Idem 13*
cuerunt,& verbum illud vſque ad nubes perducent. Pauper locutus eſt,& dicunt: Quis eſt hic? A victu : Improbus eſt, quoniam cum improbis verſatur. Sic Salomon: Qui cum ſapientibus gra- *Proue.*
ditur,ſapiens erit : amicus ſtultorum ſimilis ef- *13.*
ficietur. Item. Qui tangit picem,inquinabitur ab *Eccleſ.*
ea:& qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiã. *13.*
A ſtudijs : Non eſt voluptuarius, quoniam literarum ſtudioſus. A rebus geſtis : Mandandũ eſt Pompeio bellũ Mithridaticum, quoniam multa bella feliciſſimè confecit.

Rebus autem & negotijs ſeptem hæc attributa ſunt: Res, Cauſa, Locus, Tẽpus, Occaſio, Modus. Facultates,ſiue inſtrumenta. Res ſiue negotium eſt breuis complexio totius negotij : quæ ſummam continet facti, hoc modo,parentis occiſio, patriæ proditio. Cauſa eſt,per quã,&quã-obrem,&cuius rei cauſa aliquid factum ſit,quæritur. Quo nomine & efficientem cauſam, & finem,qui ad opus aggrediendũ impulerit, cõplectimur. Locus etiam,ſacer an prophanus, publicus an priuatus, alienus an ipſius de quo agitur, locus ſit,aut fuerit. Tempus autẽ eſt pars quædã æternitatis cum alicuius anni, menſtrui, diurni, nocturniúe ſpatii, certa ſignificatione. Occaſio autem eſt pars temporis, habens in ſe

alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. Quare cum tempore hoc differt: nam genere quidem vtrumque idem eſſe intelligitur, verùm in tempore ſpatium quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut aliqua anni parte ſpectatur: in occaſione autem ad ſpatium temporis quædam faciendi opportunitas intelligitur adiuncta. Modus autem eſt, in quo quemadmodum, & quo animo factũ ſit, quæritur. Eius partes ſunt prudentia & imprudentia. Prudentia autem quæritur ex his, quæ clam, palam, vi, perſuaſione fecerit. Imprudentia verò in purgationem confertur: cuius partes ſunt inſcientia, caſus, neceſſitas, & in affectionem animi, hoc eſt, moleſtiam, iracundiam, amorem, & cætera quæ in ſimili genere verſantur. Facultates, aut quibus facilius quid fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt. In quo genere inſtrumenta quoque ponuntur: quibus res facta eſt. Facultas autem & occaſio magnam ad aliquid gerendum opportunitatem præbere ſolent. Hæ ſunt igitur circunſtantiæ, quæ perſonis & negotiis ſingularibus tribuuntur: à quibus argumenta in propoſitionibus, quas hypotheſes appellari diximus, manant. quæ aliis nominibus hoc modo breuius deſignantur. Quis, quid, quamobrem, quando, vbi, quomodo. quis? vt Græcus, fortis, ignauus, & cætera, quæ perſonis attributa eſſe diximus. Quid, vel quale, vel quantum? vt furtum, ſacrilegium, honeſtũ, turpe, vtile, nouum, atrox. &c, Quamobrem? odio, ira, ſpe lucri, &c. quando? die, noctu, &c. Vbi? in templo, in ſylua, &c. Quomodo? palam, gladio, dolo, veneno, laqueo, incantationibus, internũcijs, &c. Præcipuus tamen circunſtantiarum v-

ſus in amplificando, & minuendo cernitur. Nulla enim circunſtantia eſt, quæ alicui rei addita, non eam vel amplificet, vel extenuet. Quam rem ſuo loco propoſitis exemplis declarabimus: quibus ſtudioſus Concionator intelliget, quantam ex hoc circumſtantiarum tractatu frugem colligere poterit.

Cæterùm quanuis argumenta ad eas quæſtiones tractandas, quas hypotheſes appellari diximus, ex his circunſtantiarum locis, quos modò enumerauimus, ducantur: danda tamen opera eſt (ſicut initio admonuimus) vt hypotheſim reducamus ad theſim, hoc eſt, vt ſingularẽ quæſtionẽ ad cõmunem reuocemus, quæ ferè priorem orationis partem occupare ſolet. A communioribus enim ad minus communia, & à genere in ſpeciem Philoſophi deſcendere docent. Exempli gratia: ſi amicum aliquem ad Cartuſiani inſtituti profeſſionem adhortari volumus, prius in commune de monaſticæ vitæ laudibus & commendatione dicemus: deinde ad ſingulares amici & Cartuſiæ circunſtantias, quæ ad hanc exhortationem conducere videbuntur, veniemus. Sunt enim (vt ait Cic.) ornatiſſimæ orationes eæ, quæ latiſſimè vagantur, & à priuata ac ſingulari controuerſia ſe ad vniuerſi generis vim explicandam conferunt: vt ij, qui audiunt, natura, & genere, & vniuerſa re cognita, de ſingulis rebus ſtatuere poſſint. Quod vt facere queat orator excellens, à propriis perſonis, & temporibus ſemper, ſi poteſt, auocat controuerſiam, & ad vniuerſi generis orationẽ traducit. Vt autem quoties argumenti ratio occaſionem nobis præbet, hypotheſim reuocamus ad theſim: ita cõtra nõnunquam theſim deflectimus ad hypotheſim: vt

Quæſtio finita reuocãda eſt ad infinitam.

Cic. 1. de Orat.

ſi quis in vniuerſum ab impudicitiæ flagitio homines deterrere velit, vbi mala quæ hoc vitium comitantur, expoſuerit, poterit ad ſingulares perſonarum circunſtantias deſcendere, & quibus eas incommodis afficiat, explicare. Verbi gratia: ſi homo ſenex fuerit, ſi adoleſcens, ſi nobilis, ſi literarum ſtudijs addictus, ſi officium publicum gerat, ſi ſactis initiatus ſit: ſi fœmina fuerit, ac præcipuè ſi nupta, &c. In his igitur omnibus, quàm ſit hoc vitium vnicuique harum perſonarum fœdum atque deforme, ex ipſis perſonarum circunſtantijs ſigillatim demonſtrare conabimur, hoc modo: Si ſenex fueris, canos intuere, qui te continentiæ & honeſtatis admonent: docéntque, eam ætatem non amatoriis leuitatibus deformandam, ſed virtutis & ſapientiæ ſtudiis decorandam. Si iuuenis, ne cõmittas, vt pulcherrimus iſte ætatis flos huius vitij turpitudine maculetur, quòd te captiuum poſt ſe trahat, & cum ipſa ætate adoleſcens ad ſenectutem vſque perſequatur. Ad hunc modum cæteræ perſonarum circunſtantiæ breuius aut longius tractari poterunt.

De formis argumentorum, atque in primis de Inductione.

C A P. IX.

QVemadmodum res omnes, quæ vel natura vel arte conſtant, ex materia & forma compoſitæ ſunt: ita argumentatio, quæ ab arte excogitata eſt, ſuam quoque & materiam & formam continet: & materiam quidem argumentum, formam autem argumentationem appellant. Argumentum quippè eſt inuentum, rei dubiæ faciens fidem: argumentatio verò eſt apta

& conueniens argumenti per orationem explicatio. Quia igitur de fontibus vnde argumenta promuntur, breuiter à nobis dictum eſt, res ipſa exigere videtur, vt de formis, quibus argumenta ipſa explicanda ſunt, diſſeramus. Quãuis autem hoc ad elocutionis rationem magis, quàm ad inuentionem ſpectare videatur, tamen propter vtriuſque rei affinitatem & coniunctionem, hoc in loco de illis tractare viſum eſt: ſimilique ratione nonnulla, quæ ad argumentorum diſpoſitionem pertinent, his quoque adijciemus: quo abſoluta huius partis doctrina, vno in loco tradita retineatur.

De his igitur argumentandi formis ſic Cic. ait: omnis argumentatio aut per inductionẽ tractanda eſt, aut per ratiocinationem. Inductio eſt oratio, quæ rebus non dubijs captat aſſenſionẽ eius, qui cum inſtituta eſt: quibus aſſenſionibus facit, vt illi dubia quædam res, propter ſimilitudinem earum rerũ, quibus aſſenſit, probetur. Extat huius rei exemplũ apud Cyprianum: quo ſimilium inductione, Deum eſſe probat his verbis: Ad diuinũ imperium, etiam de terris mutuemur exemplum. Quando vnquam regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſijt? Sic Thebanorũ germanitas rupta: ſic Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium. Pompeius & Cæſar affines fuerunt: nec tamen neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Neque hic tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura conſentiat. Rex vnus eſt apibus & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus: multò magis mundi vnus eſt rector, qui vniuerſa quæcunq; ſunt verbo iubet, ratione diſpẽſat, virtute conſũmat. Hactenus Cyp.

Lib. 1. de Inuent.

Contra Idola Gentiũ.

Deus vnus eſt.

Idem rurſus eodem modo argumentatur: Deli-
Serm. de mortal. cata,inquit, iactatio eſt, cùm periculum non eſt:
conflictatio in aduerſis, probatio eſt veritatis.
Arbor quæ alta radice fundata eſt, ventis incumbentibus non mouetur: & nauis quæ forti compage ſolidata eſt, pulſatur fluctibus nec foratur: & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robuſta contemnunt: inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Hoc eodem modo argumentamur, cùm plura exempla quæ idem efficiunt,
1. Mat. 2. congerimus. Sic Mathatias Machabæorum pater morti proximus, filios ſuos ad religionis & iuſtitiæ defenſionem hortatus eſt, propoſitis Abrahæ, Ioſeph, Phinæes, Ioſue, Caleb, Dauidis, Azariæ, Ananiæ, Miſaelis, atque Danielis exemplis. Subiungítque in fine: Et ita cogitate per generationem & generationem: quia omnes qui ſperant in eum, non infirmantur.

Syllogiſmus ſiue Ratiocinatio. II.

Proxima atque perfectiſſima argumentandi forma ſyllogiſmus eſt: quem Cicero ratiocinationem vocat: cuius leges atque naturam, Dialectica ars (quæ de eo præcipuè diſſerit) pleniſſimè tradit. Hoc verò ſolùm quod ad inſtitutionem noſtram pertinet, admonendum: quòd cùm Dialectici tribus pronunciatis omnem ſyllogiſmum conſtare dicant, videlicet propoſitione, aſſumptione & concluſione (quarum duas priores maiorem & minorem vocant) Rhetores tamen, quoniam probationes propoſitioni & aſſumptioni adiungunt, quinque partitam illam faciunt. quæ tamen eſſe quadripartita poteſt cùm altera ſolùm pars eget probatione. Poteſt & tripartita eſſe, cùm neutra eget. Pleniſſima ta-

men eſt, quæ quinque partibus conſtat. Cuius exemplum ſubijcit Cic. his verbis: Melius accurantur quæ conſilio geruntur, quàm quę ſine cõſilio adminiſtrantur. Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus variis approbari putant oportere, hoc modo: Domus ea quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus & apparatior, quàm ea quæ temerè & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui præpoſitus eſt ſapiens & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quàm is qui ſtultitia & temeritate alicuius adminiſtratur. Eadem nauigij ratio eſt. Nam nauis optimè curſum conficit ea, quæ ſcientiſſimo gubernatore vtitur. Cùm propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duæ partes tranſierint ratiocinationis, tertia in parte aiunt, quod oſtendere velis, id ex vi propoſitionis oportere aſſumere, hoc pacto: Nihil autem omniũ rerum melius, quàm omnis mundus adminiſtratur. Huius aſſumptionis quarto in loco aliam porrò inducunt approbationem, hoc modo: Nam & ſignorum ortus & obitus definitũ quendam ordinem ſeruant: & annuæ commutationes nõ modò quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt, verùm ad vtilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ, & diurnę, nocturnæque viciſſitudines nulla in re vnquam mutatæ, cuiquam nocuerunt. Quæ ſigno ſunt omnia, non mediocri quodam conſilio naturam mundi adminiſtrari. Quintò inducunt loco complexionem eam, quæ aut id infert ſolùm, quod ex omnibus partibus cogitur hoc modo: Conſilio igitur mundus adminiſtratur. Aut vnum in locum cùm conduxerit breuiter propoſitionem & aſſumptionem, id adiungit quod ex his conficia-

Lib. 1. de Inuent.

Mũdus *regitur conſilio.*

tur ad hunc modum: Quòd ſi melius gerũtur ea quæ conſilio, quàm quæ ſine cõſilio adminiſtrã-tur: nihil autem omnium rerum melius, quàm omnis mundus adminiſtratur: conſilio igitur mũdus adminiſtratur. Quinque partitam igitur hoc pacto putant eſſe argumentationem. Hactenus Cicero: qui recto ordine ratiocinationis partes collocauit. Qui tamen ordo non ineleganter ſæpè inuertitur, cum ab aſſumptione cepta ratiocinatio, in propoſitionem maiorem deſinit: quæ illationem concluſionis ex aſſumptione probat. Idque fit, cùm propoſitio generalem ſententiam continet: quam ceu communem locum, tractare copiosè poſſumus. Verbi gratia Si quis ad carnis macerationem adhortetur, quòd per eam Deo pro admiſſis ſceleribus ſatisfaciamus, ſyllogiſmum hoc modo conficiet. Neceſſe eſt, vt Deo pro cõmiſſis ſatisfaciamus: at hoc maximè præſtat ieiunium, & carnis maceratio: ſtudiosè igitur ac diligenter hæc virtus à nobis colenda eſt. Hic ordo rectus eſt. Poteſt autem maior illa propoſitio ad finem reſeruari, & in locum communem conijci: in quo de ſatisfactionis neceſſitate diſſeramus: vt acerbiſſimas ignis purgatorij pœnas euadere poſſimus. Quarum acerbitatem poterimus ad hoc ipſum amplificare. Qua propoſitione latius (ſi videbitur) tractata, rurſum ad priorem concluſionem regredimur: vt quorſum euagati fuerimus, apertè intelligatur. Ex hoc autem fonte digreſſiones ſæpè oriuntur, quæ orationem ſplendidiorem faciunt: cùm ea quæ ſingularia ſunt, ad communes virtutum & vitiorum locos referimus. Simili ratione cùm ad miſericordiæ opera adhortamur, quàm ſit Deo miſericordiæ virtus grata, latè perſequi poſſumus.

Quam quidem ſententiam vel ante concluſionem, vel poſt illam tractare poſſumus. Sic Dominus in Euangelio, vbi hanc ſententiam pronunciaſſet. Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, &c. digreditur in locum communem de ſcandali grauitate differens: ſubdit enim: Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala, & cætera, quæ deinde in hanc ſententiam ſubiecit. Quæ oratio maioris propoſitionis vicem gerit. Ex hac enim ſententia rectè ſequitur concluſio illa initio propoſita: nempè, qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, & cæt. *Mat.18*

Poteſt autem ratiocinatio breuiſſima oratione comprehendi: qualis illa: Finem qui quæris amori: Cedit amor rebus: res age, tutus eris. Hic omnes ſyllogiſmi partes breuiſſimè comprehenſæ ſunt. Illud etiam obſeruandum, vt Concionator non ſemper exactam illam Dialecticorum formam, qua in diſputationibus vti ſolent, ſequatur. Alium enim habitum, aliámque loquendi figuram popularis argumentatio poſtulat. Exemplo ſit illa nobilis Poëtæ ratiocinatio: Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum. Hæc propoſitio ſequenti ſyllogiſmo probatur. Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille iactatus fatis, quæ bella exhauſta canebat? Maior enim propoſitio ſimpliciter prolata eſt. At cùm ad minorem ventum eſt: exclamat. Heu, quibus ille iactatus fatis, &c. Quantò enim hoc vehementius eſt, quã ſi ſimplici oratióne dixiſſet, Multis ille iactatus fatis, multa bella cõfecit? Nec etiã neceſſe eſt, tres illas partes ſemper adhibere: nonnunquã enim duabus contenti erimus, quando vna illarum perſpicua eſt, quod *Virgil.*

Enthymema vocāt. Interdum etiā vna conſtat, quod Epicherema appellant. Sic Diuus Ambro- *Ambroſ.* ſius virginis intemeratæ cruciatum in morte filij exaggerans ait: Nec illud virgo ſolatium habebat, quòd alium eſſet filium paritura. Quo in loco Mariæ nomine Virginem poſuit: quod in argumentatione (vt Dialectici loquuntur) medium erat, in quo tota vis argumentationis ſita eſt.

Complexio ſiue Dilemma. III.

Præter has argumentandi formas, quæ principem inter cæteras locum obtinent, aliæ quoque numerantur, quas quoniam non vulgarem vim & acumen habent, hoc in loco attexere libuit. Eſt autem Dilemma, in quo vtrum libet cōceſſeris reprehenditur. Cicero patriam cum Catilina ſic agentem inducit: Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe: ſi verus, ne opprimar: ſin falſus, vt tandem aliquando timere deſinam: Et in epiſtola ad Quintum fratrem: Si implacabiles ſunt iracundiæ, ſumma eſt acerbitas: ſin autem exorabiles, ſumma leuitas. Dictum eſt autem dilemma, quòd ita vtrinque premat, ac vrgeat, vt ex altera parte capiat aduerſarium: qua de cauſa cornutus etiam ſyllogiſmus vocatur. Sic enim argumentationis cornua in eo diſponuntur, vt qui alterum effugerit, in alterum incurrat. Cicero complexionem appellat. Ea ſi vera eſt, nunquam reprehenditur: ſin falſa, duobus modis diluetur, aut conuerſione, aut alterius partis infirmatione. Cùm viderem (inquit Varro apud Ciceronem) Philoſophiam Græcis literis diligentiſſimè explicatam, exiſtimaui, ſi qui de noſtris eius ſtudio tenerentur, ſi eſſent Græcis literis eruditi, Græca potius, quàm

noſtra lecturos: ſin à Græcorum artibus & diſciplinis abhorrerent, ne hæc quidam curaturos, quæ ſine eruditione Græca intelligi non poſſunt. Itaque ea ſcribere nolui, quæ nec indocti intelligere poſſent, nec docti intelligere curarent. Hoc dilemma deinde Cicero in eum conuertit hoc modo: Imò verò & Latina legent, qui Græca non poterunt: & qui Græca poterunt, non contemnent ſua. Ad hunc modum Eccleſiaſtes, Herodem propter Micheæ vaticinium innocentes pueros iugulare præcipientem, hoc dilemmate cõuenire poterit: Dic mihi perfide, an ſtellæ nũcianti, & vaticinio Prophetæ fidem habes, an nõ habes? ſi non habes, ride inſana hic hominum commenta & ſomnia: ſi verò habes, vt habere te oſtendis, quandoquidem Prophetas cõſulis: quæ dementia eſt, te viliſſimum vermiculum diuinæ maieſtatis conſilia ac decreta infringere velle, & te ipſa diuinitate ſuperiorem facere? Item Cyprianus contra Demetrianum. Quæ eſt, inquit, hæc inſatiabilis carnificinæ rabies, quæ inexplebilis libido ſæuitiæ? Quin potius elige tibi alterum de duobus: Chriſtianum eſſe aut eſt crimen, aut non eſt; ſi crimen eſt, cur non interficis confitentem? ſi crimen non eſt, quid perſequeris innocentem? Torqueri enim debui, ſi negarem.

Sores IV.

Eſt & alia argumentationis forma, quam ſoritem Græci appellant, quæ multas argumẽtationes aceruatim complectitur: vnde & nomen inuenit. Cicero hac forma probat, quod ſit honeſtum, id ſolum eſſe bonum. Etenim quicquid ſit, quod bonum ſit, id expetẽdum: quod autem expetendum, id certè approbandum: quod verò

approbandum, id gratum acceptumque habendum. Ergo etiam dignitas ei tribuenda eſt. Bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, vt quod ſit honeſtum, id ſit ſolum bonum. Hactenus Cicero. Hoc argumentandi genus Dialectici de primo ad vltimum vocant. Quo D. Hieron. in Epiſtola ad Heliodorum vtitur his verbis: Nemo Propheta in patria ſua honorem habet. At vbi honor non eſt, ibi contemptus eſt: vbi cõtemptus, ibi frequẽs iniuria: vbi autem iniuria, ibi & indignatio: vbi indignatio, ibi quies nulla: vbi quies non eſt, ibi mens à propoſito ſæpè deducitur: vbi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex ſtudio, minus fit ab eo quod tollitur: & vbi minus eſt, perfectum non poteſt dici: Ex hac ſupputatione, illa ſumma naſcitur, monachum perfectum in patria ſua eſſe non poſſe. Perfectũ autem eſſe nolle, delinquere eſt. Hactenus Hieronymus.

Hieron. in Epiſt. ad Heliodor.

Enumeratio ſiue Expeditio V.

Eſt etiam enumeratio, in qua pluribus rebus expoſitis & cæteris infirmatis, vna reliqua neceſſariò confirmatur, hoc pacto. Neceſſe eſt cùm conſtet hominem occiſum, inimicitiarum cauſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicuius amici gratia: aut ſi horum nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum. Nam ſine cauſa maleficiũ ſuſceptum eſſe nõ poteſt. Sed neque inimicitiæ fuerunt, nec metus vllus, nec ſpes ex morte illius alicuius commodi, neque ad amicum huius aliquem mors illius pertinebat: Reliquum eſt igitur, vt ab hoc non ſit occiſus.

Subiectio VI.

Finitima eſt enumerationi Subiectio. Quidquid enim enumeratione tractatur, multò ele-

gantius per ſubiectionem reddi poterit. Sic verò eſt (vt Cornificius ait) cùm quærimus ipſi quid cõtra nos dici poſſit: deinde ſubijcimus id quod dici oportet, hoc modo. Quæro igitur, vnde iſte tam pecunioſus factus ſit? Amplum patrimoniũ relictnm eſt? At patris bona venerunt? Hæreditas aliqua obuenit? Non poteſt dici. ſed etiã à neceſſariis omnibus exhæredatus eſt. Præmium aliquod ex lite, aut iudicio cepit? Non modò id non fecit, ſed etiam inſuper ipſe grandi ſponſione victus eſt. Ergo ſi his rationibus locupletatus non eſt, ſicut omnes videtis, aut iſti domi naſcitur aurum, aut vnde licitum non eſt, pecunias accepit. *Lib 4 ad Heren.*

H. Oſor. lib. 1. de Sapien.

Iudæi à Deo relicti ob perfidiam.

Oſorius Epiſcopus ex diuturna Iudæorum captiuitate eos à Deo derelictos propter ipſorum perfidiam colligens, hac argumentandi forma acriter & eleganter vtitur. Sic enim ait: Quã rem gerunt? quod ſcelus cõflant? quæ maleficia ſuſcipiunt? propter quæ à Deo, quem tam propitium olim habebant, omninò deſerãtur? Simulachris immolant? Immò eorũ contactũ perhorreſcunt. Commentitios Deos aſciſcunt? At eo nomine, quòd Deum colunt, efferuntur. Et id verum. Sed moribus immanibus efferati ſunt? At ipſi ſummam ſibi laudis, æquitatis, & pietatis aſſumunt. Quid ergo eſt? Parumne ſupplices ad Deũ preces adhibent? Immò in precibus aſſidui ſunt, nec tamen exaudiuntur. Si igitur nec ſimulachra colunt, nec vanos Deos inuocant, nec humanũ ſanguinem fundũt, nec ſe impiæ fraudis impuritate contaminant: cur illos Deus, quos in fidẽ ſuam recepit, tam diuturno tempore ope ſua deſtituit? Cur gentem illius numini conſecratam, tam diuturnis plagis inſequitur? Hactenus ille.

De Collectione & eius partibus.

Cap. X.

INter has autem argumentandi formas collectio præcipuè numeratur: vt potè quæ pleniſſima argumentatio ſit. Ea namque, & quid ad probationem aſſumere debeamus, & quo ordine diſponamus, edocet. Quocirca (vt ego quidem ſentio) non tam ad elocutionis, quàm ad inuentionis ac diſpoſitionis rationem hoc genus argumentationis pertinere videtur: quod res ipſa non obſcurè declarat. Ea namque quinque partibus cõſtat, videlicet, propoſitione, ratione, rationis confirmatione, exornatione, complexione, ſiue concluſione. Propoſitio eſt, per quam oſtendimus ſummatim, quid ſit, quod probare volumus. Ratio eſt cauſa, quæ demonſtrat id verum eſſe, quod intendimus breui ſubiectione. Rationis confirmatio eſt ea, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expoſitam rationem. Exornatio eſt, qua vtimur, rei honeſtandæ & locupletandæ cauſa, confirmata argumentatione. Complexio ſiue concluſio eſt, quæ concludit, breuiter colligens partes argumentationis. Ex hac diſtributione apparet, quid oratoria argumentatio ſupra Dialecticam addat: Dialecticus enim, ſola propoſitione, ratione, & concluſione contentus eſt: his enim tribus præcipuè partibus pugnat, quanuis interdum confirmationes, ex loco præcipuè ab auctoritate adiiciat. Orator verò confirmationibus & exornationibus præcipuè nititur: quorum alterum ad vim, alterum ad ornatum & elegantiã maximè pertinet. Nunc de his quinque partibus ſingularim dicamus.

Collectionis quinque partes.

Et quidem de propoſitione atque ratione, quoniam hæ duæ partes ad Dialecticam præcipuè pertinent, hoc in loco dicere ſuperſedeo. De cæteris autē, quæ orator ſupra dialecticum, & concionator ſupra oratorē addit (quoniā hæc propria inſtituti noſtri ſunt) paulò fuſius dicemus.

Confirmatio.

Confirmatio igitur, qua rationem munimus & ſtabilimus, à locis externis, quæ extrinſeca Dialectici appellant, potiſſimum peti ſolet. Cùm enim dialectici tria locorum genera eſſe ſtatuant: interna, quæ ex natura & ſubſtantia rei ducuntur: & externa, quæ aliunde extra rē aſſumuntur: & media, quæ partim à re, partim extra rem poſita ſunt, rationes quidem à locis internis & medijs frequentius, confirmationes autem ab externis potiſſimum ducuntur, nempè à ſimilibus, diſſimilibus, repugnantibus exemplis, variiſque auctorum teſtimoniis & auctoritatibus. Vt autem erudita ſit oratio, his externis locis, quantum cuiuſque facultas ſuppetit, locupletanda eſt. Hoc enim eruditæ conciones ab ineruditis potiſſimum diſtant: quòd iſtæ ſolis propoſitionibus & rationibus, quæ à quouis facilè inueniuntur, refertæ ſunt: illæ verò ſelectis diuinarum ſcripturarum, & ſanctorum Patrum ſententiis & teſtimoniis illuſtrantur. Quæ (vt ſuo loco diximus) multa lectione & aſſiduo ſtudio paranda, & in locos communes conijcienda ſunt: vt quoties cauſa poſtulauerit, in promptu ſint. Hos enim locos, multò magis probo, magiſque concionatori neceſſarios & proprios duco, quàm illos, qui Topica appellantur. Illa enim Topica cùm latiſſimè pateant, non facilè quid propoſito noſtro conueniat, prębent: hi verò rem ipſam multò propius attingunt.

De Exornatione. I.

Quartam argumentationis oratoriæ partem diximus eſſe exornationem, ſiue (vt alij vocant) expolitionem. Vtroque enim nomine ſic appellata eſt, quòd in ea totus ferè argumentationis cultus & ornatus ſit,& in qua maximè orator artis & ingenij ſui vim oſtendit. Cæterarum enim partium eloquutio prudentis hominis, exornatio autem non niſi diſerti & eloquentis eſt. Ea verò præcipuè locum habet, cùm ratio aut confirmatio,aut etiam propoſitio latentem vim habet, quæ breui oratione explicari non potuit: tunc enim prudens orator, vbi quidquid in illa virium aut gratiæ latebat, ſolerter & acutè penetrauit,id auditoribus inſpiciendum, & veluti ſpectandum proponit. Huius rei infinita apud ſanctos Doctores exempla reperiuntur: quorum ego nonnulla (quò res fiat dilucidior) hoc in loco attexere volui. D.Euſebius Emiſ.de Innocentium cæde agens, hanc propoſitionem ſic exornat: Occiduntur, inquit, pro Chriſto paruuli, pro iuſtitia moritur innocentia. Hæc propoſitio eſt. Sequitur deinde expolitio. Quàm beata ætas, quæ necdum Chriſtum poteſt eloqui, & iam pro Chriſto meretur interfici! nondum opportuna vulneri, & iam idonea paſſioni. Quàm feliciter nati, quibus in primo naſcendi limine æterna vita obuiam venit! Incurrunt quidem inter ipſa principia acceptæ lucis periculum, & finem ſalutis : ſed de ipſo protinus fine capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videntur ad mortem, ſed feliciter moriuntur ad vitam. Vixdum deguſtauerant præſentem, ſtatim tranſeunt ad futuram. Nondum ingreſſi in-

Euſeb. Emiſ. Innocētes occiſi

fantiæ cunas,iam perueniunt ad coronas. Rapiuntur quidem à complexibus matrum, ſed redduntur gremiis Angelorum. Hactenus ille. Idem etiam hanc Iſaiæ ſentētiam: Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis (quorum alterum ad ſacram humanitatem, alterum ad diuinitatem refert) hoc modo exornat. Paruulus, inquit, natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Datus eſt ergo ex diuinitate, natus ex Virgine: natus, qui ſentiret occaſum: datus, qui neſciret exordium: natus, qui & matre eſſet iunior, datus quo nec pater eſſet antiquior: natus, qui moreretur: datus ex quo vita naſceretur. Ac ſic qui erat,datus eſt:qui non erat, natus eſt. Illic dominatur, hic humiliatur: ſibi regnat, & mihi militat. Diuus autem Gregorius parabolam mercatoris quærentis bonas margaritas, ad hunc modum & proponit, & exornat: Cæleſte regnū negotiatori homini ſimile dicitur, qui bonas margaritas quærit, ſed vnam pretioſam inuenit: quam videlicet inuentam, omnia vendens emit. Hæc propoſitio eſt. Sequitur deinde eius exornatio atque explicatio. Quiſquis enim cæleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poſſibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea quæ in terris amauerat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione eius vileſcunt omnia, deſerit habita, congregata diſpergit, inardeſcit in cæleſtibus animus, nihil in terrenis libet, deforme conſpicitur quicquid de terrenæ rei placebat ſpecie: quia ſola pretioſæ margaritæ claritas fulget in mente. His exornationibus D. Gregorius vbique ſcatet: quæ enim ſemel expoſuit, iterum latius explicat: & quicquid in ſententia virium latebat, arguta quadam & peculiari

Chriſtus natus.

Gregor. Cælorū regnum

phraſi ſua in lucem profert. Sic Diuus Bernardus in ſermone, Gaudete, inquit, in Domino, dilectiſſimi, qui inter continua ſuæ pietatis beneficia indulſit beatum Victorẽ mundo, cuius multi ſaluarentur exemplo: iterum dico gaudete, quia ſublatus de medio appropinquauit Deo: vt multò plures eius interceſſione ſaluentur. Hic propoſitio bipartita eſt: quæ duplicem nobis vtilitatem à ſanctis viris manare teſtatur: nempè ſuffragij, & exẽpli. Deinde addit expoſitionem, quæ id, quod breuiter dictum erat, explicat & exornat his verbis: In terris viſus eſt, vt eſſet exemplo; in cælum leuatus eſt, vt ſit patrocinio. Hic informauit ad vitam, illic inuitat ad gloriam: factus eſt mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Hactenus Bernardus. Sic etiam D. Cyprianus, dum exemplo viduæ Sareptanæ, quæ Heliam modica farinula pauit, nos ad eleemoſynam inuitat, eam huic exemplo addit expoſitionem. Nec Heliç cibum petenti obtemperare illa dubitauit, aut Heliæ filios mater in fame & egeſtate præpoſuit: nec de abundantia portio, ſed de modico totum datur: & eſurientibus liberis, alter prius paſcitur, nec in penuria & fame cibus, antequã miſericordia cogitatur: vt dum in opere ſalutari carnaliter vita contemnitur, ſpiritualiter anima reſeruetur. Et illa nondum Chriſtum ſciebat, nondum præcepta eius audierat, non cruce & paſſione eius redempta cibum & potum pro ſanguine rependebat: vt ex hoc appareat, quantum in Eccleſia peccet, qui ſe & filios Chriſto anteponens, diuitias ſuas ſeruat, nec patrimonium copioſum cum indigentium paupertate communicat. Hoc exemplum oſtendit, quonam modo exẽpla, vel ſimilia, quæ

Bernardus.

Eleemoſina.

à minori vel maiori dicuntur, exornare & amplificare debeamus: dum per contentionem imparitas rerum & circunſtantiarum explicatur: vt quanta ſit in argumento vis, apertius intelligatur. Subijciam elegantiſſimum aliud ex vita beati Eduardi Regis exemplum: qui virginitatis florem ſimul cum ſanctiſſima vxore, ad finem vſque vitę incorruptum conſeruauit. Sic enim in eius vita ab Arthieualo monacho & abbate ſcripta legimus: Conuenientes igitur in vnum, Rex & Regina de caſtitate ſeruanda paciſcuntur:nec huic fidei alium, quàm Deus teſtem æſtimant adhibendum. Hæc velut propoſitio eſt, quæ rem ſimpliciter, breuitérque exponit. Sequitur deinde expolitio, quæ eam eleganter amplificat & exornat his verbis: Fit illa coniunx mente, non carne:ille maritus mente, non opere. Perſeuerat inter eos, ſine actu coniugali coniugalis affectus, & ſine defloratione virginitatis, caſtæ dilectionis amplexus. Diligitur ille, ſed non corrumpitur:diligitur illa, nec tãgitur: & quaſi noua quædam Abiſag Regem calefacit amore, ſed non diſſoluit libidine: mulcet obſequiis, ſed deſideriis non emollit. *Virginitas.*

Illud autem hoc in loco admonendum puto, vt cùm argutas, breuéſque vel ſacrarum literarum, vel ſanctorum Patrum, & Philoſophorum ſententias adducimus, quæ multa breui comprehendãt, demus operam, vt ea nos in lucem eruamus, & autoribus velut ſpectanda proponamus. Quæ res ad hoc genus exornationis pertinet. Huius generis eſt illa D. Bernardi ſententia: Væ his, qui vocantur ad opera fortium, & non aluntur cibo fortium. Idemq; de Sponſa innixa ſupra dilectum ſuum ait: Fruſtra nititur, ſi non inni-

titur. Item Seneca: Qui deſiderium clauſit, cum ipſo Ioue de felicitate contendat. Hæ ſententiæ, aliæque ſimiles, multa, eadémque obſeruatione digniſſima paucis comprehendunt: quarum vim Eccleſiaſtes & diligenter inſpicere & ponderare, ac deinde in lucē edere & proferre debet: quod quidem ad hoc genus expolitionis pertinet. Quod tamen nemo facilè aſſequetur, niſi ad hoc ingenij acumine, & diligenti rei indagine atque conſideratione iuuetur.

Hæc à me tam multis exemplis expoſita ſunt, vt Concionator vim, & (vt ita dicam) fœcunditatem ſententiarum acutè perſpiciens, eam verbis eruere & explicare norit. Sunt enim quidam adeò ſteriles atque ieiuni (quos Rhetores aridos appellant) qui res non oratorio, ſeu dialectico more ſimplicibus verbis, ſine vlla amplificatione enuncient. Quæ res ad ſcholas magis & munus diſputandi, quàm concionandi accommodata eſt. Aliter enim in ſcholis apud viros doctos, aliter in concione apud populum agendum eſt. Alij contrà, dum hoc vitium fugere ſtudent, rem eandem alijs verbis ita ſignificantibus, ſine vlla figurarum aut ſententiarum varietate enunciant: quæ res oſtētationi magis, quàm vtilitati ſeruit. Si quis enim exēpla, quæ propoſuimus, attentius conſideret, facilè deprehendet in his exornationibus, rem quidem eandem non tam alijs verbis, quàm alijs ſententijs & figuris explicari. Alij verò multò fœdius atque faſtidioſiùs eandem ſententiam eiſdem verbis frequēter repetunt: quod vitium Rhetores tautologiam appellant: ne his in mentem venit, quòd vulgò dici ſolet, Crambe bis poſita mors.

Exornationem ſequitur concluſio, quæ quan-

do ſit adijcienda, dicentis iudicio relinquitur. Non enim ſemper neceſſaria eſt, niſi cùm longius oratio vagata fuerit: tunc enim velut in viam reducere auditores oportet, & totius argumentationis ſummam, quàm breuiſſimè fieri poterit, complecti, ne ſi longa id oratione fiat, auditorum aures eiſdem ſæpè repetitis obtundamus.

De affectibus per totum corpus argumentationis, atque adeò per totam orationem aſpergendis.

CAP. XI.

QVemadmodum autem orator ſupra dialecticum duas partes, nempè confirmationem & exornationem addit (quibus potiſſimum tota eius augmentationis vis & elegantia continetur) ſic Eccleſiaſtes duas item ſupra oratorem addit: nẽpè affectus & accommodationem, ſiue ad ſingularia deſcenſum. Liceat enim mihi h's vti nominibus. Quamuis enim Rhetor per totius cauſę corpus aſpergi affectus, vbicunq; rei magnitudo poſtulauerit, pręcipiat: hoc tamẽ ſingulari ratione ad Eccleſiaſtem pertinet: cuius præcipuum munus pǫtius in mouendis, quàm docendis auditoris animis poſitum eſt: cùm hómines magis peccent affectu corrupto, quàm ignorantia veri. Affectus autem praui, velut clauus clauo, contrariis affectibus pellendi ſunt. Cùm ſint autem duplices affectus, mites ſcilicet & acres (quos Græci Ethi & Pathi nuncupant) vtrique pro rerum, quæ dicuntur natura concitandi ſunt. Vbicunque enim aliquid in ſuo genere magnũ, hoc eſt, vel maximè miſera-

bile, vel admirabile, vel deteſtabile, vel indignum, vel etiam periculoſum eſſe, fuerit argumentatione, vel quauis alia ratione comprobatum, tunc affectus, quos ipſa rei natura exigit, mouendi ſunt. Exempli cauſa. Cùm Maria Moyſi ſoror, inſigne illud miraculum, quo patefacta maria, iter tutum populo Dei ab Ægypto egredienti præbuerũt, commemoraſſet, ſic erga Deũ pio affectu concitatur: Quis ſimilis tui in fortibus Domine, quis ſimilis tui? Magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia. Verum hoc ad affectus pertinet mitiores: Vehementius tamẽ ex eodem miraculo Abacuc Propheta aſſurgit: qui vbi dixiſſet, Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum, inclamat protinus: Audiui, & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Magnum enim animi ſui timorem, maximámq; huius tantæ rei admirationem, ſtuporémque his verbis teſtatus eſt. Sic etiam vbi immenſam

Beneficium Incarnationis. Seruatoris noſtri benignitatem expoſuimus, qui pro hominibus, quos in ſe ingratos & ſceleratos expertus fuerat, terras inuiſere, humanam formam induere, ſeque in ſacrificium pro omnibus offerre conſtituit, vt Patris numen eis propitium redderet, illóſque iam morti ſempiternæ deſtinatos, in vitam ſempiternam reuocaret: vbi hæc, inquam, ampla oratione expoſuimus, ſic amoris & grati animi affectus excitamus. Hæc igitur benignitas Dei animaduerſa, non amoris incendium concitabit? non animos ardore pietatis inflammabit? non omnia vitæ pericula adire compellet, vt charitatem ſanguinis profuſione oſtenſam, ſanguinis effuſione penſemus? An non hoc Apoſtolus inſinuauit, cùm ait,

Charitas Chriſti vrget nos? Hoc eſt, tāta vis Dominicæ charitatis non modò excitat & ſuadet, ſed impellit, & vrget, & vim obduratis etiā mentibus infert: vt ſi amare pigebat, redamare ſic amantem non pigeat. Quis enim tam ferreus eſt, cuius præcordia hæc tanta vis dilectionis non emolliat? Sed hi affectus mitiores. Multò tamen acriores illi, in quos idē Apoſtolus eiuſdem beneficij magnitudine propoſita exarſit, cùm ait: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, au anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus ſum, quòd neque mors, neque vita, & cætera quæ ſequuntur: quæ certè admirabilem Apoſtolicæ charitatis vim & ardorem pari verborum acrimonia & aſſeueratione præ ſe ferunt. Neque minori affectu, quanuis in diſſimili cauſſa Hieremias, poſt expoſitum idololatriæ peccatum, ipſum Dominum (quod eſt multò acrius) inducit loquentem. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuę, &c. Neque minus Moſes in Cant. exarſit, cùm ait: Generatio praua atque peruerſa! hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? Nonne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te? Et iterum: Gens abſque conſilio, & ſine prudentia eſt. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Sed commodiſſimum huius rei exemplum extat primo de Sapient. libr. in quo Oſorius Epiſcopus, poſt nefarium illud ſcelus, quod Iudæi in Chriſti Domini morte commiſerunt, expoſitum & amplificatum, ſic in indignationis affectus erumpit: Omnia crimina odij, inuidiæ, crudelitatis, immanitatis, & impieta-

Oſorius Epiſcop. Chriſti mors crudelis

tis;non dico,quæ in homines concipi,ſed quæ in Deum ipſum ab hominibus audaciſſimis & profligatiſſimis committi poſſunt, vnum in locum collata, minimè partem aliquam tam infandi ſceleris conſequentur. Si muta elementa loqui poſſent, ſceleſtiſſimi facinoris crimen illis intenderent: quòd interitum rerum omnium moderatori, per quem elementa conſiſtunt, attulerint. Cœlum contra illos teſtimonium diceret, quorum ſcelere factum eſt, vt in tenebris & caligine verſaretur. Terra illos immani ſcelere damnaret,quæ motibus horrendis, quantum facinus ab impijs hominibus in Chriſti nece commiſſum fuiſſet, indicauit.Mare gentem rebellem & immanem fluctibus obrueret, quòd viderit illius Domini maieſtatem contemni, cuius imperio id in omni turbida tempeſtate obediuit. Hactenus ille.

Cyprian Auari acriter repre- henſi. D. verò Cyprian.ſerm.de Eleemoſyna, propoſita illa Domini ſententia, Reſpicite volatilia cœli,quæ non ſerunt,neque metunt: contra auaros & inhumanos his verbis incandeſcit: Volucres Deus paſcit, & paſſeribus alimenta diurna præſtantur, & quibus nullus diuinæ rei ſenſus eſt,eis nec potus,nec cibus deeſt. Tu Chriſtiano, tu Dei ſeruo,tu operibus bonis dedito,tu Domino ſuo charo aliquid putas defuturum? Niſi ſi putas, quia qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur: aut eis terrena deerunt, quibus cœleſtia & diuina tribuuntur: Vnde hæc incredula cogitatio? & vnde impia & ſacrilega iſta meditatio? Quid facit in domo fidei perfidum pectus? Quid? qui Chriſto omninò non credit, appellatur & dicitur Chriſtianus? Et mox: Quid tibi, inquit, iſtis ineptis & ſtultis cogitationibus

plaudis, quaſi metu & ſolicitudine futurorum ab operibus retarderis? quid vmbras & præſtigias quaſdam vanæ excuſationis obtendis? Confitere imò, quæ vera ſunt: & quia ſciētes non potes fallere, ſecreta & abdita mentis exprome. Obſederent animum tuum ſterilitatis tenebræ: & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta & profunda auaritiæ caligo cęcauit: pecuniæ tuæ captiuus & ſeruus es: catenis cupiditatis & vinculis alligatus es, & quem iam ſoluerat Chriſtus, denuò vinctus es. Seruas pecuniam, quæ te ſeruata non ſeruat: patrimonium cumulas, quod te pondere ſuo onerat, nec meminiſti quid Deus reſponderit diuiti, exuberantium fructuum copiam ſtulta exultatione iactanti: Stulte, inquit, hac nocte expoſtulatur anima tua à te: quæ ergo præparaſti, cuius erunt? Quid diuitijs tuis ſolus incubas? quid in pœnam tuam patrimonij tui pondus exaggeras, vt quò locupletior ſeculo fueris, pauperior Deo fias? Idem de habitu virginum propoſita illa Domini apud Iſaiam formidanda ſententia: Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo: ſic aduerſus corruptum virginum ornatum inſurgit: Exaltatæ (inquit) ceciderunt, comptæ turpitudinem fœditatémque meruerunt, ſerico & purpura indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta corporis & pectoris perdiderunt. Quis non id execretur & fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Si hauſto poculo moreretur ille, qui biberat, venenum ſcires eſſe quod ille potauit. Si accepto cibo, qui acceperat interiret, ſcires eſſe lethale,

Eſa. 5. *Cyprian Tract 2 de habitu Virg.* *Virginũ corruptus ornatus.*

quod acceptum potuit occidere:nec ederes inde, nec biberes, vnde interiſſe alios ante conſpiceres: Nunc quanta ignorantia veri eſt animi, quãta dementia, id velle, quod & nocuerit ſemper & noceat? & putare, quòd inde ipſe non pereas, vnde alios periſſe cognoſcas? &c. quæ in hanc ſententiam ibidem ſequuntur. Hactenus Cyprian.

In peccantes. Hac igitur ratione nos, vbi vel lethalis peccati grauitatem, vel ſuppliciorum, quę in gehenna damnati patiuntur, atrocitatem & æternitatem amplificauerimus, vehementer aduerſus eos incandeſcere poterimus, qui tam facilè, ſine vllo mordentis conſcientiæ ſtimulo, tot lethalia crimina pro rebus nihili committunt. Qui planè licet non verbis, tamen operibus ipſis & moribus teſtari videntur, ſe neque diuinæ iuſtitiæ ſeueritate commoueri, nec magnifica Dei promiſſa æſtimare: imò ea pro nihilo ducere, atque rerum omnium Domino quodammodo dicere: Neque tuam Domine gratiam & amicitiam, & paternam curam & prouidentiam, quam mihi in præſenti vita offers, magnifacio: nec cæleſtem hæreditatẽ, quam in futura mihi polliceris, accipio. Tua tibi dona habeto, & cui volueris donato: Ego enim momentaneã carnis voluptatẽ, aut exiguum pecuniæ lucrum omnibus iſtis tuis promiſſis, & ſanguini etiam à te in cruce profuſo, antepono. Quid igitur hoc contemptu & mẽtis cæcitate horribilius? quid execrabilius? An ſenſum vllum habere exiſtimandi ſunt, qui in tam horrendam cæcitatis noctem inciderunt? Hoc igitur modo poſt rei alicuius magnitudinem argumẽtis probatam aut amplificatam excandeſcere, & auditorum affectus incendere, pro rerũ, de quibus agimus, natura valebimus. Quã

rem (quoniam eſt in dicendo potẽtiſſima) Quintilianus de ratione mouendi affectus differens, commendat his verbis. Huc igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor eſt: ſine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, & ingrata ſunt. Adeò, vt velut ſpiritus operis huius, atque animus eſt in affectibus cõmouendis. Hęc ille. Quòd ſi agẽtibus in foro cauſas hoc officium tantopere cõmendatur, cùm tamen in quibuſdam bene inſtitutis ciuitatibus ſine procemio, & ſine affectibus oratores dicere iuberentur: quid de concionatore dicendum, cuius vel ſolum, vel præcipuũ munus eſt, auditorum animos commouere, & ad timorem Domini, peccati odium, mundi contemptum, & cæleſtium rerum amorem, cæteroſque pios affectus auditorum animos inflammare? Quomodo autem hoc fieri debeat, ſequenti libro (in quo de amplificandi ratione, & affectibus concitandis agendum nobis eſt) paulò latius explicabimus. *Quintil. Inſtit. lib. 6.*

De Accommodatione, ſiue ad ſingularia deſcenſu.

CAP. XII.

ALteram verò Concionatoris partem, accommodationem, ſiue ad ſingularia deſcenſum appellare volui: quod eius proprium ſit, vbi aliqua moralis ſententia generatim definita & probata eſt, ad ſingulares virtutum aut vitiorum actiones deſcendere: ad illas exhortantes, & ab his deterrentes. Hic enim (vt ante docuimus) totius concionis ſcopus eſt, ad quẽ omnia referenda ſunt. Cùm enim moralis doctrinæ finis non ſpeculatio, ſed actio ſit, quæ

circa ſingularia opera verſatur, debet vtique eis, qui vtiliter doctrinam hanc tractare velit, quæcunque hac de re in commune dixerit, ad ſingulares actiones accommodare. Hinc apud Iſaiam Dominus, cùm grauiſſimis verbis Iudæorum prauitatem & impietatem accuſaſſet, & futuram regni vaſtitatem prænũciaſſet, quid illis faciendum eſſet, quò infenſum ſibi numen placarent. ſubiungit his verbis: Lauamini, mundi eſtote: Auferte malum cogitationũ veſtrarum ab oculis meis. Quieſcite agere peruersè: diſcite benefacere. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus. Iam verò magiſter cæleſtis hoc idem in Euangelio facit: vbi enim multa de formidabili iudicij die prænunciaſſet, ex ijs quæ dixerat, ſalutaria protinus documenta intulit his verbis: Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedẽt ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Ad hũc quoque modum regius Propheta, vbi potentiam & iuſtitiam regni Chriſti expoſuiſſet, eam ſententiam ad vitę inſtitutionem tranſtulit, dicens: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, &c. D. autem Gregor. locũ illum Beati Iob enarrans: Si fructus terræ comedi abſque pecunia, propoſitionẽ, exornationem, & accommodationem breuiter his verbis complexus eſt: Fructus

Gregor.

terræ abſque pecunia comedere, eſt ex Eccleſia quidem ſumptus accipere, ſed eidē Eccleſiæ prędicationis pretium non præbere. Terræ igitur fructus abſque pecunia comedit, qui Eccleſiæ commoda ad vſum corpora percipit, ſed exhortationis miniſterium non impendit. Quid ad hoc nos paſtores dicimus, qui aduentum diſtricti iudicis præcurrentes, officium quidem præconis ſuſcepimus, ſed alimenta Eccleſiaſtica muti mā-ducamus. Sed hæc breuiter dicta ſunt. Nos in concione quadā paulò fuſius locum illū Ioan. 6. Hoc enim dicebat tentans eum, latius perſequuti ſumus. Vbi autem docuimus tentationes à Deo permitti, cùm ob varias cauſas, tum vel maximè, vt homines firmitatem vel infirmitatem ſuam' agnoſcerent, ſic intulimus. Perfecta enim virtus eſt, quæ tentata non corruit, quæ laceſſita non vincitur, quæ nec ſecundis rebus effertur, nec anguſtis contrahitur: quæque tam firmas in anima radices egit, vt quemadmodum ignis vehementi aura exagitatus, adeò non extinguitur, vt magis etiam accendatur: ita ipſa, multis modis impugnata, non modò victa, non ſuccumbit, ſed etiam (vt quidam eleganter dixit) inflicto vulnere vireſcit. Ex hac autem doctrina, quæ vera, quæ falſa, quæ conſummata, quæ imperfecta virtus ſit, coniectura colligere licet. Itaque nō eſt perfectè pudica mulier, quæ à nemine impetita pudicitiam retinet: ſed quæ multis modis tentata, illibatum & integrum conſeruat pudorem. Non eſt item perfectè manſuetus, qui nulla laceſſitus contumelia non iraſcitur: ſed qui conuitijs affectus, nihil acerbum reſpondet. Non eſt perfectè humilis, qui honores non appetit: ſed qui ſublatis etiam & ereptis non indignatur.

Domin. 4. Quadrag.

Tentatio cur permiſſa.

Non eſt perfectè patiens, cui ad votum omnia cedunt: ſed qui in mediis calamitatibus poſitus, cum Propheta dicere poteſt: Probaſti Domine cor meum,& viſitaſti nocte, &c. Non eſt perfectè obediens, qui nullum inobedientiæ crimen admiſit: ſed qui propria voluntate & iudicio reluctante, alienum ſequitur imperium atque iudicium. Hoc exemplo apertè liquet, quãtum lucis & vtilitatis doctrinæ adijciatur, cùm ad hæc ſingularia deſcenditur. Hac enim ratione, qui audiunt, ſeipſos explorare ſciunt, & quid de ipſis ſentire debeant, iudicare.

Illud etiam hoc in loco admonendus concionator eſt, vt non ſolùm peracta argumentatione ad hanc ſingularium rerum enumerationem deſcendat: ſed frequenter etiam alias, vbicunque ſe illi occaſio docendi obtulerit. Quicunque enim verè & ex animo prodeſſe cæteris ſtudent, hanc præcipuè docendi rationem ſequi debent. Sic Paulus doctor gentiũ multa virtutum officia in Epiſtolis ſuis fidelibus commendat. Quàm multa enim ad Romanos, cap.12. congerit, cùm ait: Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, & cætera, quæ vſq; ad finem capitis ſequuntur. Quæ vir diuinus humanæ eloquentiæ expers, tanta eloquentia perſequitur, totique ſententiarum & verborũ luminibus exornat, vt nihil nec vberius, nec elegantius dici potuiſſe videatur. Sed ne exemplis omnia ex ſacris literis petamus, duo adijciam ex vna D. Euſebij Emiſſeni homilia. Illum nanque Euangelicæ lectionis locum, quo Magi per aliam viam, in regionem ſuam reuerſi memorantur, explanans, ſic ad ſingulares actiones accommodat,

Homil. Epipha. A peccato ad virtutẽ trãſeundum.

dat. Illud quoque, quòd per aliam viam regreſſi ſunt, intelligamus vtilitati ac ſaluti noſtræ peculiarius conuenire. Viæ enim immutatio, vitæ intelligitur emendatio. Nos ergò per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem, quando ſuperbiam ſuſcepta humilitate deponimus, quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus, quando veteres voluptates, & conſuetudines priſtinas, & deſideria antiqua damnamus. Ad viam vtique aliam de errore trāſimus, quando vniuerſas concupiſcentias honeſtatis ac paupertatis amore calcamus: quando caſtitate luxuriam ſubiugamus, ſiniſtras ſemitas relinquentes, dextro tramite iter ſpiritale conficimus. Hæc ille. Et paulò inferius, cùm nos ad Chriſti imitationem, & vias eius ſequendas hortatur, ſic rem vniuerſam in partes diſtribuit. Certum eſt, inquit, quia Chriſti carpimus vias, cùm relicto itinere terreno, iter ſpirituale cōficimus: quando obediētia & humilitas, mentis gubernaculum moderantur: quando terrenis cupiditaustib repudiatis, ſpes futurorū illuminatam occupat mentem: quando illam bonorum cæleſtium pulchritudinem cordis ima ſuſpirant. Per ſalutiferas gradimur vias; quando anima, dānatis omnibus præſentium rerum voluptatibus, id potius cogitat, quando ſepoſitura ſit tabernaculum corporis ſui, rurſumque illud reſurrectionis tempore receptura: vt cum eodē recipiat, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.

Videbor cuiquam fortaſſè longior in hac admonitione fuiſſe: deſinet tamen mirari, quiſquis concionatorum officium, & quorundam ex ipſis abuſum conſiderauit. Moleſtiſſimè enim fero, nonnullos ita muneris & inſtituti ſui oblitos, vt

Concionator omnia dicta dirigat ad ſalutem auditorum.

nihil minus agant, quàm quod ex pręſcripto ſibi munere agere tenentur. Cùm enim hoc ſit concionatori propoſitum, vt quæcunque dicit, ad animarum ſalutẽ, ad caſtigandos hominum mores, ad virtutis præcepta tradenda, ad mundi contemptum, ad diuini numinis timorem pariter & amorem, cæteraque his ſimilia dirigere debeat, quidam per res otioſas & ſuperuacaneas ita vagantur, vt miſeri auditores, qui eò confluxerant, quò ſalutarem aliquam doctrinam haurirent, aridi prorſus atque ieiuni à concione redeant. Quis autem ferat medicum, cui æger commendatus eſt, aliud agere, & officij ſui curam negligere? Quiſquis igitur aptè dicere, & officio ſuo ſatisfacere cupit, inſtar periti ſagittatoris nuſquam oculos à miniſterij ſui ſcopo deflectat, vt ad illum totam orationis ſuæ vim dirigat. Itaque, vt cementarij numquam vel vnum lapidem in ædificio collocant, quin ſtatim amuſſim & regulam adhibeãt, qua rectè an ſecus collocatus ſit, explorent: ita fidelis ac prudens diuini verbi diſpenſator, quæcunque dicere inſtituit, ad hanc regulam expendere debet. Itaque cùm aliquid ad dicendum excogitauit, à ſe ipſo inquirat, quid hoc ad animarum ſalutem? quid ad bonos mores componendos? quid ad vitam hominum rectis inſtitutis moderandum? Quòd ſi ad hoc minus pertinet, quamlibet illud ſibi ſubtiliter & acutè excogitatũ videatur: rectè ſapit, nec ſe populo venditare cupit, tanquam otioſum, & ab inſtituto ſuo alienum repudiabit. Sed operę pretium tamen me facturum puto, ſi omnia ea, quæ ad orationem ſuam Eccleſiaſtes accommodare, atque deflectere debeat, hoc in loco, velut in tabella quadam ſpectanda propoſuero.

Simile.

I.

Vbi concionator ſuggeſtum conſcenderit, & circunfuſam'ex eo turbam fuerit contemplatus, proponat ſibi in animo, illam eſſe ægrotorum multitudinem, qui piſcinā olim circunſiſtebant, vt à morbis ſuis liberarentur: ſe verò velut Angelum eſſe cælitus miſſum, qui variis diuini verbi medicamentis nō vnum aliquem, ſed omnes, qui adſunt, ſanare ſtudet. Fingat igitur animo multos ibi eſſe claudos, qui viā quidem veritatis agnoſcāt, inertia tamen & languore animi, ac laboris metu deterriti, per eam ingredi detrectent. Alios verò eſſe aridos, qui nullum deuotionis, nullum humanitatis, & miſericordiæ ſuccum habeant. Alios autem cæcos, qui nulla diuinarum rerum cognitione illuminati, in tenebris ambulent, & paſſim offendāt. Sunt & alia his finitima vitia, quæ pius cōcionator ſæpè lamētatur. Cernit enim alios auaritiæ & ambitionis facibus inflammati: qui videlicet pecuniam, & inanes ſeculi honores pro Deo colūt: alios liuore & inuidia cōtabeſcere: alio fraterno odio, & vindictæ cupiditate æſtuare: alios ſuperbiæ ſpiritu efferri, cæteroſq; præ ſe ipſis faſtidire atq; deſpicere: alios libidinis concupiſcentia vri: alios ira præcipites ferri, cæteroſque aut conuitiis & maledictis inſectari aut diris omnibus deuouere: alios contra ſeruili animo blandiri, & turpiter maioribus adulari: alios, qui animas ſuas venales habent, quas pro rebus nihili ſub Dæmonis & peccati iugum mittunt. Quid verò illos referam, qui fluxum cogitationum, & affectuum quodam modo patiuntur, qui nullum eius obicem ponunt, neque vllum iuſti aut iniuſti delectum

Auditores ægri à cōcionatore medico ſpirituali ſanādi.

Peccatorum congeries.

habent? Quid illos commemorem, qui eodem (vt ita dixerim) fluxu in oculis & lingua laborant: qui videlicet nullam oculis cuſtodiam, nullum linguæ frænum adhibent: ſed quicquid illis in buccam venerit, effutiunt: & quicquid vident, cõcupiſcũt. Quid illos, qui paralyſis morbo diſſoluti, ad omnia ſpiritualia atque diuina adeò inſenſibiles effecti ſunt, vt non modò ſine vllo doloris ſenſu peccent, ſed lætentur etiam, cùm malefecerint, & exultent in rebus peſſimis? Quid illos, quorum Deus venter eſt: qui omnia vitæ ſtudia ad corporis indulgentiam & voluptatem referunt, nullamque aut animæ ſuæ, aut futuræ vitæ rationem habent, perinde atque omnia ſimul cum vita finirentur, nullamque futurorum ſpem haberent? Adde his etiam ſex illa ſcelera, quæ odit Dominus, & ſeptimum, quod deteſtatur anima eius: nempe, oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat diſcordias inter fratres. Sed in his ferè omnibus aduerſus homines delinquimus. Quid verò illa, quanto atrociora, quæ aduerſus cæleſtem Patrem committimus: quem ſupra omnia diligere, in quo ſpem omnem & felicitatem noſtram collocare, cuius mandatis obedire, cuius ſanctum nomen venerari, quem rebus omnibus anteferre, cui immortales pro innumeris eius in nos beneficijs gratias agere, quem in ore & corde ſemper habere, ac de eo dies noctesque cogitare deberemus? Quàm longè autem Chriſtianorum multi ab hoc officiorum obſequio diſtant, qui (vt Apoſtolus ait) ſine Deo in hoc mũ-

do vitam agere videntur? His igitur morbis reputet Eccleſiaſtes plèroſq; eorum, qui illum audiunt, laborare: qui omnes ſunt ad mortem, & mortem quidem ſempiternam. Quid ergo indignius, quàm eum, qui tot tantiſque malis curandis deſtinatus ſit, per aera quodammodo volitãtem muſcas venari, & aliud agere, quo tempore tantis malis ſalutarem opem ferre deberet?

Quia verò ad medicũ ſpectat, non ſolùm morbos curare, ſed integris etiam tuendæ ſanitatis præcepta dare, in hoc quoque Eccleſiaſtes medici curam & ſolertiam imitabitur: præſertim cum non ſatis ad perfectam iuſtitiam ſit, à malo declinare, niſi bonum facias. Vbi ergo à malis deterruerit, ad bona quoque opera, hoc eſt, ad omnia virtutum officia exhortari debet: maximè cùm vitia aduerſarum virtutum actionibus ſuperanda ſint. Ad ea verò præcipuè ſtimulare debebit, quæ præterquam quòd virtutes egregiæ ſunt, ad aliarum quoque virtutum ſtudia plurimum iuuant. In hoc autem genere primas tenent, aſſiduũ precandi officium, Dominicæ paſſionis, cęterorumq; diuinorum beneficiorum ſedula meditatio, ſacramentorum frequentior vſus, deuota piorum librorum lectio, affectuum cohibitio, diligens ac ſolicita cordis cuſtodia, carnis caſtigatio, externorũ ſenſuũ, ac præcipuè oculorũ & linguæ moderatio, & omnia miſericordiæ & humanitatis opera, ſiue quæ corporibus, ſiue quæ animabus proximorum impendimus. Poſtremò, Eccleſiaſtes exemplo Pauli omnibus omnia fieri, & in omnes ſe formas velut alter Protheus transformare debet, vt omnes faciat ſaluos. Alios enim terrere, alios in ſpem allicere, alios conſolari ſtudeat (qui videlicet variis calamita-

tibus & ærumnis premuntur: cùm omnia, quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſint: vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus) ſtantes confirmet, lapſos erigat, puſillanimes confortet, currentibus calcar addat, obfirmatos in ſceleribus ſuis diuini iudicii metu perterreat, & ſingulis quibuſq; conuenientia ſalutis medicamenta adhibeat. Deinde verò ad varios hominum ſtatus atque fortunas, variaq; vitæ officia inclinanda oratio eſt. Quod quidem Apoſtolus in fine Epiſtolarum ſuarum facere ſolet, cùm dominis & ſeruis, parentibus & filiis, viris & vxoribus, viduis atque diuitibus huius ſeculi, quid quiſque in ſtatu ſuo facere debeat, ſolicitè præſcribit. Quod etiam Ioannes Baptiſta fecit: dum omnibus ad ſe confluētibus, pro cuiuſque perſonæ conditione, variè tradidit præcepta viuendi. Ad hæc igitur & his ſimilia, quæcunque dicimus, flectere debemus: ſi piè, fideliter, atq; prudenter cœleſtis doctrinæ panem eſurientibus frangere, non populi plauſum captare volumus. Nec tamen ſic dicenti ſalutaris plauſus deerit. Multis nanque experimentis conſtat, nulla magis re populum capi, nullamq; attentius audire, quàm quæ vulneribus ſuis curandis accommodata eſt.

De Sententiarum & Epiphonematum ornamentis.

Cap. XIII.

Sententiæ & Epiphonemata inter varia elocutionis ornamenta numerantur. Quæ tamen, quoniam cum inueniendi ratione maximè coniuncta ſunt, hoc in loco aſcribere libuit: præſertim quod quemadmodum affectus &

accõmodationes argumentationi oratoriæ adiunximus, & velut partes eius fecimus: ita & ſententias & Epiphonemata cum ipſa argumentatione frequenter commiſcentur. Quod tamen ornamenti genus, qui breuitati nimium ſtudent, negligere ſolent, qui neſciunt quantam non modò decoris, ſed etiam vtilitatis partem orationi detrahant. Hac autem in re mihi etiam concionator ab oratore diſtare videtur: quòd hic rarò & verecundè admodum his ornamentis vtitur (ne magis vitã hominum inſtituere, quàm cauſam agere videatur) concionator autem, cùm non cauſas agat, ſed mores hominum inſtruat, his duabus orationis virtutibus maximè vtitur: idq; adeò, vt ſanctorum Euangeliorum enarrationes in hac præcipuè re poſitæ ſint: vt vbicunque occaſio tulerit, ſententias & Epiphonemata eruamus: quibus mores & vitam hominum inſtituamus: quas cum variis Scripturarum, & SS. Patrum teſtimoniis confirmamus, plenam concionem efficimus. Quominus mirandum eſt, ſi nos hiſce duabus virtutibus magis, quàm oratores vtamur, eaſq; inter inuentionis præcepta numeremus.

Sententia autem eſt oratio ſumpta de vita: quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breuiter oſtẽdit, hoc modo: Difficile eſt primùm virtutem reuereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit vſus. Item, Liber is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit. Item, Egens æquè eſt is, qui non ſatis habet, & is, cui nihil ſatis poteſt eſſe. Item, Optima viuendi ratio eſt eligenda, eam iucundam conſuetudo reddet. Huiuſmodi ſententiæ ſimplices non ſunt improbandæ: propterea, quòd habet breuis expoſitio, ſi rationis nullius

indiget, magnam delectationem. Sed illud quoque probandum eſt genus ſententiæ, quod confirmatur ſubiectione rationis, hoc modo: Omnes bene viuendi rationes in virtute ſunt collocandæ: propterea quòd ſola virtus in ſua poteſtate eſt omnia, præter eam, ſubiecta ſunt fortunæ dominationi. Item, Qui fortunis alicuius inducti, amicitiam eius ſequuti ſunt, hi ſimulac fortuna dilapſa eſt, deuolant omnes. Cùm enim receſſit ea res, quæ fuit conſuetudinis cauſa, nihil ſupereſt, quare poſſint in amicitia retineri. Sunt item ſententiæ quæ duplices efferuntur, vel ſine ratione, vel cum ratione. Sine ratione, hoc modo: Errant, qui in proſperis rebus omnes impetus fortunæ ſe putant fugiſſe. Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis caſus aduerſos reformidant. Cum ratione, hoc pacto: Qui adoleſcentium peccatis ignoſci putant oportere, falluntur, propterea, quòd ætas illa nõ eſt impedimento bonis ſtudij: at hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant: vt quibus virtutibus omnem vitam tueri, eas in ætate maturiſſima velint comparare. Hæc omnia ex Herenniana Rheto.

His porrò ſententijs, quæ ex contrarijs rebus conſtant, Salomon in Prouer. frequentiſſimè vtitur. Lege ca. 10. cuius eſt initiũ: Filius ſapiens lætificat patrem: filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ. Vndecimum quoque eiſdem ſententijs refertum eſt: Statera doloſa abominatio eſt apud Deum, & pondus æquum voluntas eius, & cætera quæ ſequuntur.

Quintillianus ſententijs addit, quas Græcè gnomas vocat: quod nomen ex eo acceperunt, quòd ſimiles ſint conſiliis atque decretis. Sub

hoc autem nomine adagia, quæ inſignem aliquam ſententiam continent, comprehendimus: quæ non vulgarem orationi & fidem, & ornamẽtum addunt: quorum non eſſe inops Eccleſiaſtes in lingua ſua debet. Quanuis in hoc genere quædam nimium humilia, ac penè ſordida ſunt, quæ dicentis autoritatẽ & grauitatem minuunt. Sunt item ſententiæ ad rem tantùm relatæ, vt: Nihil eſt tam populare, quàm bonitas: Interim ad perſonam: quale eſt illud: Princeps qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere. Sunt autem ſententiæ rectæ, ſunt & figuræ. Rectæ ſunt. Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. Figuratæ autem, vt: Vſque adeò ne mori miſerum eſt? Rectè enim dixiſſet, Mors miſera non eſt, ſed illud tamen acrius. Rectum eſt, Nocere facile, prodeſſe difficile. Sed vehementius Medea apud Ouidium dicit: Seruare potui: perdere an poſſim rogas? Vertit autem hanc penè ſententiam ad perſonam Cicero: Nihil, inquit, habet Cęſar, nec fortuna tua maius, quàm vt poſſis, nec natura melius, quàm vt velis, conſeruare quàm plurimos.

Eſt ſententiarum genus, non illud quidem petitum ab autoribus, ſed à nobis ad præſentis rei commoditatem confictum. Eas licebit omnibus orationis partibus admiſcere. Atque adeò vnus locus complures ſæpenumero ſententias parit. Incidunt enim & in enarrando, & in mouendis affectibus, non ſolùm in probationibus, quin etiam haud ratò trãſitiones per ſententias fiunt. Quæ ſi in loco adhibeantur, haud mediocrem orationi copiam adiungent, neque id ſine grauitate aut gratia. Sunt etiam ſententiæ, quæ Catholicæ dicuntur, vulgò iam ab omnibus receptæ,

qualis illa : Inuidentia ipſa ſui ſupplicium eſt. Et, Ira eſt breuis ad tempus ſtultitia.

Eſt & aliud tacitum & acutum ſententiæ genus, quod frequēter epithetis conficitur: vt, præceps inuenta, in conſultus amor, eſca malorum voluptas, moroſa ac difficilis ſenecta, vitiorum expultrix philoſophia, humanæ vitæ ſpeculum comedia, vitæ magiſtra hiſtoria. Sic Virg. Et cæco carpitur igne. Quod Ouid. explicuit, dicens: Tectus magis æſtuat ignis. Item in narrādo: Pars maior vincit meliorem: Explicabis, ſi dixeris: Ferè fit, vt pars maiors vincat meliorem.

Quiſquis igitur concionem ſuam huiuſmodi ſententiis ornare vult (omnes autem velle debent) rerum naturam, de quibus dicit, prudenter exploret, & quicquid in illis, quod ad vitę inſtitutionem faciat, introſpexerit, breui orationē explicet. Vt enim antè diximus, ſententia eſt, quæ quid ſit in vita, aut quid eſſe oporteat, breuiter oſtendit. Aliquando enim ex his, quæ dicuntur, ſententiæ manāt: aliquando verò, vt cauſæ & rationes eorum, quæ dicimus, afferuntur.

Gregor. in hom. Sic Diuus Gregorius ex Phariſæorum murmure aduerſus Dominum, quòd peccatores reciperet, in hunc modum philoſophatur. Ex qua re colligimus, quia vera iuſtitia compaſſionem habet, falſa verò indignationem. Interdum etiā ex vna aliqua ratione plures ſententiæ conſequuntur.

Seneca. Sic Seneca in epiſtola ad Polyb. conſolatoria de morte fratris : Illud quoque te adiuuet cogitantem, non iniuriam tibi factam, quòd talem fratrem amiſiſti, ſed beneficium datum, quòd tamdiu pietate eius tibi vti fruiquúe licuit. Iniquus eſt, qui muneris ſui arbitrium danti non reliquit. Auidus, qui non lucri loco habet, quod

ccepit: ſed damni, quod reddidit. Ingratus eſt, qui iniuriam vocat finem voluptatis. Stultus, qui nullum fructum eſſe putat bonorũm, niſi præſentium: qui non & in præteritis acquieſcit: & ea iudicat certiora, quæ abierunt: quia de illis ne deſinant, non eſt timendum. Nimis anguſtat gaudia ſua, qui eis tantummodo quæ habet, ac videt, frui ſe putant, & habuiſſe eadem pro nihilo ducit. Diuus verò Cyprianus ſententijs pro rationibus vtitur, ad confirmanda ea, quæ ſuadet, his verbis: Neque perſecutio ſola metuenda eſt, & ea, quæ ſubruendis ac deijciẽdis Dei ſeruis aperta impugnatione graſſantur. Facilior cautio eſt, vbi maniſeſta formido eſt. Et ad certamen animus ante præſtruitur, quando ſe aduerſarius confitetur. Plus metuendus eſt & cauendus inimicus, cùm latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit. Idem in Epiſt. ad Confeſſ. vt felicibus confeſſionis ſuæ initijs finem adiungant, ſic ait: Danda vobis opera eſt, vt poſt hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus eſſe cœpiſtis. Hæc propoſitio eſt, cui rationes ex ſentẽtiis ſubiiciuntur, hoc modo: Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt, quod adeptum eſt, poſſe ſeruare. Sicut & fides ipſa, & natiuitas ſalutaris non accepta, ſed cuſtodia viuificat. Nec ſtatim conſecutio, ſed conſummatio hominem Deo ſeruat. Hęc ferè de ſententiarum ornamentis Rhetores præcipiunt: in quibus qui volet eſſe diues, legat ex Ethnicis quidem ſcriptoribus Senecam, ex noſtris verò Diuum Gregorium, qui in hac virtute principes extiterunt.

Cypriã. in Epiſt.

Idem.

De Epiphonemate. I.

Sententiis Epiphonemata, quòd tenui limite ab illis diuidantur, adiunximus. Eſt autem Epiphonema, vt Fabius ait, rei narratæ, vel probatæ ſumma acclamatio. Quale eſt illud: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Quia verò hæc diffinitio ſubobſcura eſt, illam ego rudi (quod aiunt) Minerua explicandam curabo. Cuius explicationem facilè intelliget, quiſquis vel paululum in Dialectica arte verſatus fuerit. Ea enim quæ Dialectici, vel ex diffinitionibus, vel expoſitionibus, aut concluſionibus, inferunt, Corolaria vocant. At Epiphonema (de quo nũc agimus) quædam corolarij ſpecies eſt. Corolarium nanque latiſſimè patet. Omnia enim, quæ ex antè dictis referuntur, ſiue vnum, ſiue multa ſint, Corolaria appellantur: Epiphonema autẽ Corolarium quidem eſt, ſed ad certam diffinitamque materiam contractum. Non enim quicquid ex rebus, quas tractauimus, elicitur, Epiphonema eſt: ſed id ſolùm, quod admirationem vel rei, de qua igitur, amplificationem, vel inſignem aliquam ſententiam continet. Epiphonema eſt. Sic Cicero pro Milone: Pudicitiam cùm eriperet militi tribunus in exercitu C. Marij, propinquus eius Imperatoris interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. Hic breuiter res geſta narrata eſt. Subdit protinus Cicero Epiphonema hoc modo: Facere enim probus adoleſcens periculoſè, quàm turpiter perpeti malui. Hæc ſententia ex re narrata apertè conſequitur, quæ adoleſcẽtis conſtantiam atque virtutem amplificat: quando is cum periculo etiam vitæ, flagitiũ à ſe propulſauit. Interdum etiam Epiphonema cauſam continet facti. Cùm videlicet ex natura rei cauſa

Cicero.

colligitur. Vt enim ex cauſis effectus, ita ex effectibus intelliguntur cauſæ. Tale eſt illud Ioannis, Multi etiam ex principibus crediderunt, ſed propter Phariſæos non confitebantur, ne de ſynagoga eijcerentur. Hic effectus eſt. Subdit autem Euangeliſta cauſam: Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Hæc oratio & cauſam continet facti, & ſententiam ad perſonas relatam. Sulpitius Seuerus in vita D. Martini, poſtea quàm illam Sancti viri in agone mortis conſtituti orationem, commemoraſſet, Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua, huiuſmodi Epiphonema ſubiecit: O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum: qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit. Hac eadem ratione, in quauis Euangelica lectione multa ſimilia his Epiphonemata colligere licet. Sumamus (exempla gratia) Matthæi Euangeliſtæ vocationem, eiusque obedientiam, & publicanorum conuiuium. Quàm multa ex hac ſacra lectione Epiphonemata, quæ admirationem & amplificationem continent, colligere licet? Quàm larga enim illa Domini pietas & miſericordia, quæ publicanum ad Apoſtolici, & Euangelici muneris dignitatem vocauit? Item, Quàm ſtupẽda iudicia Dei, qui multis aliis iuſtitiæ cultoribus prætermiſſis, hominem turpi negotio victitantem ad tantam gloriam eligere voluit? Quanta itẽ vis illa diuini Spirit⁹, qui vnico verbo ita cor hominis immutauit? Quanta rurſus illa obedientia, quæ ad vnum vocantis Domini verbum, quæ habebat, omnia deſeruit? quanta item eiuſdem charitas, & alacritas, quæ amicos & publica nos ad Domini conuiuium inuitauit: vt eius monitis

D. Ioã. nes.

Sulpit. Seu.

Matthai vocat.

& exemplis, ſuauiſſimoque conuictu in eius amorem raperentur, & exemplo ſuo relictis omnibus eundem Dominum ſequerentur? Præterea quanta eiuſdem Domini benignitas, charitas, & humilitas, qui neque peccatorum conuiuia dedignatus eſt, quò illos ad ſe benignè traheret, neque Phariſæorum obtrectationes curauit? Ac deinde, quanta Phariſæorum malitia, qui virtuti, qua ipſa carebant, vitij nomen impoſuerunt, ne in hoc charitatis officio Chriſto Domino inferiores viderentur? Hæc omnia non dubium, qui in Epiphonemata ſint, quæ ex ſacra hac hiſtoria colliguntur: quæ nos fuſius perſequentes, integram concionem in eiuſdem Apoſtoli feſto confecimus. Mirus eſt in hoc genere Diuus Ambroſius, qui Agnetis Virginis fortitudinem atque conſtantiam in tam tenera ætate, hac potiſſimũ orationis virtute illuſtrat & amplificat. Sic enim ait: Nomen virginis titulus eſt pudoris: appellabo Martyrem: prędicaui ſatis. Prolixa laudatio eſt, quæ non quæritur, ſed tenetur. Hanc ſenes, hanc iuuenes, hanc pueri canant. Nemo eſt laudabilior, quàm qui ab omnibus laudari poteſt. Quot homines, tot præcones, qui martyrẽ prædicant, dum loquuntur. Hæc duodecim annorum martyrium feciſſe traditur. Quò deteſtabilior crudelitas, quæ nec minuſculæ pepercit ætati. Imò magna vis fidei, quæ etiam ab illa teſtimonium inuenit ætate. Fuit ne in illo corpuſculo vulneri locus? Et quæ non habuit, quo ferrũ reciperet, habuit quo ferrum vinceret. Nouum Martyrij genus) Nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronanari. Non ſic ad thalamum nupta properaret, vt ad ſupplicij locum. Flere omnes, ipſa ſine fletu.

Ambroſius.

Conſtãtia virginis.

Mirari plerique, quòd tam facilè vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, iam quaſi perfuncta donaret. Stupere vniuerſi, quòd iam quaſi diuinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Effecit denique, vt ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc nõ credebatur: quia quod vltra naturam eſt, de authore natura eſt. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe addictus fuiſſet: tremere percuſſoris dextram, pallere ora aliena timentis periculo, cùm puellą non timeret ſuo. Hactenus Ambroſius. In cuius oratione facilè ſtudioſus lector Epiphonemata ſingulis penè periodis adiecta deprehendet: quæ non vulgari acumine rem per ſe alioqui illuſtrem illuſtriorem: atque mirabiliorem reddunt. Eſt autem hoc pulcherrimum orationis ornamentum: in quo quidem abundant, qui ingenij acumine plurimum valent. Quò enim plenius rei naturam comprehendunt, eò plura ex his, quæ dicta ſunt, colligunt: quæ vbi rem amplificant, Epiphonemata dicuntur. Narratio quippe & expoſitio rerum, cuique vel rudi etiam ingenio in promptu eſt. At ſententias, & quidquid admirationem, vel amplificationem continet, quod è rebus iam expoſitis aut probatis infertur, animaduertere, & argutè, breuiterq; proferre (quod Epiphonematis eſt proprium) non vulgaris ingenij eſt. Eius autem præcipuus vſus in clauſulis eſt. Ideo enim Epiphonema eſſe dicitur, rei narratæ, vel probatæ ſumma acclamatio. Denique quicquid in clauſulis autem acutè ferit, Epiphonema eſt.

Sic Diuus Auguſtinus expoſita breuiter Beatiſſimi Martyris Vincentij paſſione, adiecit Epi-

phonemata, quæ inſuperabilem Martyris conſtantiam mirè attollunt, & rem expoſitam amplificant. Si cõſideretur in hac paſſione humana patientia, incipit eſſe incredibilis: ſi agnoſcatur diuina potentia, deſinet eſſe mirabilis. Tanta graſſabatur crudelitas in Martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce: tanta pœnarum aſperitas ſæuiebat in membris, tanta ſecuritas ſonabat in verbis, vt putaremus Vincẽtio patiente, alium loqui, alium torqueri. Clariorem nobis Martyrem tormenta faciebant. Multiplici enim vulnerum varietate confoſſus, non deſerebat pugnam, ſed acrius iterabat. Putares, quod eum duraret flamma, vt vreret. Hactenus Auguſtinus. In cuius verbis, quicquid expoſita martyris cõſtantia acutè colligitur, quòd rem amplificet, atque mirabilem faciat, meritò Epiphonema eſſe dicitur.

Patientia in tormentis.

De Prolepſi, quæ Latinè præſumptio, vel anticipatio dicitur.

Cap. XIV.

POST ſententias & Epiphonemata Prolepſim quoque addere libuit. quæ quanquam inter ſententiarum figuras, quæ ad elocutionem pertinent (ſicut Epiphonemata & ſententiæ) numeretur, quia tamen plurimum cum inueniendi ratione, ſicut & illa conuenit, plurimumque & ornatus, & vtilitatis, & conſilij continet, hoc in loco adſcribendã, & argumẽtationi adiungendam duxi: quanuis ea non minus in cæteris inuentionis partibus locum habeat. Quemadmodum enim ea, quæ dicimus, tũ ſententias, tum Epiphonemata pariũt: ita ex iiſdem

dem hæc orationis virtus oritur. Quid autem Fabius de hac figura dicat, primo loco ſubijciã. Ait igitur: Mirè verò in cauſis valet præſumptio, quæ Prolepſis dicitur, cùm id, quod obijci poteſt, occupamus. Id neque in aliis partibus parum eſt, & præcipuè procemio conuenit. Sed quamquam generis vnius, diuerſas tamẽ ſpecies habet. Eſt enim quædam præmunitio, qualis Ciceronis contra Q. Cęcilium, quòd ad accuſandum deſcendat, qui ſemper defenderat. Quędam confeſſio, vt pro Rabirio Poſthumo, quem ſua quoque ſententia reprehendendum fatetur, quòd pecuniam regi crediderit. Quædam prædictio, vt: Dicam enim, non augendi criminis gratia. Quædam emendatio, vt: Rogo ignoſcatis mihi, ſi lõgius ſum euectus: Frequentiſſima præparatio ſi pluribus verbis, vel quare facturi quid ſimus, vel quare fecerimus dici ſolet. Verborum quoque vis ac proprietas confirmatur: vel præſumptione: cuiuſmodi eſt illud: Quanquam illa non pœna, ſed prohibitio ſceleris fuit: aut reprehenſione: quale eſt illud: Ciues, inquam, ſi hoc eos appellari nomine fas eſt. Hactenus Fabius. Sed quoniam is breuiter hũc locum abſoluit, quid ego de hac virtute ſentiam, familiari Dialecticorum exemplo indicabo. Duos hi rerum conceptus eſſe ſtatuunt, quos directum & reflexum appellant. Et directum quidem eſſe dicunt, cùm ſimpliciter id ſolum cõcepimus, quod propoſita vox aut oratio ſignificat: reflexum autem, quod ſupra id, quod directè concepimus, reflectimur, ſingulare aliquid in eo, quod concepimus, expendentes, aut commentantes, aut etiam obijcientes. Ex hac enim poſteriori animi conceptione hæc virtus manat: quo videlicet

Fabius.

Cicero.

prudens concionator prudentis auditoris perſonam quodammodo induit: & quidquid ille tacita cogitatione, vel annotare, vel ponderare, vel obijcere poterit, ipſe propter tardiores annotat, ponderat, aut diluit. Itaque duas quodammodo perſonas ſuſcipit, & dicentis, & audientis: atque tacitis huiuſmodi cogitationibus prudenter occurrit. Verbi gratia. Ex ijs, quæ dicimus, quædam prima fronte apparent arroganter, aut ſordidè, aut obſcurè, aut minus vtiliter, aut ſubtiliter, aut longius, aut breuius, aut aſperius atque liberius, aut minus aptè dicta. His igitur veluti querelis prudentis auditoris, breuiter occurrendum eſt: & ratione oſtendendum, nos id non temerè, ſed conſilio dixiſſe: aut aliter fieri minimè potuiſſe. Sic D. Chryſo. accuſare eos volens, qui ſorores adoptiuas domi fouerent, parumque honeſtam huius cohabitationis cauſam eſſe contenderet, obiurgationis aſperitatem hac figura molliuit. Sic enim ait: Afferemus autem in medium, quam nos potiſſimũ cauſam huius cohabitationis ſuſpicemur. Et quænam illa? Omnino ſi à ſcopo aberrauero, fas vobis eſto, vt me redarguaris. Et quænam cauſa? quis ille prætextus? Videtur mihi mulieris conuictus, etiam abſque nuptiis ac congreſſu voluptatis habere nonnihil. quod ſi non rectè ſentio, non eſt quod dicam. Meam vobis ſententiam narro, mox autem non meam ſolùm, ſed & illorum dicam: nam & illis ſic videtur. Quod inde colliqueſcit. Tantam enim gloriam, & tanta ſcandala neutiquam deſpicerent, niſi ingens quædam & vehemens cohabitandi voluptas eſſet. Precor, vt nobis venia detur, deſitque indignatio. Neque enim temerè & ſimpliciter inimicos vellem. Non ſum

Chryſo.

Mulierũ cohabitatio vitanda.

tam miſer atque ærumnoſus, qui temerè omnes offendere velim: ſed valdè doleo ac crucior, & gloriam Dei blaſphemari, & multorum ſalutem propter voluptatem hanc paulatim perire. Et habet voluptas hæc maiorem cohabitandi amorem, quàm legitimæ nuptiæ. Quod nũc fortè vobis mirum videtur: ſed vbi quod auditis, declarabo, eritis & vos mihi teſtes. Et paulò inferius, obiurgationis acrimoniam iterum mollire volens, his verbis vtitur. Nec valdè ſuccenſeamus eis, neque difficiles ſimus & importuni. Nam qui ægrum vult reſtituere, non hoc agit ira & verberibus: ſed aptat magis pharmaca magna cura, & blãda adhortatione. Nobis quanuis illos punire, & eis indignari liceret, vtpotè in iudicum aſcitis ordinem, non tamen hoc facimus: ſed medicorum magis, & eorum, qui curare ſolent, morem ſequi lubet. Vnde obſecramus, & adhortamur, & eorum, ſi opus eſt, genua attingimus, ſi fortè quod agendum ſuſcepimus, perficiamus. Hactenus Chryſoſtom. In cuius verbis ſatis liquet, quanta arte & conſilio occurrit omnibus, quæ cauſæ, quam tractabat, obſiſtere poſſent.

Præter hæc autẽ cùm res paulò obſcurior, aut ſubtilior, aut etiam illuſtrior eſt dicenda, attentio ab auditoribus ſine vlla arrogantia & oſtentatione petenda eſt. Breues etiam exclamatiunculæ, quæ rerum dignitatem, neceſſitatem, & pondus oſtendãt, interiici non incommodè hac virtute ſolent. Cùm autẽ quædã ex ijs, quæ dicimus, ad viros, quædã ad vxores, quædam ad dominos, quædam ad ſeruos, nonnulla ad diuites, alia ad pauperes magis pertineãt, hoc quoque breuiter indicandũ eſt, quò eorum excitet attẽtionem, ad

quos ea potiſſimum ſpectant. Iam verò cùm aliquid mirabile, incredibile, ſupraque commune hominum fidem poſitum narramus, non modò affectus ex rei magnitudine concitandi, ſed veritas etiam rei aliqua ratione munienda eſt, & interdum etiam iureiurando confirmanda. Sic D. Hieron. Sancta, inquit, Melania noſtri temporis
Hiron. inter Chriſtianos vera nobilitas, calente adhuc mariti corpuſculo, duos ſimul perdidit filios. Rem dicturus ſum incredibilem, ſed teſte Chriſto non falſam. Lachrymæ gutta non fluxit, ſed ad pedes aduoluta Chriſti, Expeditius, inquit, tibi Domine ſeruitura ſum, quia tanto me onere liberaſti. Iam verò B. Iob rem omnium maximè
Iob. mirabilem, præſertim ſuo tempore dicturus, (nempe reſurrectionis corporis, & incarnationis Dominicæ ſacramẽtum) quàm appoſita pręfatiuncula vſus eſt? Quis, inquit, mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro ſtilo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice? Subdit deinde rem maximè mirabilem. Scio enim quòd redemptor meus viuit, & nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & quæ ſequuntur. Id interdum longiori etiam oratione fit. Sic Theodoretus in vita Simeonis Stilitis, cùm nouum illud, & inauditum vitæ genus in altiſſima columna ſub dio conſidentis, narrare vellet, ne res adeo noua ac mirabilis fide careret, hac ſimilitudine rei fidem fecit. Quemadmodum, inquit, ij, quibus obtigit vt eſſent reges hominum, poſt aliquam temporis conuerſionem mutant imagines nummorum, aliquando quidem leonum exprimentes imagines, aliquando autem ſtellarum, & aliquando angelorum, nouo charactere tentan-

tes aurum redere pretioſius : ita etiam ſummus rex vniuerſorum (veluti quaſdam figuras ac characteres) hæc noua, & multiplicia viuendi inſtituta pietati, veræque religioni adijciens, non ſolùm Chriſtianorum , ſed infidelium etiam ad laudandum linguas excitat. Hactenus ille. Sic etiam quiſquis beatiſſimæ Catharinæ Senenſis virtutes celebrare , & admiranda illa diuinæ familiaritatis indicia, quibus illam ſibi Dominus deuinxit, narrare parat : quòd videlicet illam ſibi Chriſtus Dominus mira ratione deſponſauerit, quòd ab eius pectore abſtractum cor triduo apud ſe retinuerit, quòd cum ea canonicas horas recitauerit, hæc omnia quæ humanam fidem ſuperare videntur, ex immenſa Dei bonitate, & mira in Sanctos ſuos charitate, eiuſque aliis operibus maiori admiratione dignis, credibilia facere debet. Hæc exempli gratia dicta ſint: præceptio enim hæc latiſſimè patet. quam tamen dicentis acumen & prudentia, & auctorum obſeruatio magis, quàm præcepta explicabunt. Hæc enim virtus concionatoris & oratoris propria eſt: qui cum rudi frequenter & indocta multitudine agentes, his eam rationibus erudire & excitare debent. Mirus eſt in hac figura Greg. Theolog. Ex cuius lectióne prudens lector obſeruationis huius rationem magis, quàm ex vllis artis præceptionibus intelliget, ſi illius tamen ſcripta non oſcitanter legerit. Quiſquis igitur ea, quæ Fabius de hac figura præcepit, & quę nos admonuimus, diligenter annotauerit, & legendis auctoribus obſeruauerit, facilè eius rationem & naturam comprehendet. *Greg. Theo.*

Ex his ergo, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, liquet, nos Collectioni (quam Rhetores quinq;

partibus conſtare dicunt) quinque alias Concionatori maximè vtiles & neceſſarias addidiſſe: nempe Affectus, Accommodationem, Sentētias, Epiphonemata, & Prolepſim: quæ tamen non omnes in omni argumentatione cadunt. Quæ autem cadant, ex natura rerum, quas tractat prudens concionator, colligere poterit.

Harum autem partium cognitio mirè vtilis eſt. Ea namque admonetur cōcionator, vt propoſitionem aliquam probaturus, primùm ex locis, quos antè commemorauimus, rationes quærat, præcipueq; ex ijs, quos intrinſecos appellari diximus. Deinde rationum cōfirmationes inueſtiget: quæ ab extrinſecis potiſſimū locis oriuntur. Tertio loco (ſi natura rei exigat) exornationem adhibebit: quæ non ad ſolam confirmationem, ſed ad quanuis aliam argumentationis partē pertinet. Quartò, inſpecta diligenter rerum natura, de quibus dicit, videat an materiam ei ad tractādos affectus, accommodationes, ſententias, & Epiphonemata ſuppeditent. Hæc enim omnia ex ipſa rerum natura oriuntur: quemadmodū Philoſophi ex potentia materiæ formam educi aiūt. Prolepſis verò, quę cōfutationis naturam refert, non ſolùm ex natura rerum, quas dicimus (quādo videlicet ex illis dubitandi materia naſcitur) ſed ex auditorum etiam ingeniis & conditione colligitur, quemadmodum paulo antè à nobis eſt dictum. Has autem figuras, quæ ad elocutionem pertinent, ideò cum inuentionis præceptis copulare voluimus, quoniam, vt paulò ante diximus, ex ipſis (vt ita dixerim) rerum viſceribus, de quibus dicimus, oriuntur: quarum materiam res ipſæ concionatori dabunt, ſi eas penitius altiuſque conſiderauerit. Quibus non gra-

uabor exclamationem adiungere (quæ etiam inter eloquutionis figuras numeratur) quæ tunc aptiſſimè cadit, cùm ex ipſa rerum natura velut ſponte ſua incurrit: vt magis ab ipſa nata, quàm dicentis ingenio aſcita eſſe videatur.

De elocutionis genere, quo argumentationes ſupra poſitæ tractandæ ſunt.

Cap. XV.

AD plenam abſolutamque partis huius tractationem, hoc vnum deſiderari videtur, vt quando tum de inuentione argumentorum, tum de formis earum diſſeruimus, quo elocutionis genere, quibuſque dicendi figuris in argumentatione vti debemus, breuiter aperiamus; ne quidquam ſit, quod ad huius doctrinæ partẽ deſiderari poſſit. Qua de re vbi Fabius de ſyllogiſmis, cæteriſque argumentationũ formis multa dixiſſet, ſic in fine ait: Peregiſſe mihi videor ſacra tradentium artes, ſed conſilio locus ſupereſt. Nanque ego vt in oratione ſyllogiſmo quidem aliquando vti, nefas non duco, ita conſtare totam, aut certè confertam eſſe aggreſſionum & enthymematũ ſtipatione, minimè velim. Dialogis enim & dialecticis diſputationibus erit ſimilior, quàm noſtri operis actionibus, quæ quidem inter ſe plurimum differunt. Nãque illi homines docti, & inter doctos verũ quærentes, minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia, & ad liquidum cõfeſſumque perducũt: vt qui ſibi & inueniendi, & iudicandi vendicent partes. Nobis ad aliorum iudicia componenda eſt oratio, & ſępius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros literarum loquendum eſt : quos niſi

& delectatione allicimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus affectibus, ipſa quæ iuſta ac vera ſunt, tenere non poſſumus. Locuples & ſpecioſa vult eſſe eloquentia: quorum nihil conſequetur, ſi concluſionibus certis & crebris, & in vnam propè formam cadentibus conciſa, & contemptum ex humilitate, & odiũ ex quadam ſeruitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidium tulerit. Feratur igitur non ſemitis, ſed campis, non vti fontes anguſtis fiſtulis colliguntur, ſed vt latiſſimi amnes totis vallibus fluat, ac ſibi viam ſiquãdo non acceperit, faciat. Nã quid illa miſerius lege velut præformatas infantibus literas perſequentium, vt Græci dicere ſolent, quem mater amictum dedit, ſolicitè cuſtodientium? Propoſitio ac concluſio, ex conſequentibus & repugnantibus non inſpiret? non augeat? non mille figuris variet ac verſet? vt ea naſci, & ipſa prouenire natura, nõ manufacta, & arte ſuſcepta, magiſtrum fateri vbiq; videantur? quis vnquam ſic dixit orator? Nonne apud ipſum Demoſthenẽ pauciſſima huiuſmodi reperiuntur? Quæ apprehenſa Græci magis (nam hoc ſolùm nobis peius faciunt) in catenas ligant, & inexplicabili ſerie connectunt, & indubitata colligunt, & probant confeſſa, & ſe antiquis per hoc ſimiles vocant. Deinde interrogati, nunquam reſpondebunt quem imitentur. Sed de figuris alio loco. Nunc illud adijciendum, ne his quidem conſentire me, qui argumenta ſermone puro, & dilucido, & diſtincto, cæterùm minimè lato ornatoque putant eſſe dicenda. Namque ea diſtincta quidem ac perſpicua debere eſſe cõfiteor: in rebus verò minoribus etiam ſermone, ac verbis quàm maximè proprijs, & ex vſu. At

ſi maior erit materia, nullum ornatum his, qui modò non obſcuret, ſubtrahendum puto. Nam & ſæpe plurimum lucis affert ipſa tranſlatio, cùm etiam ipſi iuriſconſulti, quorum ſummus circa verborum proprietatem labor eſt, littus eſſe audeant dicere, qua fluctus alludit. Quod quoque natura magis aſperum, hoc pluribus condiēdum eſt voluptatibus, & nimis ſuſpecta argumentatio diſſimulatione, & multum ad fidem adiuuat audientis voluptas. Niſi fortè exiſtimamus Ciceronem malè in hac ipſa argumentatione dixiſſe: Silere leges inter arma, & gladium nobis interim ab ipſis porrigi legibus. His tamen habendus modus: vt ſint ornamento, non impedimento.

Hactenus de præcipua inuentionis parte, hoc eſt, probandi ratione & argumentorum formis, quæ in commune dicenda videbantur, perſtrinximus: nunc conſequens eſt, vt in ſequenti libro de ratione amplificandi, quæ huic finitima eſt, quæque concionatoribus cum primis neceſſaria eſt, diſſerere incipiamus.

ECCLESIASTICÆ RHETORICÆ, SIVE DE RATIONE concionandi, LIBER TERTIVS.

In quo de amplificandi ratione & affectibus agitur.

Quid amplificatio ab argumentis differat.

Caput primum.

AMplificationem (quam inuentionis partem eſſe conſtat) ab argumentatione & probandi ratione (de qua hactenus loquuti ſumus) ſecernere voluimus : non quòd ab ea modis omnibus ſejuncta ſit , ſed quòd argumentatio ad omnia quæſtionum genera latiſſimè pateat : in quibus quærimus, ſitne res, an non ſit, quid ſit , qualis itē ſit, & cuius rei gratia talis ſit, & multa his ſimilia. Amplificatio autem ad certa quæſtionum , ſiue propoſitionum genera contrahitur : in quibus de ſola rei magnitudine & amplitudine quæritur. Hoc eſt , cùm oſtendere nitimur aliquid eſſe in genere ſuo vehementer indignum, calamitoſum, lætum, triſte , miſerabile , amabile , deteſtabile, formidandum , vel optandum : & quæ ſunt eius generis. Hac enim ratione ad effectus concitandos, ad ſuadendum vel diſſuadendum, ad laudandum aut vituperandum viam munimus : ad hæc enim tria amplificandi ratio potiſſimùm condu-

cit. Itaque amplificatio (velut argumẽtatio quædam) ad certum genus contracta eſt. Differunt etiam hæ duæ orationis partes, argumentorum tractatione. Argumentatio enim ſyllogiſmis vtitur, hoc eſt, genere orationis in orbem quodammodo redacto, quamuis fuſius orator, quàm dialecticus ſyllogiſmum tractet. Amplificationis autem oratio expoſitioni, & enumerationi, quàm argumentationi ſimilior eſt. Sic Paulus propoſitionem hanc: Miniſtri Chriſti ſunt: vt minus ſapiens dico, plus ego, laborum ſuorum enumeratione amplificat his verbis: In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter: & cætera, quæ deinceps ſequuntur. Poſtremò differunt etiam fine. Argumẽtationis enim eſt, fidem facere, & intellectum ad aſſenſum vi argumentationis perducere. Amplificationis autem eſt, non ſolùm intellectum conuincere, vt rem eſſe in ſuo genere maximam credat: ſed etiam voluntatem ad amandum vel deteſtandum, vel in quemuis alium affectum inducere.

Inuentio autem earum rerum, quæ ad amplificandum pertinent, ex eiſdem locis vnde argumenta petuntur, ſumenda eſt. Si enim amplificatio (vt paulò ante diximus) velut ſpecies quædam argumentationis eſt, efficitur ſanè, vt vtriuſque inuentio ex iiſdem locis oriatur. Sed ex his tamen locis quædam magis ad amplificandum valent: ea videlicet, quæ multa in vna aliqua re eſſe oſtendunt. Vnde loci à partibus, à cauſis, ab effectibus, & quæ his finitima ſunt, nempè ab adiunctis, hoc eſt, antecedentibus, & conſequentibus: quæ omnia exemplis, ſimilibus, & ſcripturarum, vel Sanctorum Patrum

teſtimoniis augentur & confirmantur. Quarũ rerum exempla paulò poſt ſubijciemus.

Veruntamen hoc in loco ad memoriam reuocare neceſſe eſt, quod ante diximus, videlicet duplices eſſe propoſitiones, quæ probãtur, vel amplificantur, hoc eſt, hypotheſes aut theſes, quæ Latinè finitæ aut infinitæ dicuntur. Finita ſiue hypotheſis eſt, ſi quis vel obedientiam Abrahæ, filium immolare parantis, vel adulterium à Dauide Vriæ vxori illatum amplificare velit, vtraque propoſitio finita erit: quæ videlicet ad has tantùm perſonas pertineat. Contra verò, ſi quis obedientiam in commune laudare, adulterium vituperare velit, propoſitio infinita erit: quæ videlicet latè ad omnia perſonarum genera pateat. Hæc igitur propoſitio infinita, ex his præcipuè locis, quos ſupra memoraui, argumenta, hoc eſt, amplificandi rationes quærit. Finita verò, quæ circunſtantiis implicita eſt, non modò ab his locis, ſed ab omnibus etiam circunſtantiis rem attollit & amplificat. Quæ res in augenda peccatorum grauitate Theologis valdè nota eſt: qui duplices eſſe circunſtantias ſtatuunt: alias, quæ in infinitum peccata aggrauent, & interdum etiam eorum ſpeciem mutent: quas neceſſariò in peccatorum confeſſione detegendas aiunt. Alias verò, quæ citra infinitum aggrauent: quæ tamen non ſint neceſſariò confitendæ. Hoc autem peccatorum exemplo, facilè Theologi intelligent, quonã modo virtutum quoque officia, quæ certis perſonis ac temporibus tribuuntur, ex circunſtantiis quoque augenda & amplificanda ſint: cùm eadem contrariorum diſciplina ſit. Sed operæ pretium erit, vt hæc ipſa quæ diximus, propoſitis exemplis illuſtremus.

A partibus amplificatio.

Cap. II.

A Partibus Prophetæ variorum regnorum caſus miſerandos amplificant: qui non contenti ſimplici oratione regni excidium & vaſtitatem indicaſſe, calamitates omnes enumerant, quas vna illa vaſtatio complectitur. Sic Hieremias in Threnis Hieroſolymorum ruinam: ſic etiam Babylonis euerſionem cap. 50. & 51. amplificat. Sic etiam Ezechiel Tyri, & Ægypti, & Aſſyriorum vaſtationem lamẽtatur: dum opes omnes horum regnorum quę diripiendæ erant, longa oratione enumerat. Sic etiam Ioab ſeruorum Dauidis beneficium, & intempeſtiuas eius lachrymas hac ratione amplificat: Confudiſti hodie vultus omnes ſeruorum tuorum, qui ſaluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum. Hic apertè videmus rem ab eius partium enumeratione auctam. Sic etiam Gregorius Theologus Homilia de ſeptem Machabæis, matris eorum conſtantiam amplificat: quæ omnibus tormentorum generibus ante illam propoſitis, de gradu virtutis & conſtantiæ depelli non potuit. Vnde ait: Matris verò robur, animique conſtantiam nihil flectere, & emollire, ac debilitare potuit. Non inſtrumenta luxandis artubus accommodata, non rotæ propoſitæ, non exquiſitiſſima quæque tormentorum genera, non ferrearum vngularum acies, non furentes beſtiæ, non enſes qui acuebantur, non feruentes ollæ, non ignis qui excitabatur, non miſcellanea turba, nõ Gregor. Theol.

vrgentes ſatellites,non generis aſpectus, nõ mẽbra quæ diſcerpebantur,non carnes quę lacerabantur,nõ defluentes ſanguinis riui,nõ flos ætatis qui abſumebatur, non præſentia mala, non impendentes acerbitates. Hactenus ille. Quo in loco à partibus, hoc eſt, ab enumeratione omnis generis tormentorum, mirabilem huius mulieris conſtantiam amplificauit. Ad hunc etiã modum Lactantius Firmianus Dominicæ crucis acerbitatem ex eius partibus, hoc eſt, ex cunctis eius mẽbris ſauciatis amplificat. Sic enim Chriſtum Dominum hoc modo loquentem inducit.

Lactãt. Firmiã.

Vertice ad vſque pedes me luſtra, en aſpice crines
Sanguine concretos, & ſanguinolenta ſub ipſis
Colla comis, ſpinisque caput crudelibus hauſtum,
Vndique diuа pluens viuum ſuper ora cruorem:
Compreſſos ſpeculare oculos, & luce carentes,
Afflictasve genas: arentem ſuſpice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus:
Cerne manus clauis fixas, tractoſque lacertos,
Atque ingens lateri vulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, foſſosque pedes, artuſque cruentos.
Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Hactenus ille. Quo in loco vides totum, enumeratis partibus, quas integrantes appellant, amplificatum. Magis enim rem auget ſingularum partium diſtincta enumeratio, quàm confuſa totius rei propoſitio. Hac eadem ratione ſecundus de rerum Copia Commẽtarius hãc propoſitionem amplificat. Rem omnem luxu perdidit. Eam ſententiam in ſumma comprehenſam, quaſique conuolutam, hunc ad modum licebit euoluere, ſi plurimas poſſeſſionum formas

enumeremus, & varias perdendæ rei vias explicauerimus. Quidquid vel matris, vel patris nomine hæreditate obuenerat, quidquid aliorum affinium morte contigerat, quidquid ex vxoris dote, quæ quidem neutiquam erat vulgaris, acceſſerat: quidquid ex legatis accreuerat (accreuerat autem permultum) quidquid ex principis acceperat liberalitate: quidquid peculij caſtrenſis conflauerat: pecuniam omnem, vaſa, veſtes, fundos, agros, vnà cum ipſis villis, & pecoribus: breuiter, rem omnem ſeu mobilem, ſeu ſoli, denique familiam etiam ipſam in fœdiſſimis ſcortorum amoribus, quotidianis comeſſationibus, ſumptuoſis obſonationibus, nocturnis perpotationibus, popinis, cupediis, vnguentis, alea, luſibus, paucis diebus ita abſumpſit, abligurriuit, abſorbuit, vt ne teruncium quidem ſibi reliquum fecerit. Hic duo illa verba, rem omnem, & luxu perdidit, ſuis partibus explicantur. His igitur rationibus totum, enumeratione partium, quæ ſub illo continentur, augetur. Totum autẽ appellamus, primùm quod multas ſub ſe partes claudit: vt in hoc exemplo propoſito luxus: quæ vox, quàm multa in ſe vitia complectatur, explicatum eſt. Deinde totũ appellamus, quod vniuerſale ſignum habet adiunctum: vt in eodem exemplo, Rem omnem perditam, dicimus: in quo omnia, quæ ſub illo vniuerſitatis ſigno continentur, enumeramus. Hoc Dialectici deſcenſum & aſcenſum appellãt: quibus vel à toto ad ſingularium enumerationem, vel à ſingularibus ipſis ad totũ argumentamur. Poſtremò totũ appellamus, quòd non ſingularibus rebus, ſed partibus, quas Dialectici integrantes vocant, complectitur. Cuius rei exemplum

ex Lactantio propoſuimus. Vbicunque igitur totum aliquod ex his tribus generibus inciderit, ſi res ita exigat, hoc modo amplificari poterit. Exempla ſunt vel negligenter attendentibus, in ſanctis literis & Sāctorum Patrum ſcriptis, præſertim apud Chryſoſt. & Greg. Theologum paſſim obuia.

Ab adiunctis, hoc eſt, antecedentibus, comitantibus & conſequentibus.

Cap. III.

AB antecedentibus, quæ ſub adiunctorum ambitu continentur, rem amplificamus, quoties non contenti ſemel exitū rei protuliſſe, ex quo reliqua, quæ præceſſerunt intelligi poſſunt, ſed ſingulatim ea quoque commemoramus, per quæ ad eum exitum peruentum eſt. Huius præceptionis in eodem commentario hoc proponitur exemplum. Ex ea virgine perditiſſimus & profligatiſſimus adoleſcens filium ſuſtulit. Hanc ſententiam ab antecedentibus ſic & dilatare & amplificare licebit. Eam virginem, quòd eſſet ſingulari forma, miſerè deperibat. Deinde amoris impatiens, ſimplicem puellæ animum promiſſis ſolicitauit, muneribus corrupit, blanditijs delinijt, officijs in mutuum amorem pellexit, improbitate vicit, denique conſuetudinem cum ea habuit. Aliquanto poſt tempore vterus virginis cœpit intumeſcere, fœtu videlicet concepto: demum puerum peperit. Aliud exemplum. Cicero Catilinæ conatus oppreſſit. Eam ſententiam hac ratione dilatare atque amplificare licebit. Catilinæ nefarios conatus per iuuenes perditiſſimos, totius Romanæ ciuitatis exitum atque

que internecionem molientes, M. Tullius Cicero conſul ſua ſagacitate ſtatim odoratus eſt: ſingulari vigilantia peruestigauit: ſumma prudentia deprehendit: mira in Rempublicam ſtudio prodidit: incredibili eloquentia conuicit: grauiſſima autoritate repreſſit: armis extinxit: magna felicitate ſuſtulit.

Hac autem amplificandi ratione (vt ante diximus) in ijs præcipuè rebus vti poterimus, in quibus explorata eius natura multa alia præceſſiſſe intelliguntur. Cauſæ enim ſiue naturales, ſiue morales effectus ſuos antegrediuntur, per quas ad eos explicandos peruenimus. Hac autem ratione locum illum Lu. 2. tractare poterimus, Reſponſum acceperat Simeon à Spiritu Sancto, nõ viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Ante hoc enim diuinum reſponſum multa præceſſiſſe credendum eſt. Nam primùm vir ſanctiſſimus diuinæ gloriæ & ſalutis animarum amore incenſus, vehementer angebatur, cũ vniuerſum penè mundum infidelitatis tenebris obrutum animaduerteret, & in paruo illo Iudææ angulo iuſtitiam penè extinctam, & pro vera religione ſuperſtitionem ferè & hypocriſim dominari. Sciebat autem ſummum tantorum malorum remedium in vnius Saluatoris aduentu poſitum eſſe: qui Euangelij lumen ad reuelationem gentium erat prælaturus. Clamabat igitur, & gemitibus inenarrabilibus eius aduentum accelerari poſtulabat, ſciens ſcriptum eſſe, Qui reminiſcimini Dominum, ne taceatis, & ne detis *Iſaia 6.* ſilentium ei, donec ſtabiliat, & ponat Hieruſalem laudem in terra. His ergo ſancti viri precibus, his gemitibus, his continuis lachrymis pius & miſericors Dominus, qui reſpicit orationem

humilium, & non ſpernit preces eorum, hunc gratiſſimum & iucundiſſimum illi reſponſum dedit, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Hac item ratione beatiſſimi patris Dominici mentem atque propoſitum (quo Prædicatorum ordinem in Eccleſia erigi poſtulauit) amplificare licebit. Neque enim hoc tam præclarum inuentum vir ſanctiſſimus excogitare potuit, niſi prius arderet, quaſi facula animarum pereuntium zelo, multiſque ieiuniis, precibus, & lachrymis hoc ipſum à Domino aſſiduè poſtularet.

A comitantibus verò & conſequentibus rem amplificamus, cùm ea ſiue mala ſiue bona, ſiue commoda ſiue incommoda, quæ rem aliquam ſemper aut frequenter comitantur, aut conſequuntur, enumeramus. Vt ſi quis accuſare aliquẽ velit, quòd is alicuius belli author extiterit: hoc modo eius temeritatem amplificabit. Exhauſtum in barbaros milites ærarium, fractam laboribus iuuentutem, proculcatas ſegetes, abacta pecora, incenſos paſſim vicos ac villas, deſertos agros, euerſa mœnia, compilatas domos, direpta fana, tot orbos ſenes, tot orphanos liberos, tot viduas matronas, tot virgines indignè conſtupratas, tot adoleſcentium licentia deprauatos mores, tantum funerum, tantum luctus, tantum lachrymarum: præterea extinctas artes, oppreſſas leges, obliteratam religionem, confuſa diuina humanaque omnia, corruptam ciuitatis diſciplinam. Vniuerſum, inquam, hoc malorum agmen, quod ex bello naſcitur, tibi feremus acceptum, ſiquidem belli fueris author.

Eſt autem hic à comitantibus & conſequentibus locus mirè vtilis, vel ad virtutes ex iis, quæ

illis conueniũt, amplificandas, vel ad vitia quoque exaggeranda, cùm ea mala, quæ ab illis proficiſcuntur, enumeramus. Qui quidem locus, ab eo qui eſt ab effectibus & adiacentibus oriri videtur. Eſt autem hæc amplificandi ratio concionatori valde neceſſaria: præſertim cùm ad virtutis ſtudium & amorem hortatur, aut à vitiis deterret: quod ad genus ſuaſorium vel diſſuaſorium pertinet. Sic D. Cyprianus ſermone de zelo & liuore, inuidiæ virus elegantiſſimè exaggerat his verbis: Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix eſt omnium malorum, fons cladium, ſeminarium delictorũ, materia culparum: inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat, dum quis non poteſt ſuo eſſe contentus, videns alterum ditiorem: ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. Hinc Dominicæ vinculum pacis rumpitur, hinc charitas fraterna violatur. Hinc adulteratur veritas, vnitas ſcinditur, atque in hæreſes & ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur ſacerdotibus: dum epiſcopis inuidetur: dum quis queritur aut ſe non ordinatum, aut indignatur alterum ſe ferre præpoſitum. Hactenus ille.

Ab his autẽ tribus locis, nempe ab Antecedentibus, Comitantibus, & Conſequentibus, Oſorius Epiſcopus humanæ vitæ miſeriam elegantiſſimè deſcribit his verbis: Quàm grauis & acerba ſit humanæ vitæ conditio, quàm multis incommodis agitata, nemo poterit vel explicando conſequi, vel enumerando percenſere. Vt enim à natali cuiuſque die capiamus exordium, omnéſque vitæ partes orationis perſtringentes, ad exitum tandem illius veniamus, horam nullam *Oſorius Epiſcop.*

videbimus aut dolore vacuam, aut labore ſolutam, aut metu liberam: ſed omnem ætatem infinitis difficultatibus affectam, & ſummis curis & angoribus implicatam. Vitæ nanque principiũ à fletu ducimus, deuinctiſque membris omnibus, in terram abiecti labores immenſos à ploratibus auſpicamur. Cùm autem reliqua animantia præſidiis naturæ tecta atque veſtita in lucem prodeant, ſolum hominem nudum, & ab omnibus rebus inopem cernimus, atque miſerabiliter impeditum in vitæ primordio vagientem, ſtatuſque ſui miſeriam in ipſo ſtatim initio lamentantem. Quis autem poterit morborum vim & multitudinem, qui in illam naturam teneram & imbecillam confeſtim incurrunt, oratione complecti? Quæ cura nutrices, quæ ſolitudo parentes afficiat? quæ pericula ſint pueris infantibus primis illis menſibus intenta? Iam verò cum ætate progreſſi, metu & cupiditate magis atque magis turbari incipiũt, omnia mala, quæ minus antea ſentiebant, fiunt eis quotidie grauiora. Cùm autem ad pubertatem perueniunt, tum ingens vis tempeſtatis exiſtit, quæ miſeros homines exagitat, nec eos vllo in loco cõſiſtere patitur. Hinc enim acerbi amores inuadunt, inde turbulenta diſſidia ſtatum animi cõuellunt. Quid, cùm amariſſimæ voluptates multis doloribus emptæ neruos omnes incidunt? quid, cùm dolores admoti totum hominem impetu proſternunt? quid deinde, cùm adulta ætate dominandi libido inflammat animum? quid cùm inuidia eundem conficit atque conſumit? Adde ſi lubet, nuptiarum moleſtias, familiæ labes, vitæ ſolicitudines, fori contentiones. Adde lubricam amicorum fidem, ſociorum proditiones, rerum ciuilium turbines atque pro-

cellas. Quid autem ipſius ætatis extremæ morbos atque moleſtias, & corporis exhauſti deformitatem referam? quid denique cadaueris ipſius horrificam ſpeciem commemorem? Eſt ne aliquid in vita vel odore tetrius, vel aſpectu truculentius, vel contagio peſtilentius? Sic igitur in ſumma vitæ breuitate, vis ingens malorum circunquaque volitat: laborem labor excipit: dolor ex dolore nectitur: mœrorem atque luctum grauior quidam luctus ſæpè conſequitur. Vnde colligitur, nihil eſſe in terris homine calamitoſius. Hactenus Oſorius. In hoc autem exemplo primùm quidem ab humanæ vitæ partibus ſuo ordine deſcriptis, deinde ab adiunctis vnicuique parti miſeriis tota res amplificatur.

A cauſis rerum amplificatio.

Cap. IV.

A Cauſis D. Baſilius paſſionis ac doloris magnitudinem ſanctorum quadraginta martyrum amplificat: diligenter cauſas omnes, quæ dolorem illum augere poſſent, ob oculos ponens. Cùm enim, inquit, tyrannus, martyrum conſtantiam, & reſpondendi libertatem vidiſſet, in iram excanduit: expendebatque ſecum, quamnam machinam excogitaret, vt longam, ſimulque amaram ipſis mortem conſtrueret. Inuenit itaque: & videte quàm grauem. Cùm enim conſideraſſet regionis naturam, quòd frigore horrida eſſet, & anni tempus, quòd hybernum: obſeruata nocte, in qua maximè malum ipſum augeſceret, & aliâs tunc Aquilo in ipſa ſpiraret: iuſſit omnes denudatos ſub dio in media vrbe congelatos mori. Nouiſtis autem omnes, qui hyemem experti eſtis, quàm intolle-

rabilis ea tormenti ſpecies exiſtat. Neque enim poſſibile eſt aliis ipſam demonſtrari, quàm ijs, qui iam experimento exempla eius apud ſe repoſita habent. Nam corpus frigoris expoſitum, primùm quidem totum liuidum eſt ſanguine congelato. Deinde agitatur, ac efferueſcit: dentes colliduntur, fibræ conuelluntur, & tota moles inuoluntariè contrahitur. Dolor autem quidam acris & afflictio inenarrabilis vſque ad medullas ipſas progrediens, intolerabilem facit his, qui congelantur, doloris ſenſum. Deinde extremitates ipſius amputantur, cùm extremæ partes velut ab igne exurantur. Caliditas enim ab extremis corporis fugata & ad profundum diffugiēs, partes, à quib. diſcedit, mortuas relinquit: eas verò, ad quas detruditur, doloribus affligit, morte paulatim per congelationem procedente. Tunc itaq; ſub dio pernoctare condemnati ſunt, quãdo ſtagnũ, circũ quod vrbs habitatur, in qua hoc certamen ſancti decertarunt, velut planicies aliqua ad agitandos equos expoſitum erat, cùm glacies ipſum tranſmutaſſet, & per frigus ad continentẽ ac firmam terrã redactum, accollis ſecuram ſuper dorſum viam exhibebat. Fluuij verò perpetuò fluentes, glacie ligati à fluctu ceſsârunt: teneræq; aquæ natura ad lapidum duritiam tranſmutata erat. Acres autem Aquilonis flatus omne animatum ad mortem vrgebant. Tunc itaque vbi mandatum audiuiſſent (vide mihi, virorum hic inſuperabilem conſtantiam) cum gaudio, abiecta etiã poſtrema tunica, vnuſquiſque ad mortem per frigus procedebant, velut ad ſpolia diripienda ſe mutuò inhortãtes. Hactenus Baſil. qui hac ratione cauſis omnibus doloris explicatis, doloris magnitudinẽ, ac proinde Mart. conſtãtiã exaggerauit.

Ab effectibus amplificatio.

Ab effectibus autem (qui interdum conſequentibus vel comitantibus adnumerantur) frequentiſſimè rem amplificamus: cùm omnē (vt ita dicam) eius ſobolem & fœcunditatem ob oculos ponimus. Hoc modo D. Bernard. cōſiderationis ſtudium, ex fructibus, quos illa parit, commendat. Sic enim ait: Primùm quidem conſideratio ipſum fontem ſuum, id eſt, mentem de qua oritur, purificat: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat. Poſtremò diuinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. Conſideratio eſt, quæ confuſa diſcriminat, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, verum inueſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc eſt, quæ agenda præordinat, acta recogitat, in proſperis aduerſa præſentit, in aduerſis quaſi non ſentit. Hactenus ille.

Hoc autem loco ab effectibus ducto, quo commoda aut incommoda, quę ex rebus conſequuntur, enumeramus, cùm alias, tum maximè in ſuaſorijs & diſſuaſorijs concionibus vtimur. Ex ijs namque rem, de qua agimus, vel eſſe amplectendam, ſi ſuademus; vel fugiendam, ſi diſſuademus, probare contendimus.

De amplificatione à communibus locis, & circunſtantijs ſimul.

Pleniſſima tamen amplificatio eſt, quæ à locis, quos ſupra recenſuimus, ſimul & ab omnibus rerum & perſonarum circunſtantijs proficiſcitur. Eius commodiſſimum exemplum extat apud D. Tho. 3. parte q. in quo Dominicæ paſſionis dolorum omnium maximum fuiſſe ex omnium

partium, & cauſarum, & circunſtantiarum enumeratione probat.

Eſt autem hoc ipſum exemplum commodiſſimum, quodque apertiſſimè, quæcunque hactenus diximus, declarat. In quo etiam manifeſtè apparet, amplificationem eſſe argumentationem quandam, qua idem ſanctus doctor hanc propoſitionem probat: nempè Dominicæ paſſionis dolorem, fuiſſe omnium maximum. Itaque ſtudioſum lectorem ad hoc exemplum remitto.

Eadem ratione mundi conuerſionem per Apoſtolos factam, cùm ex locis, quę antè commemorauimus, tum ex rerum & perſonarum circunſtantiis amplificamus. Ex perſona quidem Apoſtolorum, quòd exigui numero, genere infimi, lingua barbari, armis, opibus, & potentia, atque terrena ſapientia deſtituti, quique profiterentur, ſe nihil ſcire, niſi Chriſtum, & hunc quidem ſupplicio crucis affectum. A re verò, quòd ea prædicarent, quæ eſſent ad agendum aſpera, multóque magis ad credendum difficilia: nempè hominem inter latrones crucifixum, eſſe ſummum Deum, rerum omnium conditorem, & alia, quæ de Beatiſſima Trinitate, & ſacra Euchariſtia, & corporum reſurrectione fides noſtra prædicat. Præmia verò, quod ad mouentis cauſæ rationē pertinet, vix vlla in hac vita proponebant: niſi vincula, verbera, exilia, bonorum proſcriptiones, mortes & cruciatus religionis gratia ſuſtinendos. Contra verò ex perſequētium perſonis rei magnitudo augetur: quòd eſſent Reges, Imperatores, populi, nationes, ac poſtremò omnes omnium ordinum homines. Sed quonam modo? Ferali crudelitate, immani

odio,& incredibili furoris impetu. Patres etiam in filios, & viri in vxores atrociſſimè ſæuiebant. Sed quibus machinis & inſtrumentis aduerſus illos dimicabant? Hoc D. Cyprianus explicat his verbis: Innoxios, iuſtos, Deo charos domo priuas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, gladio, beſtiis, ignibus punis. Admoues laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerãdis viſceribus numeroſa ſupplicia: nec feritas & immanitas tua vſitatis poteſt contenta eſſe tormentis. Excogitat nouas pœnas ingenioſa crudelitas. Sed videamus tamen, quod ijs tot machinis atque tormẽtis mundus profecerit. Tantum abeſt, vt virtutem Sanctorum Apoſtolorum, atque Martyrum infringere potuerit, vt vinctas illis manus porrexerit, atque idolorum templis euerſis, Christi crucem adoraret, eius paupertatem & patientiam imitari, & omnes mundi opes atque diuitias, & carnis oblectamenta reſpuere, & cruciatus omnes propter Chriſti amorem amplecti cœperit. Hoc exemplo cernere licet, quantum ad res inſignes amplificandas conducat, varias tum rerum, tum perſonarum circunſtantias diligenter excutere. *Cypria.*

Simili ratione D. Chryſoſtomus ex omnibus circunſtantijs diligentiſſimè congeſtis, calamitatem Sancti Patriarchæ Iacob exaggerat, cùm ei Ioſeph filij mors à cæteris filijs nunciata eſſet. Sic enim ait: Cùm autem adoleuiſſet amantiſſimæ vxoris filius, ſolarique illius deſiderium huius præſenti & iugi contubernio ſperaret, tunc ſibi multiplices parantur clades: fratres enim illius tunicam intinctam ſanguine patri oſtendentes, vario illum luctu confecerunt. Neq;

enim ſolam lugebat mortem, ſed ipſum quoque mortis genus: plurimaque erant, quæ illius animum confunderent: quòd amatæ illius coniugis filius, quòd melior reliquis, quòd maximè dilectus, quòd in ipſo ætatis flore, quòd ab eo miſſus, quòd nec in domo, neque in lecto, nec patre coram aſſiſtente, nec dicens aliquid & audiens: quòd non communi morte omnium, quòd viuens à ferarum imm[illegible]itate diſcerptus fuerat, quòd ne reliquias quidem illius reperire poterat, & humo condere: iſta illi non in iuuentute contigiſſent, quando melius ferre potuiſſet, ſed in ſenectute vltima. Erat miſerandum omninò ſpectaculum, videre canos verendos puluere fœdatos, ſimileque pectus diſciſa tunica nudatum, lamentaque admittentia conſolationem nullam. Scidit enim (inquit) Iacob veſtimenta ſua, & circumpoſuit ciliciũ lumbis ſuis, lugebatque filium diebus plurimis. Hactenus Chryſoſtomus: qui in excutiendis omnibus circunſtantiis mirus artifex eſt.

Si quis autem appoſitiſſima & elegantiſſima huius amplificationis exempla videre cupit, legat eiuſdem Sancti Patris ſecundum & tertium de prouidẽtia libros: in quibus vt Stagiritẽ monachum arreptitium conſolaretur, Sanctorum Patriarcharũ Noë, Abrahæ, Iacob, Moyſi, ac Dauidis labores, & calamitates & perſecutiones (expoſitis & amplificatis omnibus perſonarum & rerum circunſtantijs,) diuina quidam orationis vbertate & facundia exaggerat. His nanque exẽplis multò magis, quã artis præceptionibus concionator amplificandi rationem (quæ maximè ad omnia valet) adijcere poterit.

Cæterùm, quæ hactenus dicta ſunt, ad inue-

niendi rationem pertinent: hoc eſt, vnde argumenta ſumi debeant, quibus quodvolumus, amplificare valeamus. His autem varias amplificandi rationes adiungemus, quas Quintilianus enumerat: quæ huius loci propriæ eſſe videntur.

De modis amplificandi, ex Quintiliano.

CAP. V.

PRIMA eſt igitur amplificandi, vel minuendi ſpecies, in ipſo rei nomine: vt cùm eum qui ſit cæſus, occiſum: eum, qui ſit improbus, latronem: contraque, eum, qui pulſauit, attigiſſe, qui vulnerauit, læſiſſe dicimus. Hæc autem prima amplificandi ratio, ad hyperbolem pertinere videtur (de qua ſuo loco dicemus) quæ rebus dare ſolet excedentia fidem nomina.

Quod maximè naturale & vſitatum eſt his, qui aliquid augere, aut minuere conantur: vt ſupra vel citra id, quod res habet, oratio feratur. Hoc autem genus increſcit, ac fit manifeſtius, ſi ampliora verba cum ipſis nominibus, pro quibus ea poſituri ſumus, conferātur. Vt Cicero in Verrem: Non enim furem, ſed raptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque: non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium, ſociorumque in veſtrum iudicium adduximus. Illo enim modo, vt ſit multum, hoc etiam plus vt ſit efficitur.

Quatuor tamen maximè generibus video conſtare amplificationem, Incremento, Comparatione, Ratiocinatione, Congerie. Incrementum eſt potentiſſimum: cùm magna videntur, etiam quæ inferiora ſunt. Id aut gradu vno fit, aut pluribus per id venitur, non modò ad

ſummum, ſed interim quodãmodo ſupra ſummum. Omnibus his ſufficit, vel vnum Ciceronis exemplum: Facinus eſt vincire ciuem Romanum, ſcelus verberare, propè parricidium necare: quid dicam, in crucem tollere? Verbo ſatis digno, tam nefaria res appellari nõ poteſt. Nam, & ſi tantùm verberatus eſſet, vno gradu increuerat, ponendo etiam id eſſe facinus, quod erat inferius. Et ſi tantùm occiſus eſſet, per plures gradus aſcẽderat. Cùm verò dixerit, propè parricidium necare, ſupra quod nihil eſt, adiecit, quid dicam in crucem tollere? Ita cùm id, quod maximum eſt, occupaſſet, neceſſe erat in eo, quod vltra eſt, verba deficere. Hac autem amplificandi ratione in iis rebus vti poſſumus, quæ multa etiam in eodẽ genere magna ſub ſe comprehendant: quale eſt admirandum, atque omni laude prædicandum redemptionis noſtræ beneficium. Magnum eſt enim, quod Propheta quoque miratur, cùm ait: Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Maius autem, quòd Moyſes inauditum ab exordio mundi fuiſſe ait, vt populus Deum audiret de medio ignis, ad homines loquentem, & cœleſtibus ipſum præceptis imbuentem. Quòd ſi hoc adeò magnum & mirabile eſt, quid erit, Deum ipſum propter hominum ſalutem mortale corpus induere, cum hominibus in terra verſari, ab hominibus vinciri, cædi, & reprobari? Quid verò in crucem inter maleficos & ſceleratos homines ſuſpendi? Hanc tantam diuinæ bonitatis dignationem, quæ vis orationis pro meritis amplificare queat? Fit & aliter ſupra ſummum adiectio: vt apud Vergilium de Lauſo: Quo pulchrior alter non fuit, excepto Laurentis

corpore Turni. Summũ eſt enim, quo pulchrior alter non fuit. Huic deinde aliquid ſupra poſitũ eſt. Tertius quoque eſt modus, ad quem non per gradus itur: vt quod nõ eſt plus, quàm maximũ, ſed quò nihil maius eſt. Matrem tuam occidiſti. Quid dicam amplius, matrem tuam occidiſti? Nam & hoc augendi genus eſt, tantum aliquid efficere, vt non poſſit augeri. Creſcit oratio minus apertè, ſed neſcio, an hoc ipſo efficacius, cũ citra diſtinctionem, in contextu & curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur: vt de vomitu Antonij Cicero: Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini Hippiæ nuptiis exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani vomere poſtridie. Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Romani negocium publicum gerens, magiſter equitum (cui ructare turpe eſſet) his fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal impleuit. Singula incrementum habent: Per ſe enim deforme erat, vel non in cœtu vomere: in cœtu etiam non populi, populi etiam nõ Romani, vel ſi nullum negotium ageret, vel ſi nõ publicum, vel ſi non magiſter equitũ. Sed alius diuideret hæc, & circa ſingulos gradus immoraretur. Hic in ſublime etiam currit, & ad ſummũ peruenit, non nixu, ſed impetu.

Verùm vt hæc amplificatio in ſuperiora tendit, ita quæ fit per Comparationem, incrementum ex minoribus petit. Augẽdo enim, quod eſt infra neceſſe eſt, vt extollat id, quod ſupra poſitum eſt. Hæc autem amplificandi ratio ab imparium comparatione ſumitur: quæ Dialectici

argumenta à minori, vel maiori ducta vocant: niſi quòd cùm argumenta ſunt, probãt aliquid, hic verò probando amplificãt, & rem maiorem eſſe demonſtrant. Hac autem amplificandi ratione,qui dicit,pictorum artem atque ſolertiam imitatur: qui vbi inſignem aliquem colorem eminere inter cæteros volunt, alium ei ſubſternunt, qui illum magis conſpicuum reddat. Ad hunc ergo modum, qui dicit,exempla & ſimilia requirit:quorũ comparatione res, quam attollere cupit, maxima videatur. Huius rei exempla in litteris ſanctis paſſim reperiuntur. Sic enim
Hier 35. Dominus apud Hiere. exemplo Rechabitarum, populi ſui intemperantiam& inobedientiam amplificat. Idemq; apud eũdem,eiuſdẽ populi per-
Hier.2. fidiam acri & figurata oratione, Gentilium exemplo amplificat, cùm ait: Tranſite ad inſulas Cethin,&in Cedar mittite,& conſiderate vehementer,& videte,ſi factum eſt huiuſcemodi, ſi mutauit Gens Deos ſuos (& certè ipſi non ſunt Dij) Populus autem meus mutauit gloriam ſuam in idolum. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, &c Sic etiam Dominus Iudæorum cæcitatem & ingratitudinem exemplo Niniuitarum & Reginæ Sabæorum declarat, præſertim cùm perſonæ circunſtantiam ſubdit:Ecce pluſquam Ionas hic,& Ecce plus quam Salomon hic. Illud autẽ in huiuſmodi comparationibus curandum, vt vtriuſque partis circunſtantias, quæ rem attollere poſſunt, diligenter excutiamus. Non ſolùm enim tota totis, ſed etiam partes partibus comparantur. Sic in Catilinam Cicero: An verò vir ampliſſimus Scipio Pontifex maximus. Tiberium Gracchum mediocriter labefactantẽ ſtatũ Reipub. priuatus interfecit: Catilinam verò or-

bem terræ cæde atque incendio vaſtare cupientem nos Conſules perferemus? Hic & Catilina Graccho, & ſtatus Reipub. orbi terrarũ, & mediocris labefactatio cædi, incendiis, & vaſtationi: & priuatus conſulibus comparatur: quæ ſi quis dilatare velit, plenos per ſingula locos habeat. Sic D. Cyprian. hoc argumentum à minori ductum, nempè ſi Dominus delinquentem ſeruum punit; cur Deus de peccante homine ſupplicium non ſumat, collatis circunſtantiis hoc modo amplificat. Ipſe de ſeruo tuo exigis ſeruitium, & homo hominem parere tibi, & obedire compellis: & cùm ſit vobis eadem ſors naſcendi, conditio vna moriendi, corporum materia conſimilis, animarum ratio communis, æquali iure, & pari lege, vel veniatur in hunc mũdum, vel de hoc mundo poſtmodũ recedatur: tamen niſi pro arbitrio tuo tibi ſeruiatur, niſi ad voluntatis imperium pareatur, imperioſus & nimius ſeruitutis exactor flagellis verberas: fame, ſiti, nuditate, frequenter ferro, & carcere affligis & crucias: & non agnoſcis Dominũ Deum tuum, cùm ſic exerceas ipſe dominatũ. Hactenus Cyprian. Hac eadem amplificandi ratione, & virtutes virtutum, & vitia vitiorum comparatione, ex omnibus circunſtantiis amplificare ſolemus. Ad hunc enim modum idem Cyprianus grauius ſchiſmaticorum, quàm lapſorum, hoc eſt, eorũ, qui idolis ſacrificarent, crimen eſſe demonſtrat his verbis. Peius hoc crimen eſt, quàm quod admiſiſſe lapſi videntur: qui tamen in pœnitentia criminis conſtituti, Deum plenis ſatisfactionibus deprecamur. Hic Eccleſia quæritur, & rogatur, illic Eccleſia impugnatur. Hoc poteſt neceſſitas fuiſſe, illic volũtas tenetur in ſcelere. Hic qui

Contra Demet.

lapſus eſt, ſibi tantùm nocuit, illic qui hæreſim, vel ſchiſma facere conatus eſt, multos ſecũ trahendo decepit. Hic animæ vnius eſt damnum, illic periculum plurimorum. Certè peccaſſe ſe, & hic intelligit & lamentatur, & plangit: ille tumens in peccato ſuo, & in ipſis ſuis delictis placens, à matre filios ſegregat, & oues à paſtore ſolicitat, Dei ſacramenta diſturbat. Et cùm lapſus ſemel peccauerit, ille quotidie peccat. Poſtremò lapſus martyrium conſequutus, poteſt regni promiſſa percipere: ille ſi extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia peruenire.

Eſt & alius amplificandi modus, cui Fabius ratiocinationis nomen impoſuit: quod videlicet hæc amplificatio alibi poſita, alibi valeat: & vt aliud creſcat, aliud augetur: atq; inde ad id, quod extolli volumus, ratio deducitur. Obiecturus Antonio Cicero merum & vomitũ. Tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. Quid fauces, & latera ad ebrietatem. Minimè ſunt otioſa. Nam reſpicientes ad hæc, poſſumus æſtimare, quãtum ille vini in Hippiæ nuptiis exhauſerit, quod ferre, & concoquere non poſſet illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo ſi ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inuſitatum nomen eſt ratiocinationis, qua ex inſequentibus amplificatio ducitur. Siquidem tanta vis fuerit vini erumpentis, vt non caſum afferret, aut volũtatem, ſed neceſſitatem (vbi minimè deceret) vomendi, & cibus non recens (vt accidere interim ſolet) redderetur: ſed qui vſque in poſterum diem redundaret. Idem hoc præſtãt, quæ anteceſſerunt. Nam cùm Aeolus à Iunone rogatus, Cauum conuerſa cuſpide montem impulit in latus, ac venti velut agmine

agmine facto qua data porta ruũt, apparet, quanta ſit futura tempeſtas. Huc etiam pertinet, cùm res atrociſſimas quaſque in ſummam ipſi extulimus inuidiam, eleuamus conſulto, quò grauiora videantur, quæ ſequutura ſunt: vt à Cicerone factum eſt, cùm diceret: Leuia ſunt hæc in hoc reo crimina: metum virgarum nauarchus nobiliſſimæ ciuitatis pretio redemit, humanum eſt: alius ne ſecuri feriretur, pecuniam dedit, vſitatum eſt. Non vult populus Romanus obſoletis criminibus accuſari Verrem: noua poſtulat, inaudita deſiderat, non de Prætore Siciliæ, ſed de crudeliſſimo tyranno fieri iudicium arbitratur: Hoc in loco Cicero ratiocinatione vſus eſt, qua colligerent audientes, quantum illud eſſet, quod inferebatur, cui comparata hæc humana viderentur, atque vſitata. Hoc quidam Conceſſionem vocant: cùm is, qui dicit, iniquum aliquid pati, atque concedere videtur: vt quæ deinde dicturus eſt, grauiora appareant. Sic Diuus Cyprianus contra Chriſti hoſtem Demetrianum, Parum eſt, inquit, quod furentium varietate vitiorum, quòd iniquitate feralium criminum, quòd cruentarum compendio rapinarum vita veſtra maculatur: quòd ſuperſtitionibus falſis religio vera ſubuertitur: adhuc inſuper Dei ſeruos, & maieſtati, ac nomini eius dicatos, iniuſtis perſecutionibus flagellatis. Satis non eſt, quòd tu ipſe Dominũ non colis: adhuc inſuper eos, qui colunt, ſacrilega infeſtatione perſequeris? Hic augendi modus diſſimili ratione idem efficit, quod incrementum: de quo ſuperius diximus. In incremento enim magna facimus, quæ antecesſerunt: vt maius appareat, quod deinde augere volumus. Hic autem, quæ verè maxima

ſunt,leuia facimus,& extenuamus:vt eorum cō-paratione longè maius eſſe videatur, quod amplificare volumus. Sic etiam ſolet ex alio aliud augeri: vt cùm Annibalis bellicis laudibus, ampliatur virtus Scipionis: & fortitudinem Gallorum Germanorumque miramur, quo fit maior C. Cęſaris gloria. Illud quoque eſt ex relatione ad aliquid, quòd non eius rei gratia dictum videtur, amplificationis genus. Tale eſt illud: Non putant indignum Troiani Principes, Graios, Troianóſque propter Helenæ ſpeciem tot mala tanto temporis ſpatio ſuſtinere. Quænam igit a forma credenda eſt? Non enim hoc dicit Paris: qui rapuit, non aliquis iuuenis, aut vnus è vulgo, ſed ſenes & prudentiſſimi, & Priamo aſſidentes. Verùm & ipſe Rex decennij bello exhauſtus, miſſis tot liberis, imminente ſummo diſcrimine, cui faciem illam (ex qua tot lachrymarum origo fluxiſſet) inuiſam, atque abominandam eſſe oportebat, & audit hæc, & eam filiam appellans, & iuxta ſe locans, & excuſat etiā, atque ſibi eſſe malorum cauſam negat. Quin ex inſtrumento quoque heroum illorum magnitudo æſtimanda nobis datur. Ad hoc pertinet clypeus Aiacis, & haſta Achillis. Qua virtute egregiè eſt vſus in Cyclope Vergilius: Nam quòd illud corpus mente concipiam, cuius trūca manum pinus regit? Quid? cùm vix loricam duo multiplicé connixi humeris, ferrent? Quantus Demoleos, qui indutus eam, curſu palantes Troas agebat? Ad hunc autem modū in lib. Reg. proceritas corporis & fortitudo Goliæ ex haſta eius, quòd eſſet quaſi licitatorium texentium, & lorica, quę erat quinque millium ſiclorum ponderis, demonſtratur. Et Deut. 3. eadem corspori

proceritas regis Baſan, ex ferrei lecti eius magnitudine: qui nouem cubitos longitudinis, & quatuor latitudinis haberent, oſtenditur. Hæc autem corporum & virium amplificatio, aliam quoque parit amplificationem, nempè Dauidis, qui Goliam interfecit, & Iſraelitici populi, imò diuinæ virtutis, qua is Regem adeò potentem ſuperauit. Eſt hoc ſimile illi, quæ emphaſis dicitur: ſed illa ex verbo, hoc ex re coniecturam facit: tantóque plus valet, quantò res ipſa verbis eſt firmior.

Poteſt aſcribi amplificationi congeries quoque verborum ac ſententiarum idem ſignificantium. Nam etiam ſi non per gradus aſcẽdant, tamen velut aceruo quodam alleuãtur. Tale eſt illud Cic. Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorũ tuorum? quæ tua mẽs? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Simile eſt hoc figuræ, quã Synathriſmum vocant. Sed illic plurium rerum eſt cõgeries, hic vnius multiplicatio. Hæc etiam creſcere ſolet verbis omnibus, altius atque altius inſurgentibus. Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorque ſociorum, & ciuium Romanorum, lictor Sextius.

Eadẽ ferè eſt ratio minuendi: Nam totidẽ ſunt aſcendentibus, quot deſcendentibus gradus. Scio poſſe videri quibuſdam ſpeciem amplificationis, hyperbolen quoque. Nam & hæc in vtranq; partem valet: ſed quia excedit hoc nomẽ, in tropos differenda eſt. Facit etiam ad vim & amplitudinem rerum oſtendendam aſſeueratio: cùm vel aduerbiis, vel nominibus, vel aliis partibus appoſitis amplificamus, vel in laudem, vel in

vituperium. Maiorem in modum me Senecæ lectio delectat. Dici non poteſt, quàm tibi faueat ſocer. Verbis conſequi nequeo, quàm me delectet Cicero. Notus & vſitatus eſt,& ille modus amplificandi, cùm ſpeciem augemus generi collatam. Vt cùm omnes diſciplinæ liberales plurimum homini concilient vel ornamenti, vel commodi, tum in primis Philoſophia.

Hæc verò Rhetores de ratione amplificandi: cuius præcepta propoſitis exemplis apertiora & illuſtriora fiunt. Quæ ſtudioſus concionator legendis ſacris doctoribus, atque his præcipuè, qui eloquentiæ laude floruerunt (quales ferè Græci ſunt) obſeruare debet: vt hac virtute (quæ præcipua in dicendo eſt) plurimum valeat. Eius autem præceptionis, quam Fabius Ratiocinationem vocat, quæ cùm aliud dicat, aliò tendat, tria commodiſſima exempla apud Ezechielem inuenies. Amplificaturus enim caſum & ruinam Tyri, primùm eius gloriam, immenſas opes,& emporij celebritatem cap. 27. longa & magnifica oratione amplificat. Simili ratione, cap. 31. regni Aſſyriorum vaſtationem prænunciaturus, primùm quidem gloriam extollit: ſimilique ordine cap. ſequenti Ægyptij euerſionem amplificat. Eadémque ratione, verbíſque ſplendidiſſimis Iſraelitici populi ingratum animum & ſcelera exaggerat, diuinis beneficiis primùm longa oratione enumeratis. Sic enim cap. 16. populum ſuum Dominus ſub mulieris nomine alloquitur: Tranſiens per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo: & dixi tibi, cùm eſſes in ſanguine tuo, viue, Multiplicatam quaſi germen agri dedi te,& multiplicata es,& grandis effecta: & cætera, quæ ſequuntur. Simili quoque modo & Na-

tan Propheta Dauidis adulterium accuſauit, diuinis beneficiis, quæ in illum Dominus contulerat, primùm expoſitis. Sed his exemplis Prophetarum libri pleni ſunt.

De rerum deſcriptionibus.

Cap. VI.

QVEMADMODVM cùm de argumentorum inuentione diceremus, formas etiam argumentationum, quæ ad elocutionem magis pertinere videbãtur, expoſuimus: vt quæ ſimul in oratione coeunt, ſimul etiam ab arte traderentur: ita nunc cùm de locis, vnde omnis amplificandi inuentio petatur, dictum à nobis ſit, figuras etiam, quæ amplificationi maximè deſeruiunt, quæ ad elocutionem magis ſpectant, his locis adnectere voluimus: vt res inter ſe finitimæ ſimul collocarentur, & concionator, vbi aliquid amplificare voluerit, & quid dicere, & quemadmodum dicere debeat, in proſpectu habeat. Inter ea verò elocutionis ornamenta, quæ amplificationi deſeruiunt, rerum & perſonarum deſcriptiones præcipuè numerantur: quæ quamuis ad alia quoque valeant (ſæpè enim huiuſmodi deſcriptiones delectationis gratia adhibentur) frequentiſſimus tamen earum vſus in re amplificanda & exaggeranda eſt. Cùm autem amplificatio ad commouendos affectus inſtituta ſit, nihil hos magis excitat, quàm ſi ita res verbis exprimatur, vt non tam dici, quàm geri, & ante oculos poni videatur. Conſtat enim, affectus omnes, rei magnitudine ante oculos poſita, potiſſimum concitari. Quod quidem tum rerum, tum perſonarum de-

ſcriptionibus fit. De quibus iam iam dicere incipiemus.

Deſcriptio rei.

Deſcriptio eſt, cum id, quod fit, aut factum eſt, non ſummatim aut tenuiter exponimus, ſed omnibus fucatum coloribus ob oculos ponimus: vt auditorem ſiue lectorem iam extra ſe poſitum, velut in theatrum auocet. Hanc ab effingēda rerum imagine, Græci vocant Hypotypoſin. Etiam ſi vocabulum hoc commune eſt, quoties aliquid oculis ſubijcitur. Hoc autem genus præcipuè conſtat circunſtantiarum explicatione, earum præſertim, quæ rem oculis maximè ſubijciunt, ac moratam reddunt narrationem: hoc eſt, quæ ſingularum perſonarum affectus, mores, & ingenium oſtendunt. Nō mediocriter tamen adiuuatur collationibus, ſimilibus, diſſimilibus, imaginibus, metaphoris, allegoriis, & ſi quæ præterea ſunt figuræ, quæ rem illuſtrant Quin epitheta quoque in hunc vſum plurimum valent. Verùm vt iſta probè exprimas, non modò confert ars & ingenium, verùm etiam oculis ſpectaſſe, quæ velis effingere, aut ipſis interfuiſſe, aut etiam ſi natura rei ita ferat, in perſona ſua expertum fuiſſe. Vt ſi quis hominis in agone mortis conſtituti, & de ſalute ſua ſoliciti, & peccatorum conſcientia anxij, trepidationem & mœrorem deſcribere vellet, non parum conduceret, hoc ipſum periculo & experimento ſuo didiciſſe. Hoc modo Greg. Theolog. vitæ contemplatiuæ tranquillitatem & felicitatem, quam expertus ipſe fuerat, his veluti coloribus in Apologetico depingit. Nihil enim mihi fortunatius eo homine eſſe videtur, qui clauſis compreſsíſque corporis ſenſibus, atque extra carnem, mundúq;

poſitus,in ſéq; collectus,nec niſi ſumma neceſſi-
t - impellente, quidquam humanarum rerum
, ngens,& ſecum in ſe,& cum Deo colloquẽs,
perìorem rebus in aſpectum cadentibus vitam agit: diuináſque ſpecies & imagines puras ſemper, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas in ſe ipſo circunfert,ac Dei rerúmque diuinarum purum omninò ſpeculum eſt, indiéſque efficitur, lucique lucem, obſcuriori videlicet clariorem adiungit, ac iam futuri æui bono fruitur, & cum Angelis verſatur: & licet adhuc in terris agens, terram deſerit, atque à ſpiritu in cælo collocatur,ſi quis veſtrum hoc amore correptus tenetur,quid dicam,intelligit: atque affectui ei in quem tum incidi, facilè ignoſcet. Hactenus ille. D.quoque Cyprianus Tract.de habitu Virg. quarundam fœminarum laſciuiam deſcriptione amplificat his verbis: Quaſdam non pudet nubentibus intereſſe, & inter illam laſciuientem libertatem ſermonum colloquia inceſta miſcere, audire, quod non decet, quod non licet dicere: obſeruare, & eſſe præſentes inter verba turpia & tumulenta conuiuia, quibus libidinum fomes accenditur, ſponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur. Quis illi in nuptiis locus eſt, cui animus ad nuptias non eſt? Aut voluntariæ illic & lætæ eſſe quæ poſſunt,vbi & ſtudia & vota diuerſa ſunt? Quid illic dicitur, quid videtur? quantum à propoſito ſuo virgo deficit, quando pudica, quæ venerat,impudicior diſcedit? Corpore licet virgo ac mente permaneat, oculis, auribus, lingua minuit illa, quæ habebat. Quid verò, quæ promiſcuas balneas adeunt? quæ oculis ad libidinem curioſis pudori ac pudicitię corpora dicata pro-

Alia eiuſdem deſcriptio.

ſtituunt? quæ cùm viros atq; à viris nudæ vident turpiter ac videntur, nónne ipſæ illecebram vitiis præſtant? nonne ad corruptelam & iniuriam ſuam deſideria præſentium ſolicitant & inuitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat, mihi tantùm reficiendi corpuſculi cura eſt, & lauandi. Non te purgat iſta defenſio, nec laſciuiæ, & petulantiæ crimen excuſat. Sordidat lauatio iſta, non abluit, nec emundat membra, ſed maculat. Impudicè tu neminem conſpicis, ſed ipſa cõſpiceris impudicè. Oculos tuos turpi oblectatione non polluis, ſed dum oblectas alios, ipſa pollueris: ſpectaculũ de lauacro facis, theatra ſunt fœdiora, quò conuenis: verecundia illic omnis exuitur: ſimul cum amictu veſtis, honor corporis ac pudor ponitur, denotãda & contrectanda virginitas reuelatur. Hactenus Cyprian. Sed commodiſſimum huius rei exemplum extat apud D. Gregor. Niſſenum hom. de Natiuitate Domini: in qua puerorum Innocentum crudeliſſimã ſtragem copiosè deſcribit his verbis: Quare horrendum illud edictum emittitur, vt miſelli puelli trucidarentur? Quid maleficij commiſerunt? quam mortis ac ſupplicij cauſam aduerſus ſeſe præbuerunt? quibus vnum illud ſolùm crimini datur, quòd ſcilicet nati ſunt, & in lucem prodierunt: atque hac de cauſa ciuitatem carnificibus repleri oportebat? Quis verò oratione calamitates delineauerit atque deſcripſerit? quis ante oculos ponere narrando clades & funera poſſit? promiſcuam illam lamentationem? flebilem concentum puerorum, matrum, cognatorum, patrum ad carnificum minas miſerabiliter exclamantium? Quomodo quis cum enſe nudo carnificem iuxta infantem ſtantem,

Gregor. Niſſen.

toruis ac cæde micantibus oculis intuentem, atque alias conſentaneas voces edentem, ſiniſtra manu puellum ad ſe trahentem,ſuaſque proprias ceruices enſis mucroni ſubmittentem, ne ſuis oculis vid[illegible] miſerum filium carnificis manibus trucidari? Qua ratione quis affectus patrũ expoſuerit? implorationes, exclamationes, gemitus, extremos filiorum amplexus: cùm multa etiam talia eodem tempore ſimul acciderẽt? Quis multiplices ac varias calamitates facies ac modos deplorauerit, vt miſer infans ſimul & mammæ adhæreſceret, & per viſcera lethale vulnus acciperet? vt miſera mater & papillam ori infantis admoueret,& ſanguinem filij ſinu exciperet? Sæpè autẽ alicubi carnifex ruente manu, vno impetu gladij, filium vnà cum matre transfixit, atque vnum ſanguinis flumen extitit, quòd tam ex materna plaga, quàm ex lethali vulnere filij commiſceretur. Quoniam autem etiam hoc ſceleſta vox Herodis adiecit, vt non ſolùm aduerſus modò genitos infantes funeſta, capitaliſq; ſentẽtia proferretur, verùm etiam ſi quis ad alterum annum progreſſus eſſet, vt is quoq; de medio tolleretur (ſcriptum eſt enim, à bimatu & infra) alteram ex veriſimilitudine cladem, id his ratio cernit: quòd ſæpe tempus interiectum, duorũ filiorum matrem fecerit eandem. Quale igitur rurſus in talibus ſpectaculum erat, duobus circa matrem vnam carnificibus occupatis, vno quidem prætercurrentem ad ſe trahente: altero verò eum, qui mammæ etiam nunc admoueretur, à ſinu reuellente? quomodo miſeram matrem hac de cauſſa affectã fuiſſe credibile eſt, cùm aduerſus duos filios natura quaſi finderetur, vtroq; æqualiter maternis viſceribus ignem accendente, cùm ambi-

ret, vtrum ex improbis carnificibus ſequeretur, vno quidem hinc, altero autem illinc ad cædem attrahentibus infantes? Accurrat ad recens natum, obſcurum adhuc & indiſtinctum ploratum emittẽtem? At alterum audit iam loquentem, ac voce balbutiẽte matrem cum lachrymis implorantem. Quid agat? quò euadat? quò ſe vertat? ad vtrius vocem clamorem referat? vtrius gemitui oploret? vtrius morti illachrymabitur, cum ex æquo naturæ ſtimulis vtriuſq; nomine vrgeatur?

I.

Poſſumus autem deſcriptionibus, vbi res poſtulauerit, vel longioribus, vel breuioribus vti. Longiores ſunt illæ deſcriptiones, quibus D. Chryſoſtom. lib. 6. de ſacerdotio indignitatem ſuam ad Epiſcopale miniſterium Baſilio probare contendit. Quas, quoniam & ſingularem doctrinam continent, & virtutis huius (quæ eſt in dicendo maxima) rationem apertiſſimè demonſtrant, hoc in loco attexere libuit. Is igitur volens ſe purgare Baſilio, quòd Epiſcopi dignitatem refugiſſet, muneris amplitudinem & difficultatem, ſuámque infirmitatem & indignitatem eius rei cauſam extitiſſe ait. Tum deinde: quo metu atque mœrore animi contabuerit, cùm ea res tractari cœpta eſt, incredibili dicendi facultate amplificat his verbis: Ab eo ipſo die, quo tute mihi Epiſcopatus ſuſpicionem hanc injeciſti, factum eſt identidem, vt corpus hoc ab anima propemodum diſſolueretur: tam ingens pauor, tam ingens mœſtitia animum meum occupauit. Nam cùm apud me conſiderarem Chriſti ſponſæ gloriam, ſanctimoniam, venuſtatem ſpiritualem, prudentiam, ornatum: tum verò animi mei vitia expenderem, fiebat, vt aſſiduis,

tum illam, tum etiam me gemitibus, luctibúſque proſequerer. In tanto ergo æſtu antea vixi, cùm id tute ignorares, méque in tranquillitate victitare exiſtimares. Ego verò tibi hic animi mei æſtum detegere tentabo: hinc enim fortaſsè veniã mihi dabis, méque tandem inſimulare deſines. Quî igitur illum detegam? Nam ſi eum apertè oculis iſtis cernere velis, id nimirum haud aliter liceat, quàm corde hoc tibi per me prius de tecto nudatoque. Quod quia fieri non poteſt, tibi hũc ego per obſcuram quandam imaginem, vtcunque potero, experiar mœſtitiæ meæ fumum repræſentare.

Fingamus puellam aliquã regis filiam, & eius quidem, cui terra ac vniuerſa, quæ ſub Sole poſita eſt, pareat, à proco quodam expeti: tum verò demus nouam quãdam in ea ineſſe formæ vetuſtatem, quæ ſic humanam naturam tranſcendat, vt per eam puella muliebre genus vniuerſum magno admodum diſcrimine ſuperet. Præterea tantam illi ineſſe animi virtutem, vt virorum genus, eorum inquam, qui vel antea fuêre, vel futuri olim ſunt, longo poſt ſe interuallo relinquat: tum autem & morum honeſtate tanta eandem excellere, vt vel omnes philoſophiæ terminos excedat: denique talem eſſe, vt proprij aſpectus gratia, oculorúmque venuſtas vniuerſam illam corporis totius elegãtiam obſcuret. Addamus item, ſi placet, ipſius procum, non ex ijs tantum quæ diximus, virginis amore ardere, ſed furore item neſcio quo erga illam affici: quo quidẽ inſaniſſimos quoſque, qui antea vnquam extiterint, amatores ſuperet. Poſtea procum hũc, dum hoc philtro ac furore deflagrat, alicũde accepiſſe futurum, vt puellam illam, quam miro amo-

Perſonæ deſcriptio.

Alteræ perſonæ deſcriptio.

procinctam aciẽ vniuerſam, & auerſandos formidolóſque quoſdam in illis aſpectus, & armorum apparatum ab aliorum apparatu diuerſum, & immenſam multitudinem, & conualles, & alta præcipitia, & montium iniquitates. Oſtendat & aduerſarios in equis volantibus incantatione quadam inſidere, & cataphractos per aërem ferri, explicata etiam ei incantationis illius vi ac forma. Recẽſeat porrò & belli calamitates, miſſilium, iaculorum nimis inſtar ingruentium impetum, multam illam caliginem & tenebras, obſcuriſſimam noctem, quam ſagittarum multitudo efficiat, Solis radios denſitate ſua auertant, puluerem tenebris non minorem, omnium oculos obcæcantem, ſanguinis torrentes, cadentium gemitus, ſtantium clamores, iacentium aceruos, rotas ſanguine tinctas, equos, præ cadauerum multitudine, vnà cũ ſuis ſeſſoribus in caput præcipites, terram vniuerſam mixtim hæc omnia continentem, ſanguinem, arcus, ſagittas, equorum vngulas, hominum capita ſimul iacentia, & brachia, & collum, & tibiam, & pectus transfixum, cerebella enſibus traiecta, iaculi cuſpidem effractum, cui hominis oculus tanquam infibulatus hæreat. Recenſeat item & claſſis mala atq; incommoda Triremes alias in mediis aquis conflagrantes, alias cum cataphractis ipſis peſſum euntes, fluctuum fragorem, nautarum tumultuationem, militum clamorem, ſpumam tum vndarum, tum ſanguinis mixtam, eandémque in naues ſimul omnes irrumpentem, cadauera alia ſuper ipſa nauium tranſtra iacere, alia ſubmergi, alia adnatare, alia ad littora æſtuantis maris impetu eijci, alia intra ipſos fluctus ſic obrui, vt nauibus iter veluti obſepiant. Poſtremò cùm exa-

Altera naualis pralij deſcriptio.

ctè belli tragœdias omnes edocuerit, addat item & captiuitatis calamitates & ſeruitutem, nulla non morte duriorem: At ſecundum hæc omnia, iubeat illam continuò in equum aſcendere, vniuerſíque illius exercitus ducem agere. Hic tu adoleſcentulum illum cenſes, vel nudæ harum rerum narrationi ſuſtinendæ parem eſſe poſſe? ac nō potius, vel à primo ſtatim aſpectu animo defecturū? Proinde ne me ipſe hic putes rem oratione attollere, neque hoc ipſo quòd corpore, ſicut carcere aliquo incluſi, nihil prorſus rerum inuiſibilium cernere poſſimus, magna ea eſſe ducas, quæ à me dicta ſunt. Videas enim eo prælio longè tum maius, tum horribilius, ſi tibi fortè caliginoſiſſimam illam diaboli aciem, conflictúmque inſanum oculis iſtis cernere liceat. Non ènim illic aut æs, aut ferrum, non equi, non currus, non rotæ, non ignis, non iacula iſta, quæ cernimus: verum alia quædam machinamenta ijs, quæ dixi, longè terribiliora. Certè aduerſariis iſtis nequaquam opus eſt thorace, non ſcuto, neque enſibus, neque haſtis: ſed vel nudus execrandæ illius militiæ aſpectus talis eſt, vt humanam animam à corpore ipſo diſſoluere poſſit, niſi ea admodum generoſa fuerit, atque adeò antequam à viribus ipſa ſuis auxilium petat, diuinæ in ſe clementiæ prouidentiam ſenſerit. Ac ſanè, ſi liceret, corpore hoc exuto, aut vnà etiam cum ipſo corpore perſpicuè atque intrepidè vniuerſam illius aciem bellúmque contra nos inſtructum ipſis oculis coram contueri, videres vtique non ſanguinis torrentes, neque corpora demortua: ſed animarum lapſus tam multos, ſed vulnera ſic grauia, vt tibi ſtatim belli vniuerſa illa pictura, quam modò expreſſi,

Spiritualis prælij deſcriptio.

puerorum delectamenta, & ludicrum potius, quàm bellum videri poſſit: tam multi certè ac frequentes ij ſunt, qui in dies ſingulos feriuntur, quorum vulnera non idem mortis genus pariunt: ſed quantum inter ſe diſſident anima atque corpus tantum eſt certè inter mortem hanc atq; illam diſcrimẽ. Nam quoties plagam anima accipit, eadémque cadit, hic proſtrata quidem iacet, malæ conſcientiæ cruciatu contabeſcens: poſtea verò, quàm ſeparata à corpore hinc emigrarit, æterno crucianda ſupplicio traditur. Quòd ſi quis exiſtat, qui Diaboli plagas non ſentiat, nimirum illius morbus ex ea indolentia ingraueſcit. Quæcunque enim plaga vna inflicta non mordet, neque attriſtat, is certè facilè & alteram excipit: itémque & hac accepta, tertiam: neque enim intermittit ad extremum vſque ſpiritũ feriens nefarius ille, quoties inuenit animam ſupinam, prioréſque plagas contemnentem. Porrò autem ſi congreſſus modum expendere velis, hunc verò longè acriorem, ac magis diuerſum comperies. Neq; enim quiſquã eſt, qui tam multas fraudis, doli, artificij formas norit, quã multas ſceleratus ille hoſtis. Qua quidem in parte maior illius vis ac potentia ineſt: neque inimicitias quis tantas, tamque inconciliabiles aduerſus hoſtes ſibi infenſiſſimos gerere poteſt, quantas ille aduerſus humanam naturam gerit.

Contẽtione vtriuſque prælij ſpiritualem pugnam ex omnibus circunſtantijs amplificat.

Porrò ſi quis examinet, quanta cum inhumanitate is depugnet, ridiculũ certè fuerit homines hoc in loco cõferre: Sin iracũdiſſimas ac truculentiſſimas, quaſque feras delegeris, quas cũ huius furore atque inſania conferas, reuera manſuetiſſimas humaniſſimasq; eas hac comparatione comperies: tantum ille in animas noſtras furorem

ſpirans euomit. Adde, quod & pugnæ inter homines geſtæ tempus breue quidem eſſe ſolet, qua etiam in temporis breuitate multæ dantur induciæ. Nam & natura ſic comparatum videmus, vt & noctis ſuperuentus, & iugulandi labor, & cibi capiendi tempus, & multa id genus alia, militi reſpirandi poteſtatem ſic faciant, vt & armaturam exuere, tum verò paululum reſpirare, séque & cibo & potu reficere, multíſque rebus aliis priſtinas vires recuperare valeat. Aduerſus autem Diabolum dimicanti, nunquam licet arma ipſa ponere, ſomnúmue vllum capere, ei præſertim, qui perpetuò inuulneratus prælio excedere volet. Ex duobus enim neceſſariò alterum conſequitur, vt aut cadat quis, aut pereat armis ſpoliatus: aut continenter vigilet, armatúſque ſtet. Siquidem ille continenter cum ſua ipſius acie ſtat, ſocordias noſtras obſeruans, ac maius quidem afferens ſtudium ad noſtram internecionem, quàm ad noſtram ipſi nos ſalutẽ afferamus. Poſtremò, vt ſemel finiam, quòd à nobis hoſtis ille minimè cernatur, quódque de repentè, atque improuiſo nos adoriatur (quæ res iis, qui non aſſiduè in excubiis vigilantes fuerint, infinitorum malorum cauſa eſſe ſolet) facit nimirum, vt bello hoc ægrius, ac maiore cum negotio, quàm illo defungi poſſis. In hoc ergo campo voluiſti nos Chriſti militibus duces eſſe? Hoc ipſum verò quid aliud erat, quàm diabolo potius duces eſſe? Cùm enim is, qui cæteros debet tum in ordines partiri, tũ militaribus armis inſtruere, omnium ſimul infirmiſſimus, ſimul & imperitiſſimus fuerit, & nimirum, vi ſuæ fidei creditos prodat, & diabolo magis quàm Chriſto ducem agat. Hactenus Chryſoſt. Cuius verba huic perceptioni inſe-

inſerere libuit, non ſolùm quòd deſcribendi rationem apertiſſimo exemplo doceāt, ſed etiam, quòd ſingularem doctrinam contineant.

In quo quidem exemplo illam quoque amplificandi rationē animaduertere licet, quā Quintilianus annotauit: in qua impari exemplo, hoc eſt, à maiori, vel minori ducto, omnes circunſtantias excutimus: quò id, de quo agimus, multò eſſe maius, comprobemus. Sic enim hoc in loco D. Chryſoſt. collatione facta, apertè oſtendit, quantò acies Dæmonum inſtructiſſimo quouis exercitu formidabiliores ſint.

I I.

Illud tamen hoc in loco admonēdum eſt, Sermocinationes perſonarum; & illud ſimilitudinis genus, quòd à Rhetoribus imago ſimilis appellatur (de quibus ſuis in locis diſſeremus) ad has rerum deſcriptiones plurimum lucis afferre. quod ſequenti deſcriptione, qua in amplificanda matris ſeptem Machabæorum conſtantia D. Gregor. Theologus vſus eſt, apertè liquet. Sic enim ait: At verò egregia mater gaudio ſimul ac mœrore afficiebatur: atq; in duorum affectuum meditullio poſita erat. Nam vt filiorum fortitudine certaminumque ſpectaculo mirificè delectabatur, ſic rurſum cùm incertum pugnæ euentum, incredibilemque tormentorum magnitudinem ſecum reputaret, timore commouebatur. At proinde illos, non ſecus atque auicula pullos ſuos arripiente angue, aut alia quapiam inſidiatrice beſtia, circūuolabat, ſtribebat, obſecrabat, certantes adiuuabat: nihil deniq; non dicebat ac faciebat, quò illos ad victoriā paratiores, inſtructioreſq; redderet. Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias ado-

Greg. hom. de 7 Machab.

Imago ſimilis.

rabat, hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat. Omnibus acclamabat: Euge filii mei, euge ſtrenui milites, euge in corporibus fermè incorporei, euge legis canæque ſenectutis meæ, atque ciuitatis, quæ vos aluit, atque ad eam virtutis magnitudinem euexit, antiſtites atq; patroni. Paulùm adhuc & vicimus: paulùm adhuc & ego inter mulieres beata, & vos inter adoleſcentes beati. Hactenus Theolog. Hoc autem genus ſimilitudinis ad rem oculis ſubiiciendam maximè pertinet. Alia quoque ſimilitudinum genera & exempla, quæ à pari, maiori, vel minori, ſimili, diſſimili, & contrario ducuntur, plurimum ad res amplificandas valent, vt ſuo loco ex Fabij ſententia expoſuimus. Quo in genere prudens lector duo præcipuè in D. Chriſoſtomo (qui in hac parte maximè excellit) animaduertere poterit. Alterum, quod in exemplis imparibus, hoc eſt, à maiori, vel minori deductis, perſonarum circunſtantias, quæ imparitatis rationem continet, diligenter excutit & amplificat. Deinde non contentus rem maximam cum alia maxima cõparaſſe, dat etiam operam, vt ea, quã augere vult, adhuc longè maior appareat. Hic autem ratione in ſermone, quo eos accuſat, qui domi ſorores adoptiuas fouerent, quò eorum periculũ oſtendat, beati Iob exemplum inducit, oculos ſuos ne virginem viderent cuſtodientis: & Apoſtoli Pauli, corpus ſuum caſtigantis, & in ſeruitutem, ne reprobus fieret, redigentis. Sic igitur ait: Sanctus ille Iob, qui omnem tranſcenderat virtutẽ, ex omnibus Diaboli retibus extractus, qui & primus & ſolus tantam fortitudinẽ demonſtrauit, & omne ferrum & adamantem ſua cõtinentia prætergreſſus, ſubneruauit Diaboli poteſta-

Sermocinatio.

Chryſ.

tem: ſic veritus erit talem pugnã,& putauit impoſſibile eſſe cohabitare virgini purum & ſine damno: adeò, vt non ſolùm à cohabitatione tali procul & longè ſeipſum, ſed & ab aſpectu prorſus occurſu ſubduxerit, legemque poſuerit oculis ſuis,omnino in virginem ne reſpicere quidẽ. Sciebat enim manifeſtè, quòd non ſolùm cohabitantem, ſed & vidẽtem curioſè in faciem virginis, difficile, fortè autem & impoſſibile eſſet, effugere damnum quod inde oritur. Propter quod & dicebat. Ne cogitarem quidem de virgine. At ſi paruus videtur vobis ad certamen Iob (quanuis reuera neque ſtercore illius ſimus digni) veruntamen, licet minus tua magnanimitate eſſe putas exemplum, cogita vocaliſſimũ præconem veritatis,qui totum orbem circuit: & dicere potuit verba illa multa ſapientia referta, quod nõ iam ipſe ſit viuens,ſed Chriſtus in ipſo: & quòd crucifixus ſit mundo,& mundus ſibi: & quòd quotidie moriatur. Poſt tantam ergo ſpiritus gratiam, & tanta certaminum ſpecimina, poſt tam innumera pericula, poſt tã eximiæ diligentiæ & ſapientiæ ſtudium, declarat nobis & commonſtrat,quòd donec ſpirauerimus, & hac carne fuerimus circundati, certaminibus nobis opus eſt, & laboribus:neque vnquã otio tẽperãtia paratur,ſed multis ſudorib⁹ & laborib⁹ opus eſt. Ad hoc enim trophæũ parandũ dicebat: Caſtigo corpus meũ,& in ſeruitutẽ redigo: ne dum aliis prædicauero, ipſe reprobus fiã. Hæc aũt dicebat,declarans ſeditionẽ carnis,& cõcupiſcẽtiæ rabiẽ,præliũque continuũ, ac vitã ſemper in agone conſtitutã. Hactenus ille: In quibus exẽplis apertè liquet, quàm ſtudioſè perſonarũ circũſtãtia (B.ſcilicet Iob,& Pauli) excuſſerit & am-

plificauerit: vt facilè quiſque intelligeret, in quo periculo verſarentur, qui tam longè ab ea animi firmitate & perfectione diſtarent. Superioris autem obſeruationis in eodem ſermone clariſſima extant exempla: quæ (ne in re ſatis aperta ſim longior) ſtudioſo cõcionatori legenda relinquo. Eſt enim hic ſermo aduerſus eos, qui fouent domi ſorores adoptiuas, digniſſimus, qui ab omnibus legatur, vt qui ſit tum magno diuinæ gloriæ ſtudio, tum maxima eloquentia refertus. Exemplo item huic obſeruationi erit naturalis prælij ſimilitudo, paulò ante à nobis ab eodem autore inducta: in qua hic vir diuinus poſt vtriuſq; militiæ collationem, exponit etiam, quantò ſpiritualis militiæ certamen & periculum ſit atrocius, magisque pertimeſcendum.

De perſonarum deſcriptionibus.

Cap. VII.

POST rerum deſcriptiones, ſequitur perſonarum deſcriptio, quæ varias habet ſpecies. Quamuis autem non omnes ad amplificandi rationem (de qua nunc ſermonem inſtituimus) pertineant, ratio tamen præcipiendi exigit, vt quoniam rerum deſcriptiones tradidimus, perſonarum quoque tradamus. Primum autem earum genus eſt, cùm perſonæ ingenium, mores, cæterasq; circunſtantias, quas perſonis attributas ſuperius diximus, ſiue laudis, ſiue vituperationis gratia, breui oratione depingimus: quemadmodum Saluſtius Catilinæ, Cæſaris, & Catonis perſonas deſcripſit. Sic in literis ſanctis vita ſanctiſſimi Iob. Tobiæ, Iudith, in veteri teſtamẽto, & Simeonis, & Annæ viduæ,

in nouo mores & vita breuiter deſcribuntur. Hoc autem genus deſcriptionis docendi magis gratia, quàm amplificandi ſolet adhiberi.

Eſt aliud propoſito noſtro accommodatius, quod nationem appellant: quoties amantis, luxurioſi, auari, voracis, temulenti, ſomniculoſi, garruli, glorioſi, oſtentatoris, inuidi, ſycophantæ perſonã depingimus. Mirus eſt in hoc deſcriptionis genere Ioannes Caſſianus: in ijs enim libris, quos de octo principalium vitiorum remedijs ſcripſit, ingenium, mores, facta, dicta eorũ, qui his vitijs cõtaminati ſunt, appoſitiſſimè depingit. Duci autẽ huiuſmodi notationes videntur à concomitantibus, & conſequentibus, & effectibus, & ab eo loco, quem Dialectici à cõmuniter accidentibus appellant. Docendi autẽ gratia duo ſolùm exempla his aſcribam: reliqua autem in ijs libris ſtudioſus cõcionator videre poterit. Is igitur in 10. de acidia libro, eum, qui hoc morbo laborat (quem nonnulli ſeniorum, meridianum Dæmonem appellabant) ita deſcribit. *Ioan. Caſſ.* Cum hic Dæmon miſerabilem obſederit mentem, horrorem loci, faſtidiũ cellæ, fratrum quoque, qui vel cum eo, vel eminus commorantur, tanquam negligentium, ac minus ſpiritualium aſpernationem gigni atque contemptum. Ad omne quoq; opus, quod intra ſepta ſui cubilis eſt, facit deſidem & inertem. Non eum in cella reſidere, nec operum ſinit impẽdere lectioni, nihilque ſe proficere tãto tempore in eadem commorantem, crebrius ingemiſcit: & ab omni ſe dolet ſpirituali quæſtu inanem in eo loco vacuumque conſiſtere: vtpote qui cùm poſſet etiam alios regere, ac prodeſſe plurimis, nullum ædificauerit, nec quẽquam inſtitutione ſua doctrinaq; lucra-

tus ſit. Abſentia, longéque poſita magnificat monaſteria: loca etiam illa magis ad profectum vtilia, & ſaluti congruentiora deſcribit: conſortia quoque ibidem fratrum ſuauia, & plena ſpiritali conuerſatione depingit. Contra vniuerſa quæ habentur in manu aſpera: & non ſolum ædificationem nullam eſſe in fratribus, qui morantur in loco, ſed ne ipſum quidem victum corporis abſque ingenti labore conquiri. Poſtremò, non poſſe ſe ſaluari putat in eo loco durãtem, niſi relicta cella (cum qua ſibi, ſi adhuc ea fuerit remoratus, pereundum erit) exinde ſemetipſum quantocius aſportauerit. Deinde laſſitudinem corporis, cibíque eſuriem, quinta, ſextaq; hora tantam ſuſcitat, vt velut longo itinere, grauiſſimóque labore cõfectus ſibimet laſſúſq; videatur: aut quaſi refectionem cibi biduano ieiunio, triduanóue diſtulerit. Tum præterea huc illúcq; anxius circunſpectat, & nec fratrem ſibi quempiam aduentare ſuſpirat: ſæpiúſque egreditur & ingreditur cellam: ac Solem, velut ad occaſum tardius properantem, crebrius intuetur. Et ita quadam irrationabili mentis confuſione, velut terra impletur caligine, omníque actu ſpiritali redditur otioſus ac vacuus: vt nulla re alia tantæ oppugnationis remedium, quàm viſitatione fratris cuiuſpiam, ſeu ſomni ſolius ſolatio poſſe exiſtimet inueniri. Deinde honeſtas idem morbus ac neceſſarias ſuggerit ſalutationes fratribus exhibendas, viſitationéſque infirmorum, vel eminus vel longius poſitorum. Quædam etiã pia ac religioſa dictat officia: illos, vel illas debere parentes inquirere, & ad ſalutandos eos crebrius properare: illam religioſam, deuotámque Deo fœminam, omni præſertim parentum præſidio deſtitutam,

magnum opus eſſe pietatis frequentius inuiſere: ac ſi quid ei ſit neceſſarium, quæ à proprijs parẽtibus negligitur atque deſpicitur, ſanctiſſimum procurari, magíſque oportere in his operam pietatis impendi, quam infructuosè, ac ſine vllo profectu in cellula reſidere. Hactenus Caſſia.

Idẽ etiam lib. 12. ſuperbi Monachi mores & ingenium hoc modo deſcribit: Quiſquis ſuperbiæ morbo fuerit occupatus, nõ ſolùm nullam ſubiectionis aut obedientiæ regulam cuſtodire dignatur, verùm ne ipſam auribus quidẽ ſuis doctrinam perfectionis admittit: tantúmque concreſcit in corde eius ſpiritalis verbi faſtidium, vt cùm fortè talis fuerit oborta collatio, vno in loco ſtare neſciat eius obtutus: ſed huc illúcque ſtupidus circumferatur intuitus, & aliorſum, atque in obliquum, quàm moris eſt, oculis defigantur. Pro ſuſpiriis enim ſalutaribus ſputa de ſicco gutture contrahuntur, execrationes etiam ſine vlla interpellatione flegmatum prouocantur, digiti ludunt, & in modum ſcribentis volitant, & ita huc atque illuc vniuerſa membra corporis commouentur; vt dum ſpiritalis agitatur collatio, totum ſe vel ſcatentibus vermibus, vel acutiſſimis ſudibus credat inſidere: & quicquid ſimplex collatio ad ædificationem protulerit audientium, ob ſuam ſuggillationem æſtimet eſſe prolatum: totóque tempore, quo ſpiritalis vitæ examinatio ventilatur, ſuis ſuſpicionibus occupatus, non quid inde ad profectum ſuum capere debeat, aucupatur: ſed cauſas cur vnumquodque ſit dictum, ſolicita mente perquirit: vel quid eis poſſit obijcere, tacite intra ſe cordis volutatione cõiectat. Deinde poſt hæc, excelſa vox, ſermo rigidus, amara & turbulenta reſponſio.

inceſſus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, nec vnquam taciturnitatis amica, niſi cùm contra fratrem rancorem quendam in ſuo corde conceperit: fitque ſilentium eius non compunctionis, nec humilitatis vllius, ſed ſuperbiæ & indignationis iudicium: ita, vt quid in eo deteſtabilius ſit, haud facilè diſcernatur, vtrum diffuſa illa petulanſque lætitia, an dira hæc virulentaque feritas. In illa namque ſermo non opportunus, riſus leuis ac fatuus, effrenata ac indiſciplinata cordis elatio: in iſta verò ita plenum virulentumque ſilentium: & quod ob hoc tantùm concipitur, vt aduerſus fratrem rancor taciturnitate ſeruatus, protelari diutius poſſit, non vt ex eo virtus humilitatis ac patientiæ præbeatur. Et cùm ipſe tumore poſſeſſus facilè cunctis triſtitias inferat, atque ad ſatisfactionem læſi fratris ſemetipſum ſubmittere dedignetur, etiam ab illo ſibimet oblatam reſpuit atque contemnit. Hactenus Caſſia. qui ſuis quaſi coloribus & acidioſi & ſuperbi Monachi mores & ingenium ad viuum depinxit.

Sup.Cã. ſerm.24 D. verò Bernard. detractorum mores, qui quodam ſimulato verecundiæ fuco, cõceptam malitiam, quam retinere nõ poſſunt, adumbrare conantur, deſcribit his verbis: Videas à detractore alta ſuſpiria præmitti, ſicq; cum quadam grauitate & tarditate, vultu modeſto, demiſſis ſupercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem: quæ quidem tantò perſuaſibilior eſt, quantò creditur ab his, qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitioſè proferri. Doleo (inquit) vehementer, pro eo, quò diligo eum vt ſcitis, & nunquam potui de hac re corrigere eum: & alias mihi bene compertũ fue-

rat: ſed per me nũquam innotuiſſet, per alterum patefacta res eſt. Veritatem negare non poſſum, dolens dico, reuera ita eſt: nam alias quidem in pluribus valet, cæterùm in iſta parte, vt verum fateamur, minimè excuſari poteſt. Hæc Bern. D. verò Hieron. in epiſtola quadam fictam humilitatem hac eadem figura deſcribit his verbis: Fictam humilitatem fugiens, illam ſectare, quæ vera eſt: quam Chriſtus docuit, in qua non ſit ſuperbia incluſa. Multi enim huius virtutis vmbram, veritatem pauci ſequuntur. Perfacilè eſt aliquem habere veſtem contemptam: ſalutare ſubmiſſius, manus & genua deoſculari, inclinato in terram capite, oculisque deiectis, humilitatem atque manſuetudinem polliceri, lenta voce tenuique ſermones infringere, ſuſpirare crebrius, & omne verbum peccatorem ac miſerum ſe clamare: ſed ſi vel leui ſermone offenſus fuerit, continuò videbis attolere ſupercilium, leuare ceruicem, & delicatum illum orationis ſonum inſano clamore repentè mutare! Hactenus ille. His exemplis, quid hæc orationis figura poſtulet, facilè erit intelligere.

Hiero. in Epiſt.

De Sermocinatione. CAP. VIII.

EST etiam Sermocinatio, quæ inter perſonarum deſcriptiones numeratur: qua neſcio quid magis ad Concionatoris officium pertinere putem, non modò ad rationem amplificandi, ſed ad multa quoque alia. Quò eſt mihi eius ratio & natura diligentius aperienda, & exemplis illuſtranda. Prius tamen Cornificij definitionem & exempla ſubijciam: Sermocinatio eſt, cùm alicui perſonæ ſermo attribuitur: & is exponitur cum ratione dignitatis, hoc pacto: Cùm

militibus vrbs redundaret, & omnes timore oppreſſi domui continerentur, venit iſte cum ſago, gladio ſuccinctus, tenens iaculum: quinque adoleſcentes hominem ſimili ornatu ſubſequuntur: Irrumpit in ædes ſubitò: deinde magaa voce, Vbi eſt iſte beatus, inquit, ædium Dominus? quin mihi præſtò fit: quid taceris? Hic alij omnes ſtupidi timore obmutuerunt. Vxor illius infeliciſſimi cum maximo fletu ad iſtius pedes abiecit ſe ſe. Parce, inquit: & per ea, quæ ibi dulciſſima ſunt in vita, miſerere noſtri: noli extinguere extinctos. Fer manſuetè fortunam: nos quoque fuimus beati: noſce te eſſe hominem. At ille: Quin illum mihi datis, ac vos auribus meis aplorare deſinitis? Non abibit, Illi nunciatur intereà veniſſe iſtum, & clamore maximo mortem minari, Quod ſimul vt audiuit, Heus, inquit, Gorgia pediſſequa puerorum, abſconde pueros, defende, fac vt incolumes ad adoleſcentiam perducas. Vix hæc dixerat, cùm ecce iſte præſtò, Sedes, inquit, audax? non vox mea tibi vitam ademit? Exple meas inimicitias, & iracundiam ſatura tuo ſanguine. Ille, cum magno ſpiritu, Metuebam, inquit, ne planè victus eſſem: nunc video in iudicio meum contendere non vis: vbi ſuperari turpiſſimum eſt, ſuperare pulcherrimum: interficere me vis: occidar equidem, ſed victus non peribo. At ille: In extremo vitæ tempore etiam ſententioſè loqueris: neque ei, quem vides dominari, vis ſupplicare? Tùm mulier: Imò quidem iſte rogat & ſupplicat: ſed tu quæſo commoueare: & tu per Deos, inquit, hunc amplexare. Dominus eſt, vicit hic te, vince tu nunc animum. Cur non deſinis, inquit, vxor, loqui? quæ me digna non ſunt, tace, &

quæ curanda ſunt, cura. Tu ceſſas mihi vitam, tibi omnem bene viuendi ſpem mea morte eripere? Iſte mulierem repulit à ſe lamentantem: illi neſcio quid incipienti dicere (quod dignum videlicet illius virtute eſſet) gladium in latere defixit. Puto in hoc exemplo datos eſſe vnicuique ſermones ad dignitatem accommodatos: quod oportet in hoc genere obſeruare. Sunt item ſermocinationes conſequentes hoc genus. Nā quid putamus illos dicturos, ſi hoc iudicaueritis? Nonne hac omnes vtentur oratione? Deinde ſubijcere ſermonem.

Eſt quidem hæc figura frequens in lib. Sapientiæ. Lege ſecundum eius libri caput, in quo longa quædam perditorum hominum Sermocinatio continetur. Sic enim ſeipſos ad luxum & impietatem adhortantur: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam ſi non fuerimus, &c. Venite ergo fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquā in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis non impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, & quæ ſequuntur. Itē eiuſdem li. c. 5. timor & horror impiorum in extremo iudicij die, & ſermo eorum deſcribitur his verbis: Tunc ſtabūt iuſti in magna cōſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubita & inſperata eorū ſalute, gementes præ anguſtia ſpiritus, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Hi ſunt

quos habuimus aliquádo in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, nos inſenſati vitã illorum æſtimabamus inſaniam, &fidem illorũ ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non ortus eſt nobis, & cæt. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia tanquam vmbra volans: & cætera quę ſequuntur. Simili modo in Prouerbijs Salomon procacitatem adulteræ fœminæ primùm deſcribit: deinde ſermonem illi conuenientem tribuit. Sic enim ait: Conſidero vecordem iuuenem, qui tranſit per plateas iuxta angulum: & propè viam domus illius graditur in obſcuro aduesperaſcente die: & cæt. quæ ſequuntur. Sic etiam in eodem libr. Salomon, improborum ſermones, quibus ſimplicem hominem ad prauitatis ſuæ conſortium inducere contendunt, ita deſcribit: Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis: ſi dixerint, veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra: omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpolijs, ſortem mitte nobiſcum, marſupium vnum ſit omnium noſtrum: fili mi ne ambules cum eis. Eadem dicendi figura Eſa. Regis Aſſyriorum ſuperbiam amplificat: Poſtquam enim de eo Dominus dixerat, Væ Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe: in manu eorum indignatio mea, &c. Ipſe autem non ſic arbitrabitur, ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Dicit enim: Nunquid non Principes mei ſimul Reges ſunt? & cætera.

Prou. 7.

Prou. 1.

Eſaiæ 10.

Nec ſolùm quid perſonæ dicant, ſed quid etiam dicere meritò debuiſſent, hac figura ſignificamus. Sic Hieremias, vt filiorum Irael ingratum animum exaggeraret, quid ij dicere debuiſſent, exprimit his verbis. Et non dixerunt, Vbi eſt Dominus, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti? qui traduxit nos per deſertum, per terram inhabitabilem, & inuiam? & cætera. Et infra ibidem: & non dixerunt, Metuamus Dominum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, & ſerotinam: plenitudinem animæ meſſis cuſtodientem nobis. Et iterum: Sacerdotes non dixerunt, Vbi eſt Dominus? & cæt. Hoc etiam modo ſermonem tribuimus homini ſeipſum admonenti, atque ad opus aliquod virtutis adhortanti. Vnde Euſebius Emiſſenus, fidelem virum vitam & mores ſuos expendere adhortatur his verbis: Vnuſquiſque conſcientiam ſuam ante conſpectum interioris hominis conſtituat: ipſi noſmetipſos quotidie caſtigemus: ipſi nobiſcū rationem de quotidiana conuerſatione faciamus. Alloquatur ſe in ſecreto cordis vnaquæque anima, & dicat: Videamus ſi hanc diem ſine peccato, ſine inuidia, ſine obtrectatione, ſine murmuratione tranſegi. Videamus ſi aliquid hodie, quod ad profectum meum, quod ad ædificationem aliorum pertinet, operatus fui: puto quòd hodie mentitus ſum, peieraui, ira vel concupiſcentia victus ſum, nec alicui benefeci, nec pro timore æternæ mortis ingemui. Quis mihi reddet hanc diem, quam in vanis rebus perdidi, quam in cogitationibus noxijs peſſimisque conſumpſi? Hactenus ille.

Hiere 2.

Idem 5.

Idem 2.

Euſeb. Emiſs.

Hoc autem modo, tacitam Spiritus Sancti exhortationem deſcribere ſolemus, ſermonem ei;

dem Spiritui accõmodantes, quo nos, propoſito vitæ noſtræ periculo, mortis incerta conditione, gehennæ ſuppliciis, cæleſtibusq; præmiis, diuiniſq; beneficiis commemoratis, ad oſtium cordis noſtri pulſans, à ſcelerata vita ad pœnitentiam reuocare conatur. Similique ratione varias dæmonum ſuggeſtiones deſcribere poſſumus, ſermones illis malitiæ eorum conuenientem tribuentes. Ad hunc quoque modum rationes, quibus improbi homines in ſceleribus ſuis ſeipſos conſolantur, ſalutemque ſibi pollicentur, deſcribere licet: quid quiſque eorum intra ſe dicat, ſermocinatione exprimentes. Longam enim ſibi vitam pollicentur, Dei miſericordiam, Chriſti ſanguinem, beati Latronis exemplum, extremã in fine vitæ pœnitentiã, cæteráque his ſimilia in conſolationem ſuam adhibent. Hac etiam virtute commodiſſimè in amplificandis Martyrum certaminibus vtimur: cùm explicamus, quibus ipſi ſermonibus partim iudicibus reſpondebant, partim ſeipſos ad fidei conſtantiam & patientiam adhortabantur. Extant commodiſſima huius rei exempla apud Baſilium, in homilia quadraginta martyrum. Itémque apud D. Gregorium Theologum, in homilia de ſeptem Machabæis: in qua ſermones deſcribit, quibus mater filios ad patientiam adhortabatur; quibusque ipſi ſe ad eiuſdem virtutis conſtantiam excitabant. Ad quæ exempla ſtudioſum concionatorem remitto.

De Conformatione. Cap. IX.

SErmocinationi finitima eſt conformatio: quæ maiorem adhuc vim habet in loco adhibita. De qua ſic idem Carnificius: Cõformatio

eſt, cùm aliqua quæ non adeſt perſona cõfingitur quaſi adſit: vt cùm res muta aut informis ſit eloquens & formata: & ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata, aut actio quædam, hoc pacto: Quòd ſi nunc hæc vrbs inuictiſſima vocem emittat, nonne hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata certiſſimis, clariſſimis locupletata victoriis, nunc veſtris ſeditionibus ô ciues vexor: quam dolis malitioſa Carthago, viribus probata Numantia, diſciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patiemini nunc ab homunculis teterrimis proteri atque conculcari? Item: Quòd ſi nunc Lucius ille Brutus reuiuiſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hac vtetur oratione? Ego reges eieci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quæ non erat, peperi, vos partam ſeruare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberaui, vos liberi ſine periculo eſſe non curatis. Hæc conformatio licet in plures res mutas atque inanimatas transferatur, proficit plurimum in amplificationis partibus & commiſeratione. Cicero verò aduerſus Catilinam patriæ proditorem, ſic eandem loquentem inducit: Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodò tacita loquitur: Nullum iam tot annis facinus extitit, niſi per te, nullum flagitium ſine te: tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio direptioque ſociorum impunita fuit ac libera. Tu non ſolùm ad negligendas leges & quæſtiones, verum etiam ad euertendas perfringendaſque valuiſti. Superiora illa quanquam ferenda non fuerunt, tamen vt potui, tuli: nunc verò me totam eſſe in metu propter te vnũ, quicquid increpuerit, Catilinã timeri, nul- *Cicer. in Catil.*

lum videri contra me cõſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Hactenus Cicero. Ad hunc etiam modum Oſorius Epiſcopus eidem patriæ ſermonem aduerſus parentes tribuit, qui liberorum ſuorum licentiã, & corruptos mores minimè caſtigant. Sic igitur ait: Quòd ſi patria eiuſmodi verbis tecũ expoſtulet; quid illi reſpondebis? Homo cur quantum eſt in te, mihi moliris exitium? cur in me peſtem nefariè machinaris? cur parentem, quem omni pietate complecti debebas, iugulãdum ſuſcipis? Meis enim legibus & inſtitutis in lucem editus & enutritus fuiſti per me non ſolùm à feris, ſed etiam à morum feritate reuocatus, & omni humanitate cultus extitiſti: meo præſidio vitam non ſolùm clementer atque benignè, verùm etiam ſecurè traduxiſti: ſi enim in ſolitudine & vaſtitate vitam ageres, non modò belluarum laniatus extimeſceres, ſed nihil inter te & belluas immanes intereſſet. Mea igitur ope factum eſt, vt in periculis auxilium, in morbis remedium, in ærumnis ſolatium, in perturbatione diſciplinam, in curis alleuamentum inuenires. Cùm vita tua tam multis ſimul rebus indigeat, omnes illæ fuerunt à me tibi largè atque mirificè ſuppeditatæ. Quod ſi ita nõ eſſe putas, à me ſecede, lucem meam atque celebritatem fuge, & te in ſolitudinem abde: & videamus, quo tandem modo poſſis abſque meo præſidio vitam ſuſtentare. Quòd igitur opibus abundas, quòd humanitatẽ retines, quòd ſecurè vitam degis, quòd lucis iucunditate frueris, id totum mihi eſt in acceptis referendum. Magis igitur mater ſum tua, quàm illa, quæ te peperit, exiſtimanda. Si igitur mihi necem attuleris, non modò improbum hominem,

Lib. 7. de Inſt. Princip.

nem, ſed impium & ſceleratum parricidam fateare neceſſe eſt. Sed dices fortaſsè, te nunquam de meo interitu cogitaſſe. An non intelligis, vitam atque ſalutem meam ciuium moribus & honeſtate contineri? Adeò ſine mente es, vt non videas, ſi illi, cùm ad ætatem maturam peruenerint, flagitijs efferati fuerint, eſſe mihi corũ ſcelere miſerum funeſtumque fatũ neceſſariò ſubeundum? Nec illud quidem recogitas, te non tibi, quàm mihi filios genuiſſe? Cur igitur illos flagitijs obrui ſinis? Cur eorum peccatis indulges? Cur illorum inconſideratam cupiditatem alis? Cur eorum pudorem extingui pateris? Cur denique illos honeſtatis ſtudium negligere, & libidini ſeruire permittis? Quod enim eſt aliud rerum publicarum exitiũ & funus, niſi id, quod corrupta & vitioſa ciuium inſtitutione comparatur? Ciues igitur, qui malè filios ſuos inſtituunt, me perdunt, mihi peſtem parant, mihi interitum & exitum moliuntur. Hęc ſi Reſpub. dicat, hominibus in filiorum educatione diſſolutis, venitne vobis in mentem, quomodo homines in tanta re negligentes, & maximi & immaniſſimi criminis ſuſpicione libereris? Hactenus Oſorius..

Hæc etiam figura non frequens in ſanctis literis eſt. Vnde apud Salomonem & Eccleſiaſticum, Sapientia laudes ſuas prædicat, & homines ad ſui ſtudium aduocat. Quale eſt illud: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum, &c. Tale eſt etiam illud eiuſdem, Sapientia foris prædicat: in plateis dat vocem ſuam: in foribus portarum vrbis profert verba ſua dicens: Vſque quo paruuli diligitis infantiam: & ſtulti ea, quæ ſunt ſibi noxia, cupient? & cætera. Extat libellus *Prou. 8.* *Prou. 1.*

quidam de cōflictu vitiorum & virtutum: quem quidam Leoni Papæ, quidam Diuo Auguſtino tribuunt: in quo vitiis tanquam rebus animatis ſermones tribuuntur, quibus ſeſe hominibus probent atque inſinuent. Similique ratione virtutes ipſæ pro ſe reſpondent, & cauſam atque dignitatem ſuam aduerſus vitia tuentur. Diuus verò Cyprianus contra fœminas, quæ exquiſitis coloribus faciem depingunt, Deum ipſum hoc modo inducit loquentem: Non metuis, oro, quæ talis es; ne cum reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoſcat? & ad ſua præmia, & promiſſa venientem remoueat & excludat? & increpans, vigore cenſoris & iudicis dicat: Opus hoc meum non eſt, nec hæc imago noſtra eſt. Cutē falſo medicamine polluiſti, crinem adulterino colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videri non poteris, cùm oculi tibi non ſint, quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter arſura. Hæc oro non cogitanda ſunt Dei ſeruis? non die ſemper ac nocte metuenda? Idem quoque Cyprianus exaggerare volens inhumanitatem ac peruerſitatem eorum hominum, qui cùm ingentes ſumptus in rebus immaniſſimis faciant, ne teruncium quidem Chriſto pauperi porrigunt, appoſitiſſimè hac eadem figura Dæmonem loquentem inducit. Sic enim ait: Ponat vnuſquiſque ante oculos ſuos Diabolum cum ſeruis ſuis, id eſt, cum populo perditionis & mortis, In medium proſilire, plebem Chriſti præſente & iudicante ipſo, comparationis examine prouocare dicentem:

Cyp. de habitu Virg.

Cyp ſer. de eleem.

Ego pro iſtis,quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſſionis & crucis redemi. ſed nec regnum cæleſte illis promitto, nec ad paradiſum reſtituta immortalitate denuo reuoco, & munera mihi quàm pretioſa, quàm grandia,quàm nimio & longo tempore quæſita, ſumptuoſſimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris apparatione,vel venditis, ac niſi editio honeſta ſucceſſerit, conuitiis ac ſibilis ejciuntur, & furore populari nonnunquam penè lapidantur. Tuos tales munerarios Chriſte demonſtra, illos diuites, illos copioſis opibus affluentes,& in Eccleſia præſidente& ſpectante te eiuſmodi munus edant, oppignoratis vel diſtractis rebus ſuis,immò ad cæleſtes theſauros, mutata in melius poſſeſſione,tranſlatis. In iſtis muneribus hominum caducis atque terrenis nemo paſcitur,nemo veſtitur,nemo cibi & potus ſolatio ſuſtinetur: cuncta inter furorem edentis & ſpectantis errorem, prodiga, & ſtùlta voluptatum fruſtrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu veſtiris, & paſceris,tu æternã vitam operãtibus polliceris:& vix tui meis pereuntibus adæquantur, qui à te diuinis mercedibus,& præmiis cæleſtibus honorantur. Quid ad hæc reſpondemus fratres chariſſimi? diuitum mẽtes qua ratione defendimus? qua excuſatione purgamus,qui Zabuli ſeruis minores ſumus, vt Chriſto pro pretio paſſionis & ſanguinis vicem nec in modicis rependamus? Hactenus Cyprianus. Cuius oratio ſatis indicat, quantum rei,(de qua agitur,indignitas, hac dicendi figura creuerit. Extant apud D. Hieronymum in Epitaphio

Hieron. in epiſt. ad Paul. Bleſillæ duo cõmodiſſima huius virtutis exempla: quæ his adijcere non grauabor. Cùm enim Paula Bleſillæ filiæ mortem moleſtiſſimè ferret, eandem Bleſillam his verbis loquentem inducit: Quas nunc exiſtimas Bleſillam noſtram pati cruces, quæ ferre tormẽta, quòd tibi Chriſtum videat ſubiratum? Clamat nunc illa lugenti: Si vnquam me amaſti mater, ſi tua vbera ſuxi, ſi tuis inſtituta ſum monitis, ne inuidias gloriæ meę, nec hoc agas, vt à nobis in perpetuum ſeparemur. Putas eſſe me ſolam? Habeo pro te Mariam matrem Domini. Multas hic video, quas antè neſciebã. O quantò melior eſt iſte comitatus! Habeo Annam quondam in Euangelio prophetantem: &, quò magis gaudeas, tantorum annorum labores ego in tribus mẽſibus conſequuta ſum. Vnam palmam caſtitatis accepimus. Miſereris mei, quia mundum reliqui? At ego veſtri ſortem doleo, quos adhuc ſeculi carcer includit: quos quotidie in acie præliantes, nunc ira, nunc auaritia, nunc libido, nunc variorum incentiua vitiorum pertrahunt ad ruinam; Si vis, vt mater mea ſis, cura placere Chriſto. Non agnoſco matrem meo Domino diſplicentem. Loquitur illa & alia multa, quæ taceo, & pro te Dominum rogat. Hactenus Hieronymus. Qui nec hac Bleſillę oratione contentus, ipſum etiam Dominum ad Paulam matrem his verbis inducit loquentem: *Idem ad eandem.* Non vereris ne tibi ſaluator dicat: iraſceris Paula, quia tua filia mea facta eſt filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriam poſſidenti? Scis enim quid de te, quid de cæteris tuis cogitem. Cibum tibi denegas, non ieiuniorum ſtudio, ſed doloris. Non amo frugalitatem iſtam. Ieiunia iſta aduerſarii mei ſunt. Nul-

lam animam recipio, quæ me nolente, ſeparatur à corpore. Tales ſtulta philoſophia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum, vel Catonem. Super nullum requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem verba mea. Hoc eſt, quod mihi in monaſterio promittebas? Quòd habitu à matronis cæteris ſeparato, tibi quaſi religioſior videbaris? Mẽs iſta, quæ plangit, ſericarum veſtium eſt. Interciperis & moreris, & quaſi nõ in meas manus vẽtura ſis, crudelem iudicem fugis? Fugerat quondam & Ionas animoſus Propheta, ſed in profundo maris meus fuit. Si viuentem crederes filiam, nunquam plangeres ad meliora migraſſe. Hoc eſt, quod per Apoſtolum meum iuſſeram, ne pro dormientibus in ſimilitudinem gentium triſtaremini? Hactenus ille. Hieremias quoque ad leniendos captiuorum animos, ipſam Hieroſolymorum ciuitatem his verbis filios ſuos alloquentem facit: Audite confines Sion: adduxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captiuitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quam ſuperduxit illis æternus. Nutriui enim illos cum iucunditate: dimiſi autem illos cum fletu & luctu, & cæt.

Hæc duo nouiſſima deſcriptionũ genera, præter alias inſignes vtilitates, hoc etiam habent, quòd rectum orationis curſum atq; impetum ad formam quodam modo dialogi flectunt: dum ſermones variis perſonis accommodant, quas idem concionator inducere debet, & ea vocis & geſtus figura pronunciare, atque ij, quibus hi ſermones tribuuntur. quæ res non modò ad orationis, ſed etiam ad pronunciationis varietatem & gratiam plurimum valet.

Poſt rerum & perſonarum deſcriptiones, temporum quoque & locorum numerantur : quas, quoniam propoſito noſtro parum conueniunt, omittendas duxi. Extant autem duo huius rei apud Lactantium clariſſima exempla in carmine de Phœnice, & de Dominica reſurrectione. Illic enim locus, hic tempus elegantiſſimè deſcribuntur.

De affectibus in commune.

Cap. X.

POST amplificandi rationem proximum eſt, vt de affectibus diſſeramus : quanuis hoc, expoſita iam amplificandi ratione, magna ex parte traditum ſit. Affectus enim (vt Philoſophi aiunt) partim magnitudine rerum, partim earundem præſentia oculis ſubiecta concitantur. Illud amplificatione, hoc deſcriptione rerum & perſonarum fit. Vtrumque verò hactenus explicuimus. Itaque rerum amplificatio atque deſcriptio, quanuis in ſuadendo aut diſſuadendo, laudando aut vituperando plurimum valeant, non minus tamen, ſed multò etiam magis ad effectus permouendos conducunt. Hęc igitur prima admonitio ſit, vt cùm alicuius rei tractatione auditorum animos afficere volumus, eam rem maximam in ſuo genere oſtendamus, eandemque (ſi natura rei patitur) velut oculis ſpectandam proponamus. Huius rei commodiſſimum exemplum præbent Lamentationes Hieremiæ : in quibus vir ille ſanctiſſimus, non humano, ſed diuino ſpiritu actus, ciuitatis ſanctæ euerſionem, ciuiumq; ſuorum calamitatē miro modo his rationibus exaggerat. Omnia enim, quæ calamitas illa complectebatur, hoc eſt, om-

nes eius partes & circunſtantias enumerat & amplificat, remque totam ante oculos ponit. Hoc enim oſtendunt illa verba: Quomodo ſedet ſola ciuitas populo?&c. Et, Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, &c. Et, Omnes portæ eius deſtructæ, ſacerdotes eius gementes, virgines eius ſquallidę & ipſa oppreſſa amaritudine. Iam verò eiuſdem Prophetæ oratio lamentationibus addita, totius calamitatis ſummam complectitur. *Thre. 1.*

Deinde illud etiam ad permouendos animos maximè iuuat, vt ipſi, qui mouere alios volumus, vehementer commoueamur. Qua de re non grauabor Fabij verba, quæ ſuperius citaui, hoc in loco repetere: Is igitur vbi de mouendis affectibus diſſeruiſſet, ſic hunc locum abſoluit: ſi tradita mihi ſequi præcepta ſufficeret, ſatisfeceram huic parti, nihil eorum, quæ legi, vel didici, quod modò probabile fuit, omittendo. Sed mihi in animo eſt, quæ latent penitus, ipſa huius loci aperire penetralia: quæ quidam non aliquo tradente, ſed experimento meo ac natura ipſa duce accepi. Summa enim, quantum ego quidem ſentio, circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, vt moueamur ipſi. Nam & luctus, & iræ, & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, ſi verba, vultumq; tantùm, non etiam animum accommodauerimus. Quid enim aliud eſt cauſæ, vt lugentes vtique in recenti dolore diſertiſſimè quædam exclamare videantur, & ira nonnunquam indoctis quoque eloquentiam faciat, quàm quòd illis ineſt vis mentis & veritas ipſa morũ? Quare in his, quæ veriſimilia eſſe volemus, ſimus ipſi ſimiles eorum, qui verè patinntur, affectibus: & à tali animo proficiſcatur *Fabius li. 6. cap. 3.*

oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, cùm hoc dicam, non dolentem? iraſcetur, ſi nihil ipſe, qui in iram concitat, idq; exigit, ſimile patietur? ſiccis agenti oculis iudex lachrymas dabit? Fieri non poteſt. Nec incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res vlla dat alteri colorem, quem ipſa non habet. Primùm eſt igitur, vt apud nos valeant ea, quæ valere apud iudicem volumus, afficiamurq; antequam afficere conemur. At quo modo fiet, vt afficiamur? Neque enim ſunt motus in noſtra poteſtate. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas phantaſias Græci vocant, nos ſanè viſiones appellemus, per quas imagines rerũ abſentium ita repræſentantur animo, vt eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur. Has quiſquis bene ceperit, is erit in affectibus potentiſſimus. Hunc quidem dicunt euphãtaſioton, qui ſibi res, voces, actus ſecũdum verum optimè fingit: quod quidem nobis volentibus facilè contingit. Vt, hominem occiſum queror, nõ omnia, quæ in re præſenti accidiſſe credibile eſt, in oculis habebo? non percuſſor ille ſubitus erumpet? non expaueſcet? circumuentus exclamabit? vel rogabit? vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo ſanguis, & pauor, & gemitus, extremus denique expirantis hiatus inſidet? Inſequetur energia, quæ à Cicerone illuſtratio & euidentia nominatur, quæ non tam dicere videtur, quàm oſtendere, & affectus non aliter, quàm ſi rebus ipſis interſimus, ſequentur. Vbi verò miſeratione opus erit, nobis ea, de quib. querimur, accidiſſe credamus, atq; id animo noſtro perſuadeamus. Nos illi ſimus, quos grauia, indigna, triſtia paſſos queramur. Nec agamus rẽ quaſi alie-

nam, ſed aſſumamus parumper illum dolorem. Ita dicemus, quæ in ſimili noſtro caſu dicturi eſſemus. Vidi ego ſæpe hiſtriones atque comœdos, cùm ex aliquo grauiore actu perſonā depoſuiſſent, flentes adhuc egredi. Quòd ſi in alienis ſcriptis ſola pronunciatio ita falſis accedit affectibus, quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, vt moueri periclitantium vice poſſimus? Orbum agimus & naufragum, & periclitantem, quorum induere perſonas quid attinet. niſſi affectus aſſumimus? Hæc diſſimulanda mihi nō fuerunt, quibus ipſe, quantuſcunque vſus fuit (nam perueniſſe me ad aliquod nomen ingenij credo) frequenter motus ſum, vt me non lachrymæ ſolùm deprehenderint, ſed pallor & vero ſimilis dolor. Hactenus Fabius.

Cæterùm pios animi erga res ſpirituales affectus nulla ars præbere poteſt, niſi adſit Spiritus ille diuinus, qui afflatu ſuo hunc motum animis noſtris inſpiret, quo & Prophetæ & Euangelici viri pleni fuerunt. Hoc enim nobis inſinuat adſpectus ille ſanctorum animalium, quæ Ezechiel Propheta deſcripſit, qui erat vt carbonum ignis ardentum, & quaſi aſpectus lampadarum. Non ſolùm enim accēſis lampadibus mētes hominum illuminabāt, ſed etiam ignitis carbonibus ad diuinarum rerum amorem incendebant. Hoc affectu ſaucius Hieremias clamabat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Et, O vos omnes, qui tranſitis per viam, & cæt. Et, Defecerunt præ lachrymis oculi mei, cōturbata ſunt viſcera mea, effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritione filiæ populi mei. Hoc eodem affectu commotus

Hiere. 9

Thrē. 2.

2. Cor. 11. Apoſtolus dicebat: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Et, Filioli mei, quos iterum parturio, donec for-
Galat. 4 metur Chriſtus in vobis, vellem eſſe apud vos modò, & commutare vocem meam: quoniam confundor in vobis. Quiſquis igitur hunc animum atque ſenſum habuerit, non dubium, quin motus ipſe, alios mouere, & incenſus incendere poſſit. Quia verò hoc (vt antè diximus) Spiritus Sancti donum eſt, qui in humilium cordibus requieſcit, humilitate, & ſubmiſſione animi, aſſiduiſq; precibus illud ab eo flagitet, quiſquis onus & officium hoc effugere non poteſt.

De affectibus in ſpecie.

Cap. XI.

VERVM hæc in vniuerſum dicta ſunt. Iã ad affectus in ſpecie tractandos deſcendamus, ſua cuique loca & inueniendi rationem præſcribentes. Sunt autẽ alij affectus oratorum, alij concionatorum. Oratores enim ferè auditorũ animos ad commiſerationem vel indignationem mouere ſolent. Cõcionatores autem ad amorem Dei, peccati odium, ſpem diuinæ miſerationis, metũ diuini iudicij, ac ſpirituale gaudium, ſalutarem triſtitiam, diuinarum rerum admirationẽ, mundi contẽptum, & cordis humilitatem, ſiue animi ſubmiſſionem mouere ſolent.

Ariſtoteles ſecũdo Rhetorices ad Theodectem libro copioſè de omnibus fermè affectibus ſcribit: nempè de ira, manſuetudine, amore, odio, timore, audacia, pudore, indignatione, miſericordia, cæteriſque ſimilibus. In quibus tractandis

philoſophico more cauſas explicat, quib⁹ vnuſquiſque horum affectuum in animo commoueri ſoleat. Hanc ergo prudentiſſimi Philoſophi methodum his affectibus concitandis, quos ſuprà memorauimus, nos quoque ſequemur. Diligenter ergo animaduertenda illa ſunt, quæ in nobis dilectionem erga Deum, peccati odium, ſpem in Deum, timorem, cæterosq; ſimiles affectus concitare ſoleant. Hæc autem omnia ſigillatim explicare non vnius libri, ſed multorum opus eſt: cùm magna pars ſacrorum voluminum, ſanctorúmq; Patrum hoc præcipuè agat, vt hos affectus in animis noſtris ingeneret. Nobis autem hoc in loco ſatis erit, velut digito affectuum fontes indicaſſe, viamq; oſtendiſſe, quam in alijs ſequi debeamus.

Amorem igitur in Deum excitant immenſa eius bonitas, charitas, manſuetudo, pulchritudo, cognatio, & beneficentia. Bonitas enim (vt ab hac incipiamus) humanæ voluntatis obiectum à Philoſophis eſſe dicitur. Deus autem non modò bonus, ſed immēſa etiam bonitas, ſummumque & vniuerſale bonum eſt, quod omnem complectitur bonitatem: quemadmodum ipſe ad Moſem ait: Ego oſtendam tibi omne bonum. Denique adeò bonus eſt, vt eius comparatione nihil bonum eſſe dicatur: quemadmodum Saluator ait: Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Amor etiam noſtri, quem ſecundo loco poſuimus, ad mutuam amoris vicem reddendam incitat. At ita nos Dominus dilexit, vt dicat: Maiorem hac dilectionē nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Et, Sic Deus dilexit mundum, vt filiū ſuum vnigenitum daret. Et, In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſe-

rans. Hæc autem diuina charitas ſic nos ad redamandum impellit, vt Saluator dicat: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Lenitas quoque & manſuetudo amorem conciliant. At virtutem hanc ita ſibi Saluator ſumpſit, vt dicat: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Et Apoſtolus, cæteris Domini virtutibus prætermiſſis, fideles obſecrat per manſuetudinem Chriſti. Pulchritudo quoque ad ſe amandam vehementer allicit, quæ Græcè calon (à vocando) dicitur: quod omnia vocet ad ſe, & amoris vi ac poteſtate trahat. At Deus eſt, cuius immenſam pulchritudinem Sol & Luna mirantur: qui de ſe ipſo ait: Pulchritudo agri mecum eſt. Nec agri ſolùm, ſed omnium etiã cœleſtium atque terreſtrium rerum pulchritudinem in ſe vno continet: à quo etiam pulchritudo omnis in omnia, quæ pulchra ſunt, deriuatur: cùm nemo dare poſſit, quod nõ habet. Quiſquis autem pulchri huius naturam & conditionem plenius cognoſcere cupit, Platonem legat in conuiuio, in quo Socrates fœminam quandam in ſummi huius pulchri natura mirabiliter diſſerentem inducit. Sequitur deinde cognatio, quam cum Deo habemus, cuius & genus ſumus: quemadmodum Paulus poëtæ Gentilis teſtimonio docet. Hæc autem magnum etiam amoris incitamentum eſt. Cùm enim ſanguinis & generis communio inter cognatos ſit, conſequens eſt, vt qui ſe ipſum diligit, eiuſdem generis & ſanguinis conſortes diligat. Inter cognationes autem, parentum & filiorum magna cognatio eſt. At de Domino Deo noſtro Propheta dicit: Nónne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te? Nec enim corporis ſolùm formator, ſed animæ etiam creator

eſt, ideóque ipſe eſt, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur: cuius comparatione, ſicut nemo bonus, ita nemo pater ſuper terrā appellandus eſt. Vnde meritò Propheta dicit: Pater meus & mater mea dereliquerūt me, Dominus autem aſſumpſit me. Et Eſaias: Et nūc Domine, pater noſter es tu: & Abrahā neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos. Quantò ergo magis talis Pater diligendus eſt? Sed eſt aliud cognationis nomen multò arctius atque cōiūctius, quodque maiorem amoris flammam excitat: nempè viri & vxoris, propter quam relinquet homo patrem & matrē: Hoc autē pleniſſimū amoris nomen ſibi Chriſtus Dominus in Canticorum libro vendicauit: vt flagrantiſſimum ſuum erga nos amorem, noſtrumque, hoc eſt, ſanctarū animarum erga illum, inſinuaret. Idemque fidelem animam fide & charitate imflammatam ſibi deſponſat. Vtrumque autem nomē & patris & ſpōſi per Prophetam complexus eſt, cùm ait: Ergo amodò voca me, Pater meus, & dux virginitatis meæ. Quo ergo amore talis ſponſus à nobis diligendus eſt? Pſ. 26. Eſaia. 63.

Supereſt beneficentia, quæ omnia Domini beneficia ſiue corporis, ſiue animæ, ſiue naturæ, ſiue gratiæ, ſiue communia, ſiue priuata complectitur: atque inter hæc omnia ſummum & maximum redemptionis noſtræ beneficium. Quæ autem oratio horum beneficiorum multitudinem & magnitudinem vel explicare, vel etiam numerare valeat? Facilius enim ſtellarum multitudo, quàm diuina beneficia, numerari poterunt. Quot ergo ſunt Domini beneficia, tot cordi noſtro igniculi admouētur, qui amoris ignem erga illum incendant. Denique (vt vno verbo

omnia complectar) omnes amādi rationes, quæ in rebus conditis inueniuntur, cum infinita acceſſione in hoc ſummo bono auctę reperiuntur. Quò fit, vt ſolus infinit⁹ amor, qui in diuino pectore æſtuat, huic infinitæ bonitati plenè ſatisfaciat: cæteri verò amores vel ipſarum quoq; beatarum mentium, infinitis partibus minores ſunt, quàm quos infinita illa bonitas & pulchritudo meretur. Ex his ergo fontibus rationes & incitamenta charitatis oriuntur, quibus algētia hominum pectora ad Dei amorem incendimus.

Hoc igitur exemplo propoſito, Eccleſiaſtes partim ſtudio & meditatione, partim ſacrarum literarum, ſanctorumq; Partum lectione rationes inuenire poterit: quibus cæteros affectus in animo auditorum excitare poſſit: Inter quos ad lethalis peccati odium & deteſtationem, & ad diuinæ iuſtitiæ timorem potiſſimum ſtudeat inducere. Hunc autem ſalutarem metum præcipuè acuunt peccatorum multitudo, incerta vitæ conditio, mortis ineuitabilis neceſſitas, diuinorum iudiciorum abyſſus, rationis reddendæ cogitatio, extremi iudicij formidanda ſeueritas, ſuppliciorumq; gehennæ acerbitas ſimul & æternitas, cæteraque his ſimilia. Eſt autem hic timoris affectus vtiliſſimus ad obdurata hominum pectora concutienda. Cùm enim homines nimium ſui amantes ſint, etiam ſi Dei amore careant, hoc tamen nimio ſui amore capti, quicquid ſibi valde noxium eſſe intelligunt, vehementer perhorreſcunt. Vnde fit, vt à ſeruili timore incipientes, & peccata ſolo pœnarum metu deteſtantes, paulatim ad filiorum amorem prouehantur. Hac ratione beatiſſimus confeſſor Vincentius infinitam penè hominum

multitudinem ad veram pœnitentiam traxit: quod in concionibus ſuis vt vehementiſſimus, ita frequentiſſimus eſſet in hoc diuini iudicij, vternorumque ſuppliciorum metu concitando. Quocirca Eccleſiaſtes animarum ſalutem ſitiẽs, frequenter hos affectus vrgere, ac præcipuè gehennæ acerbitatem & æternitatem quanta poterit vi dicendi exaggerare, & velut oculis ſpectandam proponere debet. Nunquam enim tãtùm has pœnas dicendo amplificare poterit, quin multis ac penè infinitis partibus eius oratio ſit inferior, quàm quod rei magnitudo poſtulat. Qua in re omnis ars, omníſque dicendi facultas deficit. Cùm enim inter Oratorum virtutes Dinoſis præcipuè numeretur, quæ rei indignitatem & atrocitatem non ſolùm dicendo æquat; ſed etiam ſuperat (qua virtute Demoſthenes plurimum valuiſſe dicitur) in hac tamen pœnarum acerbitate amplificanda virtus hæc prorſus deficit. Tantum enim abeſt, vt maiorem, quàm reuera eſt, dicendo faciat, vt ne quanta ſit, efficere vllo modo poſſit. Quanuis autem longè minus ſit, quod hac de re dicitur, hoc ipſum tamen, quod dicitur, vehementer vel ferrea hominnm præcordia mouere poteſt. Ad hoc autem multa Eccleſiaſtes in ſcriniolis repoſita & meditata habere debet: quibus hunc effectum excitare poſſit: ac deinde ingentem admirationem cõmouere quòd tam multi ſint, qui hæc omnia certiſſima fide ſibi perſuadentes, non aliter viuant, quàm ſi eadem aniles fabulas exiſtimarent. Vbi igitur his rationibus argumenta inuenerimus, quibus affectus iſti commoueantur, rationes amplificandi adhibendæ ſunt, quibus ea, quæ inuenta fuerint, amplificemus:

& hæc ipſa exemplis ſimilibus, diſſimilibus, & ſcripturarum atque ſanctorum Patrum teſtimomoniis confirmabimus.

De commiſerationis affectu.

Conqueſtio in cauſis iudicialibus defenſori neceſſaria eſt, qua vel iudicũ, vel auditorum animo: ad miſericordiam flectere conatur. Huius autem affectus tractatio rarò in concionibus incidit: incidit tamen aliquando, ſiue cùm Dominicæ paſſionis acerbitatem, vel ſacratiſſimæ Virginis dolorem amplificamus, quando aut triduò filium amiſit, aut cum eo in Ægyptum fugit, aut (quod fuit longè miſerabilius) cùm eundem in cruce morientem vidit, & tumulo condidit. Poterit etiam in agonibus Martyrum explicandis hic affectus intercedere. Quanuis autem hoc rarò inueniat, quia tamen, quæ de hoc animorum motu Rhetores docent, digna ſunt, quæ legãtur, ea hoc in loco attexere volui: ex omnibus prudẽs concionator, quæ inſtituto ſuo commodiora videbuntur, ſeligere poterit. De hoc igitur affe-
Cicero. ctu Cicero in primo de Inuentione libro ſic ait:

Conqueſtio eſt oratio auditorum miſericordiam captans. In hac primùm animũ auditoris mitem & miſericordiam conficere oportet, quò facilius conqueſtione commoueri poſſit. Id locis cõmunibus efficere oportebit, per quos fortunæ vis in omnes & hominum infirmitas oſtẽditur. Qua ratione habita grauiter & ſententioſè, maximè demittitur animus hominum, & ad miſericordiã comparatur, cùm in alieno malo ſuam infirmitatem conſiderabit. Deinde primus locus eſt miſericordiæ, per quem quibus in bonis fuerint, & nunc quibus in malis ſint, oſtẽditur.

tur. Secundus, qui in tria tempora tribuitur, per quem, quibus in malis fuerint, & ſint, & futuri ſint, demonſtratur. Tertius, per quem vnumquodque deploratur incommodum, vt in morte ilij, pueritiæ delectatio, amor, ſpes, ſolatium, educatio, & ſi qua ſimili in genere quolibet de incommodo per conqueſtionem dici poterunt. Quartus, per quem res turpes, & humiles, & illiberales proferentur, & indignæ ætate, genere, fortuna, priſtino honore, beneficiis, quas paſſi perpeſſuriue ſint. Quintus eſt, per quem omnia ante oculos ſigillatim incommoda ponentur, vt videatur is, qui audit, videre: & re quoque ipſa, quaſi adſit, non verbis ſolùm ad miſericordiam ducatur. Sextus, per quem præter ſpem in miſeriis demonſtratur eſſe: & cùm aliquid expectaret, non modò id non adeptum eſſe, ſed in ſummas miſerias incidiſſe. Septimus, per quem ad ipſos, qui audiunt, ſimilem caſum conuertimus, & petimus, vt de ſuis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis charus debeat eſſe, nos cùm videant, recordentur. Octauus, per quem aliquid dicitur eſſe factum, quod nō oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: Non affui, non vidi, non poſtremam eius vocem audiui, non extremum eius ſpiritum excepi. Item, Inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter iacuit inſepultus, à feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit. Nonus, per quem oratio ad mutas & expertes animi res refertur, vt ſi ad equum, domum, veſtem, ſermonem alicuius accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt, & aliquem dilexerunt, vehementer commouetur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, ſolitudo demonſtratur. Vn-

decimus, per quem aut liberorum, aut parentũ, aut ſui corporis ſepeliendi, aut alicuius eiuſmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem diſiunctio deploratur ab aliquo, cùm deducaris ab eo, qui cum libentiſſimè vixeris, vt à parente, filio, fratre, familiari. Tertius decimus, per quem cum indignatione coquerimur, quod ab ijs, à quibus minimè conueniat, malè tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimns, quos adiutores fore putauerimus, aut à quibus indignum eſt, vt à ſeruis, liberis, clientibus, ſupplicibus. Quartusdecimus, qui per obſecrationem ſumitur, in quo orantur modò illi, qui audiunt, humili & ſupplici oratione, vt miſereatur. Quintusdecimus, per quem non noſtras, ſed eorum, qui chari nobis debent eſſe fortunas conqueri nos demonſtramus. Sextusdecimus eſt, per quem animum noſtrum in alios miſericordem eſſe oſtendimus: & tamen amplum, & excelſum, & patientem incommodorum eſſe, & futurum ſi quid acciderit, demonſtramus. Nam ſæpè virtus & magnificentia, in qua grauitas & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commouẽdam, quàm humilitas & obſecratio. Commotis autem animis diutius in conqueſtione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit Rhetor Apollonius, lachryma nihil citius areſcit. Hactenus Cicero.

De figuris elocutionis, quæ affectibus concitandis deſeruiant.

CAP. XII.

QVÆ hactenus de affectibus concitandis diximus ad inueniendi magis, quàm ad eloquendi rationem pertinẽt. Nunc uaſdam elocutionis figuras, quæ ad hoc ipſum ræcipuè conducunt, his adiungere viſum eſt. oſt rem igitur inſignem amplificatam, aut proatam, auditoris animus, qui iam rei magnitune incipit commoueri, figuris ad hoc idoneis citandus eſt. Inter quas prima & vulgatiſſima t exclamatio: qualis illa Apoſtoli, ex affectu aritatis erumpens: O inſenſati Galathæ? quis s faſcinauit nõ obedire veritati?&c. Nec ſemr exclamatio ab hac interiectione, O, incipiẽ- eſt: ſed vbicunque impotens affectus erumpit, clamatio eſt: qualis illa: Generatio praua atq; uerſa, hæccine reddis Domino popule ſtulte inſipiẽs? Nõne ipſe eſt pater tuus?&c. Potuiſenim dicere: O generatio praua, &c. quemaddũ in Euãgelio Dominus: O generatio increla, atq; peruerſa, quàm diu apud vos ero? quo;; vos patiar? Illa quoque eiuſdẽ Domini vox oris index, Væ mundo à ſcandalis, exclamaeſt. Sed vehementiſſima illa eſt, quæ pluribus ſtat exclamationibus: qualis illa Gregorij eol. in oratione funebri, in qua Gorgoniæ ſois, fœminæ ſanctiſſimæ virtutes, ac præcipuè as in orationis ſtudio vigilias commendat. enim expoſita ſic exclamat: O noctes inſom-, & pſalmorum cantus, & ſtationem in diem inentem. O Dauid, ſolis piis animis, haud

Exclamatio.

Deu.32.

Mat.17.

Mat.18.

Greg. Naziã. orat. funebri ſororis Gorgon.

prolixè canens. O tenera membra in terrā prouoluta, séque aſperè præter naturam exercentia; O lacrymarum fontes præ tribulatione profuſarum, vt in exultatione meſſem faciant. O nocturnum clamorem, nubes penetrantem, ad Deúmque peruadentem. O ſpiritus feruorem, præ orationis deſiderio, nec canes nocturnos, nec imbres, nec tonitrua: nec grandinem, nec tenebras extimeſcentem. O fœmineam naturam, quæ propter commune ſalutis certamen naturā virilem ſuperaſti, atque oſtendiſti, maris & fœminæ nomine non animos, ſed corpora ſola diſtingui. Hactenus Gregorius.

Apoſtrophe. Eſt autem exclamatio multò acrior, cùm Apoſtrophe coniuncta eſt: in qua animus rei magnitudine commotus, ad res etiam mutas & inanimes ſermonem conuertit: qualis illa eſt: Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, &c. Et illa quoque ante rem expo- *Hier. 2.* ſitam, quod rarius contingit, cõtingit tamē. Audi cælum, & auribus percipe terra: quia Dominus loquutus eſt. Et ſimilis huic: Audite cæli quę *Eſa. 1.* loquor, audiat terra verba oris mei. Sed illa tamen ſi non acrior, certè ſplendidior atque ſuauior ex deſiderij magnitudine expreſſa vox: Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperia- *Eſa. 45.* tur terra, & germinet Saluatorem: Hanc quidem vocem ingens deſiderij ardor expreſſit. Ille *Eſa. 44.* verò vehemens grati animi & lætitiæ affectus: Laudate cæli, quoniam Dominus fecit: iubilate extremæ terræ: reſonate montes laudationē, ſaltus & omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, & Iſrael gloriabitur. Diuus verò Hieronymus in Epitaphio Nepotiani mortem ipſam alloquitur his verbis. O mors, quæ fratres

diuidis,& amore ſociatos crudelis ac dura diſſocias! &c.

Contraria huic figura eſt,qua non res mutas & inanimes alloquimur, ſed ipſis etiam ſermonem & humanos affectus tribuimus: quod in literis ſanctis vt vehementiſſimum, ita frequentiſſimũ eſt. Quale eſt illud: Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: quia venit,&c. Et, Lætentur cœli, & exultet terra: gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis ſunt. Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie Domini,quia venit:&c. Et, Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculata ſunt. *Pſa.97.* *Pſa.97.*

Finitima his Hyperbole, quæ Latinè dicitur ſuperlatio: cuius eſt etiam non infrequens in literis ſanctis vſus: quæ rem attollit quidem ſupra finem,ſed nõ ſupra modum. Talis eſt illa vox in Pſal.17. Et intonuit de cœlo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam; grando, & carbones ignis. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit,& conturbauit eos. Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum. His enim vocibus horrẽtis, impetum & iram diuini numinis aduerſus impios voluit demonſtrare. Ad eundem modum Deus apud Eſaiam, Cœlum, inquit, turbibo,& conquaſſabitur terra, propter indignationem exercituum. Quem locũ Diuus Hieronymus explanans, ait hanc eſſe ſuperlationem, qua vehementiſſimam iram Dei, Vates ſanctus exaggerat. Simile huic eſſe videtur illud eiuſdem Prophetæ: Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiẽs loquar, diſſipabo ſimul, & abſorbebo: deſertas faciam montes & colles,& omne gramen eo- *Hyperbole.* *Pſa.17.* *Eſa. 13.* *Eſa.48.*

rum exſiccabo. His enim verbis diuini furoris magnitudo inſinuatur.

Interrogatio. Interrogationum quoque repetitio vim habet & acrimoniam: & non ſolùm ad effectus permouendos, ſed etiam ad orationis varietatem plurimum valet. Eſt autem vehementior atque elegantior, cùm plures interrogationes articulis aut membris diſtinctæ in eadem orationis ſerie fluxerunt: quale eſt illud Apoſtoli: Non ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nónne Chriſtum vidi? Nónne opus meum vos eſtis in Domino? Et paulò poſt: Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plantat vineã, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hoc dico? An & lex hæc non dicit? &c. Sic etiam expoſita lethalis peccati grauitate, eos, qui huiuſmodi peccata deſerere nullo modo volunt, his interrogationibus vrgere ac perterrefacere licebit. Quouſque tandem ô miſeri homines, diuina patientia abutemini? Quandiu in iſto infeliciſſimo ſtatu permanebitis? Quem tot ſceleribus finem ſtatuetis? Nihil ergo vos periculi veſtri magnitudo, nihil diuini iudicij timor, nihil mortis incerta conditio, nihil rationis reddendæ cogitatio, nihil æterni ſupplicij metus, nihil ſuſceptæ cum Deo inimicitiæ periculum, nihil tot diuina beneficia, quæ nos ad benefactoris amorem prouocant, nihil diuinæ maieſtatis imperium, quod ſpernitis & pro nihilo ducitis: nihil Chriſti crux, claui, lancea, ſputa, vincula, flagella veſtri cauſa ſuſcepta, apud vos efficient? Quale pect⁹ illud eſt, quod tot machinis nõ mouetur, tot arietibus non quatitur, tot fulminibus non deijcitur? Quomodo talibus aut cibus, aut

1. Cor. 9

ſomnu s gratus eſſe poteſt, cùm in eo ſtatu degāt, in quo ſi repentina mors ſuperuenerit (quod fieri non rarò ſolet) protinus ad æterna ſupplicia rapiantur? Quis in eis ſenſus remanet, qui ſomnum carpere tot noctes in peccato audent? qui rerum omnium conditorem (ſine cuius virtute ne ſpirare quidem poſſumus) ſibi infenſum & inimicum habent? Quis hic Dæmonis vires atq; potentiam non agnoſcat, adeò potenter hominem excæcantis, & veluti adamantinis compedibus vincientis?

Obſecratio quoq; qua aliquid obnixè ab auditoribus poſtulamus, poſt rem probatam, aut amplificatam, appoſitiſſimè cadit. Sic Paul. Obſecro, inquit, vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, &c. Et iterum, Ipſe ego Paulus obſecro vos, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, &c. Et alibi: Obſecro vos ego vinctus in Domino, &c. Sic D. Chryſoſtomus poſteaquam vehementer in eos inuectus eſſet, qui ſorores adoptiuas domi fouebant, hac obſecratione orationem clauſit: Oro igitur, & ſupplico, & ante genua veſtra me prouoluo, & omnibus preces offero, per ſuade animi, & ab hac ebrietate redeamus: ſimus noſtri ipſorũ compotes, & agnoſcamus honorem, quem dedit nobis Deus: & Paulum clamantem audiamus: Ne ſitis ſerui hominum: & mulieribus ſeruire ad communem omnium perniciem deſinamus: Hactenus ille. Hac igitur figura frequentiſſimè concionatores vti poſſunt: quę ſi à charitatis viſceribus proficiſcatur, magnam vim ad animos permouendos habet. Eſt in Hiſpania Concionator quidam, non minus ſanctitate, quàm doctrina, & officij dignitate celebris: cuius auditores

Obſecratio.

Epheſ.4
Chryſo.

(inter cætera laudum eius inſignia) hoc maximè commendant, quòd frequenter hac obſecratione vti ſoleat: Obſecró vos fratres amore Dei, ne vltra peccare velimus. Quam quidem ſententiã ea vocis & vultus figura pronunciat, quæ facilè affectum eius charitatis pleniſſimum oſtendunt: quo vehementer auditorum animos commouere ſolet.

Adiuratio. *1. Tim. 4.* Finitima eſt huic adiuratio quæ maiorem adhuc vim habet. Cuius ſpeciem illa Pauli verba, præ ſe ferre videntur: Teſtificor coram Deo & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & aduentum ipſius, & regnum eius, prædica verbum, &c. Religioſus admodum pater Frãciſcus Titelmanus, vbi in commentariis de cœlo, & mundo, aliquorum ſyderum magnitudinem, ex ſententia Ptolemæi Alfragani, cæterorumque doctiſſimorum Aſtronomorũ declaraſſet, adieciſſétque aliquot ſydera eſſe, quæ terræ magnitudinem trigeſies quinquies, alia ſeptuagies, alia nonagies, alia verò (quæ primæ magnitudinis eſſe dicuntur) centies & ſepties ſuperarent, rei magnitudine ſtupefactus, ſic exclamat: Adiuro te, lector quiſquis es, vt Chriſtiano pectore, etiam atq; etiam perpendas ex his, quæ dicta ſunt, quàm ſit miſeranda ſors eorum hominum, qui propter anguſtiſſima huius terræ gurguſtiola immenſam illam cœleſtis regni amplitudinem amittunt. Iterúmque conſidera, quàm miſeri ſint, & quàm malè ſibi conſulant, qui pro huiuſmodi rebus digladiantur, mutuóque ſeipſos decipiunt, omniáque diuina & humana iura violant. Quamuis enim aliquis totius terræ imperium obtineret (quod tamen nulli hactenus inter mortales contigit) quid aliud, quàm pun-

ctum rapuit? quid aliud, quàm punctum manibus tenet, in atomo tenet imperium? Illi ergo, qui pro terræ minima particula, vtpote pro agello, pro anguſto prædiolo, pro domuncula ſiue caſula contendunt, quid aliud moliūtur, quid quærunt, huiuſmodi puncti, hoc eſt, totius terræ minimam particulam poſſidere? O vanas hominum curas, ô pectora cæca. Diſce ô miſer, pro quàm minima regula, quantum amittas theſaurum: & pro anguſto formicarum nidulo, quàm amplum abijcias palatium, dum terrenam formem cœleſtis præeligis.

Optatio quoque affectum animi deſiderantis explicat: qualis illa: Gens abſque conſilio, & ſine prudentia eſt. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Item illa: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcā. Et illa: Vſquequò peccatores Domine, vſque quò peccatores gloriabuntur? Sic etiam Dominus de filiis Iſrael obedientiam pollicentibus ad Moyſem ait: Rectè omnia ſunt locuti. Quis det eos talem habere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea, vt bene ſit illis, & filiis eorum vſque in ſempiternum? Sanctus quoque Iob, Quis, inquit, mihi tribuat, vt in inferno protegas me? & cæt. Et, Quis mihi tribuat, vt deſcribātur ſermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro, &c. Hieremias item populi peccati offenſus, clamat: Quis dabit me in ſolitudinem diuerſorium viatorum, vt fugiam populum meum: qui omnes adulteri ſunt, & cœtus præuaricatorum.

Optatio. *Deut. 31.* *Pſ. 54.* *Pſ. 93.* *Iob. 14.* *Iob. 19.* *Hier. 9.*

Contraria huic eſt imprecatio, qualis illa Didonis apud Verg.

Sed mihi vel tellus optem, prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam,
Ante pudor, quàm te violem, & tua iura reſoluam.

Eſt hæc figura non infrequens in litteris ſanctis: : ſic Sanctus Iob: Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Et Oſeæ 14. Pereat Samaria, quia ad iracundiam prouocauit Deum ſuum, & cæt. Et in Pſalmo: Fiant menſæ eorum coram ipſis in laqueum, &c. Verùm his impræcationibus Prophetarum & Pſalmorum libri pleni ſunt: quæ tamen non tam imprecationes malorum, quàm futurarum cladium vaticinia, exiſtimandæ ſunt. Hac figura vti poſſumus, cùm gehennæ acerbitatem, aut extremi iudicij ſeueritatem exaggerantes, damnatorum voces exprimimus: quibus illi parentibus, nutricibus, præceptoribus, ac poſtremò natali diei, atque ſibi ipſis rabido ore dira imprecantur.

Oſeæ 14. *Pſ. 68.*

Admiratio quoque inter figuras, quæ affectibus ſeruiunt, iure numeranda eſt: cuius eſt in literis ſanctis frequens vſus: qualia ſunt illa? Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo! &, Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus! &, Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion! Iſaias quoque: Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris! & cæt. Pſalmographus, Quid eſt tibi mare, quod fugiſti: & tu Iordanis, quia conuerſus eſt retrorſum? Montes exultaſtis ſicut arietes, & cæt. Hoc autem in loco duplicatur figura, cùm admirationi iungitur Apoſtrophe: Apparet autem hanc eſſe figuram, quia quod ſim-

Thre. 1. *Thr. 2.* *Thre. 2.* *Eſaiæ. 14.* *Pſa. 113.*

pliciter dici poterat, Sedet ſola ciuitas plena populo, & cæt. acrius eadem ſententia hoc modo profertur & honeſtatur. Sunt & aliæ figuræ, quæ multum etiam ad acrimoniam, & res amplificandas valent: quales ſunt, Repetitio, Conuerſio, Complexio, Interpretatio, Synatbriſmos, ſiue congeries, Contraria, Contentio, & quædam aliæ, quas inter cæteras elocutionis figuras reddemus. Eas enim ſolùm hic enumerare voluimus, quæ manifeſtos continent affe ctus. Quas ſi quis inter figuras referre noluerit, non admodum repugnanbo, dummodo earum vis atque natura intelligatur.

Hæc ſunt, quæ de amplificandi ratione in commune mihi dicenda viſa ſunt. Cùm autem initio ſecundi libri omnem orationem in triplici genere verſari traditum à nobis ſit, nempe argumentione, amplificatione, & expoſitione: ac de duobus prioribus iam dictum ſit, reliquum erat, vt de tertia parte, hoc eſt, expoſitione modò diceremus: de qua tamen in ſequenti libro, cùm de narratione & genere didaſcalico dicendum erit, pauca tradēmus. Vtroque enim modo aliquid exponimus, vel cùm rem geſtam narramus, vel cùm abſtruſum aliquid dicendo explicamus.

ECCLESIASTICÆ RHETORICÆ, SIVE DE RATIONE concionandi,

LIBER QVARTVS.

Qui ſingularia concionum genera, & diſpoſitionis ordinem atque rationem explicat.

De ſex orationis partibus.

CAPVT PRIMVM.

HACTENVS communia inuentionis præcepta, quæ ad omnia concionũ genera in vniuerſum pertinent, expoſuimus. Nũc doctrinæ ordo exigere videtur, vt ad ſingulares concionum ſpecies tractandas deſcendamus: & quid vnaquæque earum deſideret, quidque Eccleſiaſtes ſupra Oratorem addat, explicemus. Diximus autem, ex Ariſtotelis & Ciceronis ſententia, Rhetoricæ artis materiam in triplici cauſarum genere verſari, iudiciali, deliberatiuo, ac demonſtratiuo. Et in iudiciali quidem genere accuſamus vel defendimus, in deliberatiuo ſuademus, diſſuademus, hortamur, dehortamur, petimus, conſiliamur, commendamus, &c. in demonſtratiuo, perſonas, res, facta laudamus, aut vituperamus. Additũ eſt his didaſcalicum ſeu dialecticũ genus, ab ijs, qui latius hoc cauſæ genus patere volunt, vt non tantũ finitam complectatur quæſtionem, ſed ad infi-

nitam etiam extendatur, & adquancunque rem poſitam, de qua diſſeri via & ratio ne poſſit: Hoc genere continentur theſes, ſed loci communes, & ſimplices, & copulati: quorum tractationem orator à dialectica methodo accipit. Eam rationem Cicero in libr. de officiis ſequutus eſt: nihilque aliud Diuus Thomas cæterique Theologiæ doctores agunt, cùm de Deo, de Angelis, de anima, de fide, ſpe, charitate, cæteríſque virtutibus diſputant: quarum naturam, genus, ſpecies, partes, cauſas, effectus, & cæt. tractant. Huius autem generis finis cognitio eſt, Eccleſiaſtes tamen omnia ad vitæ inſtitutionem inclinabit. Ex his autem quatuor generibus iudiciale ab inſtituto noſtro excludendum eſſe ſuperius diximus: reliqua verò tria, quoniam propoſito noſtro magis conueniunt, ſigillatim à nobis tractanda ſunt.

Quia verò non parum refert ad omnia concionum genera, præcipuéq; ad ſuaſoria, quæ maximè ad inſtitutum noſtrum pertinent, orationis cuiuſque præcipuas partes, & veluti membra noſſe, neceſſe erit, vt has ante omnia breuiter exponamus. Sunt igitur pleniſſimæ atque perfectæ orationis ſex patres, Exordium, Narratio, Propoſitio (cui partitio ſiue diuiſio iungitur) Confirmatio, Confutatio, & Concluſio ſiue peroratio. Exordium eſt principium orationis, per quod animus auditoris præparatur ad audiendum. Narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde vt geſtarum expoſitio. Propoſitio ſummã cauſæ complectitur: cui additur partitio, quæ membra orationis aperit. Confirmatio eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeueratione. Confutatio eſt contrariorum locorum diſſolu-

tio. Concluſio eſt artificioſus terminus orationis. Has partes natura monſtrauit, & hunc ordinem ſeruari iubet: vt antequam de re propoſita dicamus, initio concilientur animi eorum, qui audiunt: deinde res demonſtretur poſtea controuerſia conſtituatur: tum id, quod intendimus, confirmetur: poſt, quæ contradici poſſunt: refellantur: extrema autem oratione, ea quæ pro nobis faciunt, amplificentur & augeantur: quæ pro aduerſariis, infirmentur. Eſt itaque oratio, quæ his partibus conſtat, velut perfectum quoddam in ſuo genere corpus, membris omnibus abſolutum. Prima igitur pars ad conciliandos animos, vltima ad commouendos valet. Cõfirmatio & confutatio ad docendum ac probandum pertinent, ad quam reliquæ viam muniunt. Ex his partibus plena & perfecta componitur oratio. Quid autem vnaquæque earum exigat, exponere excipiamus.

De Exordio. I.

Exordium eſt, quo animus auditoris ad audiendum præparatur. Id ita ſumitur, vt beneuolos, vt attentos, vt dociles auditores habeamus: Hic multa Rhetores de captanda beneuolentia docent. Beneuolos quippe auditores quatuor modis faciunt: à dicentis, ab aduerſariorum, ab auditorum perſona, & à rebus ipſis. Et ab aduerſariorum, quidem perſona, ſi eos in odium, inuidiam, contemptum adduxerint; quæ omnia longiſſimè ab officio noſtro diſtant. Satis ergo nobis erit, ſi attentos & dociles efficiamus, quibus etiam rationibus eorum nobis fauorem & gratiam conciliabimus. Attentos enim habebimus, ſi docebimus, nos de rebus magnis, nouis inuſitatis verba facturos, aut de ijs rebus,

quæ ad Rempublicam pertinent, aut ad eos ipſos, qui audient, aut ad Dei cultum & religionẽ: & ſi rogabimus, vt attentè audiant: & ſi numero exponemus res, de quibus dicturi ſumus. Dociles auditores habere poterimus, ſi ſummã cauſæ breuiter exponemus, & ſi attentos eos faciemus. Nam docilis eſt, qui attentè vult audire.

De Narratione. II.

Poſt exordium Rhetores (qui hanc artem ad iudiciales præcipuè cauſas tractandas, vt antea diximus, excogitarunt) Narrationem ſecundo loco poſuerunt: quæ ad huiuſmodi cauſas agendas ferè neceſſaria eſt. Hoc autem narrationis genus parum inſtituto noſtro conuenit. Sunt tamen quatuor alia narrationum genera, quæ non rarò in conciones incurrunt. Primùm eſt, cùm res geſtas, quæ vel in ſacris literis, vel in vita Sanctorum continentur, ad aliquid confirmandum commemoramus. Secũdum eſt, quod amplificandi cauſa tractatur. Tertium eſt, quod allegoriæ vel tropologiæ ſeruit. Quartum in Euangelica lectione explicanda verſatur: de quibus breuiter modò dicendum eſt.

Primum ergo genus eſſe dicimus, quod res geſtas & exempla Sanctorum commemorat. Sic enim narramus hiſtoriam Ioſeph à fratribus proditi: ſic Dauidis Tobiæ, Iudith, Eſter, Ionæ Prophetæ, ceteráſque ſimiles alicuius vtilitatis gratia in diuerſis concionum partibus commemoramus. Nemo autem putet, facilè cuique eſſe huiuſmodi exempla artificiosè, & eleganter dicere. Hac enim in re cum primis eloquentia dominatur, vt iucundam narrtionem efficiat: in ea namque tum animorum motus, tum verba variis perſonis conuenientia (per quæ morata

oratio fit)tum etiam breues rerum deſcriptiones adhibendæ erunt, quæ rem oculis ſubijciāt. Genus quoque orationis rebus ipſis conuenire debet. Hoc autem fiet, ſi lætis iucūda, ſeriis grauia, inſignibus ornata,, triſtibus acerba tribuatur expoſitio.

Quanuis autem huiuſmodi narrationes iudicialium cauſarum diſſimiles ſint, eas tamen virtutes habere debent, quas illis Rhetores attribuunt. Volūt quippe, vt omnis narratio breuis, dilucida, veriſimilis, & iucunda ſit. Breuis & iucunda libentius auditur, perſpicua facilius intelligitur: veriſimilis citius probatur. Solet ferè narrationis initio preparatio quædam adhiberi, & fini, tamquam peroratio, atque ad contentionem trāſitio: quod ipſum in reliquis etiam partibus obſeruandū eſt: vt aptè inter ſe omnes atque eleganter cohærcant. Has ergo res habere narrationem cōuenit: quæ quoniam fieri oportere ſcimus, quemadmodū facere debeamus, cognoſcendum eſt. Rem breuiter narrare poterimus, ſi inde incipiemus narrare, vnde neceſſe erit: &, ſi nō ab vltimo initio repetere volemus, &, ſi ſummatim, non particulatim narrabimus: &, ſi non ad extremū, ſed vſq; eò, quò opus erit, proſequemur, &, ſi tranſitionibus nullis vtemur, & ſi non decertabimus ab eo, quod cœperimus exponere: &, ſi exitus rerū ita exponemus, vt antè quoque, quæ facta ſint, ſciri poſſint, tametſi non reticuerimus. Quod genus ſi dicā me ex prouincia redijſſe, profectum quoque in prouinciā intelligatur. Et omninò, non modò id, quod obeſt, ſed etiam id, quod neq; obeſt, neq; adiuuat, ſatius eſt præterire. Et ne bis aut ſæpius idem dicamus, cauendum eſt etiam, ne id, quod ſemel ſupra diximus,

mus, deinceps dicamus, hoc modo: Athenis Megaram veſperi aduenit Simo: vbi aduenit Megaram, inſidias fecit virgini: inſidias poſtquam fecit, vim in loco attulit. Rem dilucidè narrabimus, ſi vt quidque primùm geſtum erit, ita primùm exponemus, & rerum ac temporum ordinem conſeruabimus, vt geſtæ res erũt, aut vt potuiſſe geri videbuntur. Hic erit conſiderandum, ne quid perturbatè, ne quid contortè, ne quid ambiguè, ne quid nouè dicamus, ne quam aliam in rem tranſeamus, ne ab vltimo repetamus, ne lõgè proſequamur, ne quid quod ad rem pertineat, prætereamus: &, ſi perſequamur ea, quæ de breuitate præcepta ſunt. Nam quò breuior, eò dilucidior, & cognitu facilior narratio fiet. Veriſimilis narratio erit, ſi, vt mos, vt opinio, vt natura poſtulat, dicemus: ſi ſpatia temporum, perſonarum dignitates, conſiliorũm rationes, locorum opportunitates conſtabunt: ne refelli poſſit, aut tẽporis parum fuiſſe, aut cauſam nullam, aut locum idoneum non fuiſſe; aut homines ipſos facere, aut pati non potuiſſe. Iucunda verò narratio erit, ſi noua, inexpectata, magna, grauia contineat.

Secundũ narrationis genus eſſe diximus, quod amplificandi cauſa ſumitur, quo videlicet egregia Sanctorum facta, aut deteſtanda malorum exempla amplificare volumus. Hac ratione Origenes obedientiam Abrahæ in filij ſacrificio, Gregorius Nazianzenus vitam & mortem Beati Martyris Cypriani, D. Baſilius quadraginta militum martyrum, D. autem Chryſoſtomus, trium puerorum, quos Nabuchodonoſor in fornacem conijci præcepit, conſtantiam & animi magnitudinem amplificat. Hoc autem narrationis

P

genus maiorem adhuc eloquentiæ vim, quàm ſuperius illud deſiderat. Huic enim potiſſimum amplæ illæ rerum & perſonarum deſcriptiones, & ea omnia, quæ in ſuperiori libro de amplificatione diximus, ſeruiunt. Nihil autem nos iuuare magis ad huius artificij rationem poterit, quàm hæc ſanctorum Patrum ſcripta, quæ modò retuli, perlegiſſe, & quæ artis ſunt, diligenter in eos adnotaſſe. Verùm hac de re paulò fuſius, cùm ad demonſtratiuum genus ventum fuerit, diſſeremus.

Tertium genus eſt, quod allegoriæ, myſticiſq; ſanctarum ſcripturarum ſenſibus deſeruit. Quia verò ſancti olim Patres (ac præcipuè Origines) in his myſticis ſenſibus explicandis diligentiſſimè verſati ſunt, & hoc ipſum ad Concionatoris officium maximè ſpectat, quæ mihi hac de re dicenda videbuntur, paucis expediam. Principio igitur inter myſticos ſenſus, alij ad mores formandos, alij ad Chriſti myſterium explicandum pertinent: illud tropologiam, hoc allegoriam appellant. Et illi quidem ſenſus ad moralem Philoſophiam, hi verò ad CHRISTI fidem: illi ad legem & inſtitutionem vitæ, hi ad gratiam Euangelij explicandam referuntur. Qua ex re dignitas allegoriæ ſupra tropologiam intelligitur: quandoquidem tropologia diuinæ legis enarrationem continet, allegoria verò diuinæ gratiæ beneficium demonſtrat: illa quidem intellectum erudit, hæc verò propoſita diuinæ gratiæ, diuinæque bonitatis & miſericordiæ magnitudine, voluntatem accendit. Itaq; cùm concionator (vt antè diximus) docere, flectere, ac delectare debeat, tropologia ſolùm docet: allegoria verò non ſolùm docet, ſed etiam flectit, atq;

que delectat. Delectat quidē diuinæ largitatis & gratiæ, Euangeliíque fauſtiſſimo nuncio ante oculos poſito: flectit autem, qui hac tanta diuinæ bonitatis & charitatis magnitudine expoſita, voluntates hominum ad mutuum in Deum amorem, & peccati odium, & ſalutis ſuæ ſpem vehementer incendit.

Sed cùm allegoriæ nomē, multa, quæ ad Chriſti myſterium pertinent, comprehendat, illud genus allegoriæ potiſſimum excellit, quod ſummum redemptionis noſtræ beneficium, & Dominicæ paſſionis meritum, & diuinæ gratiæ, quæ per illam nobis datur, mirabilem vim & efficaciam præcipuè declarat. Hæc enim diligenter expoſita & amplificata, miro modo mentes hominum in tantarum rerum admirationem rapiūt, & diuinæ bonitatis, benignitatis, charitatis, & miſericordiæ amorem vehementer inflammant. Nemo autem allegoriarum tractatione hos affectus excitare poterit, niſi qui prius partim quidem ſtudio atque doctrina, partim verò ſecreto Spiritus Sancti magiſterio hanc tantam diuinæ dignationis gratiam didicerit, eiuſque non modo cognitionem, ſed etiam ſenſum ab eo hauſerit. Hoc autem ad myſticam Theologiam ſpectat: quæ diuinarum rerum dignitatem magis amando ac deguſtando, quàm intelligendo cognoſcit: cuius verus ac legitimus magiſter Spiritus Sanctus eſt: Qui ab hoc igitur ſummo præceptore fuerit edoctus, is vtique huiuſmodi allegoriarum tractatione poterit animos hominum ad amorem in Deum, & peccati odium excitare: & quem ipſe motum atque affectum animo conceperit, in alios dicendo transfundere.

Sunt autem quidā præcipuè hac noſtra ætate

qui ſolo literali (vt vocant) ſenſu contenti, myſticos ſenſus refugiunt. Sunt rurſus alij, qui in omnibus penè ſanctarum ſcripturarum locis hos ſenſus indagare ſtudent: quo in genere notatus olim à D. Hieronym. Origenes fuit: ſic enim de illo ait: Liberis campis allegoriæ vagatur, & interpretatis nominibus ſingulorum, ingenium ſuum facit Eccleſiæ ſacramenta: Modus igitur in his adhibendus eſt, & media, hoc eſt, regia via incedendum, vt videlicet nuſquam allegorias requiramus, niſi cùm res ipſa myſticum ſenſum poſtulare videtur. Cùm enim Dominus in Euangelio lutum facit ex ſputo, & cæci oculos linit, & ad Natatoriam Siloë mittit: cumque ſurdum & mutum à turba ſecernit, & expuens tangit linguam eius, & digitos mittit in aures eius, & gemit, & cælum ſuſpicit, apertè hæc omnia myſticum aliquid nobis hic latere inſinuant.

Hac igitur in re hæc ab eodem Origene tradita regula mihi tenenda eſſe videtur: vt quoties vel in ſacra hiſtoria, vel in veteris legis præceptis, ſacrificijs & cæremonijs aliquid inueniatur, quod prima fronte vel otioſum, vel ſpecie tenus ſuperſtitioſum, vel parum rationi, & æquitati conſonum inueniatur, ibi myſticum ſenſum requiramus: vt quod in litera ſcriptoris aut legiſlatoris dignitati minus conuenire videtur, in myſtico ſenſu maximè conuenire reperiatur. Exempli grâtia. Parum diuinæ legis æquitati cõuenire videtur, vt mulier, quæ filiũ enixa fuerit, ſeptem diebus immũda ſit, & ab omni ſacrorum contractu arceatur: ſi verò filiã pepererit, hoc legalis immunditiæ ſpatium duplicetur. Sic etiam cur vir mundus, qui ex præcepto Domini

vaccam legalium immunditiarum expiatricem comburit, & qui eius cineres colligit, in mundiſſimo loco reponit, lauare veſtimenta ſua, & vſque ad veſperam immundus eſſe per legem debeat: cùm ex diuinæ legis obedientia, & rei mundiſſimæ contractu nemo ſordes contrahat. Iam verò vacca præcipitur eligi rufa, & ſine macula, & quæ nunquam iugum portauerit, & quòd extra caſtra non in templo immolanda atque comburenda, & ita comburenda, vt ipſius etiam pellis atque fimus cum ea ſimul comburatur: quis igitur hæc omnia myſterijs vacare credat? Quid verò mundati leproſi ſacrificium? quàm multa continet, quæ ſi nihil ſpirituale atque reconditum deſignarent, indignum Deo legiſlatore videretur. Sic enim Leuitici decimoquarto de ipſo legimus: Adducetur ad ſacerdotem, qui egreſſus de caſtris, cùm inuenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei, qui purificatur, vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quos veſci licitum eſt, & [illegible]ni cedrinum vermiculumq;, & hyſſopum, [illegible] ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe [illegible] per aquas viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum, qui mundandus eſt, ſepties, vt iure purgetur, & dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet. Hactenus verba legis. In his ergo ac ſimilibus legibus explicandis Origenes ait: Si credimus has literas eſſe diuinas, neceſſe eſt, vt ſpirituale aliquid atque diuinum tanto dignum legiſlatore in eis latere fateamur. Alioqui audeo dicere, Athenienſium aut Lacedæmoniorum leges commodiores hominibus, magiſq; ſalutares extitiſſe. Cùm verò idem Dominus in paſcha-

lis agni ſacrificio præcipiat, vt is agnus ſit anniculus, vt ſine macula, vt in vna domo comedatur, vt oſſa eius non conterantur, vt nihil ex eo in craſtinum reponatur, ſed igne quod reſiduum fuerit, comburatur, ac poſtremò, vt aſſus, non elixus comederetur, quis adeò ſine mente erit, vt non hæc omnia myſticis ſenſibus refertiſſima eſſe credat? Hic D. Greg. ex eo, quod Dominus præcepit, ne quid crudum ex hoc agno comederetur, apertè colligit ſpiritualem in his ſenſum reconditum eſſe. Alioqui otioſum erat præcipere, ne quis crudas carnes comederet, quas præter carniuoras beſtias nemo comedit.

His ita conſtitutis proximum eſt, vt tractandi rationem in his myſticis ſenſibus oſtendamus. Primùm igitur vel legem ipſam, vel hiſtoriam rei geſtæ dilucidè & breuiter (vt paulò antè de narratione diximus) exponemus, hac tamen obſeruatione, vt vel ex lege vel hiſtoria rei geſtæ ea ſolùm dicamus, quæ ad myſtici ſenſus explicationem pertinent: cætera verò, niſi quæ ad hiſtoriæ cognitionem neceſſaria fuerint, prætermittamus. Exempli gratia. Si ex ſacrifi[illegible]iatur vaccę (cuius paulò antè mentionem feci) redemptionis Chriſti gratiam & ſacramentorum virtutem à ſacra eius paſſione manentem voluero declarare, altero eiuſdem legis myſterio prætermiſſo, de eo videlicet, qui vaccam combuſſit, & eius cineres in mundo loco repoſuit (qui etiam immundus eſſe vſque ad veſperam dicitur) cætera ſolùm, quæ ad ſacram Chriſti humanitatem pertinēt, commemorabo: ne videlicet multis rebus, quarū myſteria explanare nollo, narrationem fruſtra onerem. Rurſum ſi docere voluero, genus humanum primi parentis vitio ad

mortem damnatum, nequaquam Moſis lege, ſed per incarnationis Dominicæ beneficium fuiſſe à morte ſuſcitatum, per quod homines immenſam illam Dei bonitatem & charitatem agnoſcentes, amore eius æſtuare cœperūt, ea ſolùm ex hiſtoria pueri ab Heliſæo ſuſcitati narrabo, quæ ad hoc myſterium explicandum pertinebūt: Nempe, quòd illa ſancti viri hoſpita ad ipſum accurrerit. Propheta verò puerum ſuum cum baculo miſerit, quam ſuper defuncti corpus poneret: qui tamen vitam mortuo reddere non potuit, quouſque pueri dominus venit, ſeque ad defuncti paruuli menſuram contrtxi: quo factum eſt, vt caro pueri calefieret, oculoſque aperuerit: atque ita demum vitam amiſſam receperit. Lege igitur aut hiſtoria hoc modo ante oculos poſita, primo loco ijs rationibus, quas paulò ante ex Origenis ſententia attigimus, demonſtrandum erit, myſticum aliquid in ijs rebus latere. Nam (vt de Heliſæo loquar) quorſum necis & vitæ autor Dominus hac tam noua ratione voluerit mortuo vitam reddi, quæ nihil ad hoc pertinere videbatur? Cùm his igitur rationibus auditorum attentio fuerit excitata, eorumque animus eius myſterij cognoſcendis auidus effectus, tum eius explanationem aggrediemur, ſingulas eius partes, ſingulis vel legis vel hiſtoriæ partibus accommodantes: idque (quantum orationis perſpicuitas tulerit) tranſlatis verbis vtentés, quæ ad legem vel hiſtoriam propoſitam alludere intelligantur. quod tamen ita faciendum erit, vt oratio metaphoris reſperſa, non obruta eſſe videatur: ne obſcuritatem pariat, & allegoricus ſermo in ænigmata exeat.

In his autem allegoriis nequaquam oportebit

(quod quidam faciunt) diutius in nominum interpretatione verſari: ſed hæc ipſa breui oratione explicantes, in ea re, cuius gratia allegoria inducta eſt, immorari conueniet, & longiori interdum oratione, id quod intendimus, amplificare.

Vltimo verò loco illud adijciam, vt quoniam multa ſunt, quæ de hac re præcipiuntur, quæ nos breui oratione cõplecti minimè poſſumus, ſtudioſus concionator in his myſticis ſenſibus explicandis cum laude verſari cupiens, diligenter Origenis libros, qui in Moſis Pentateucum ſcripti ſunt, euoluat: & ex eo, quonam modo hæc præcipua Theologiæ pars tractanda ſit, pleniſſimè diſcet. Extat etiam de hoc argumenti genere Radulphi Flauiani opus in Leuiticum, dignum profectò quod à ſtudioſis concionatoribus legatur. Extat item allegoriarum moraliumque ſententiarum opus, abs triginta veteribus Patribus collectum: in quo multa in hoc genere ſcitu digna plus concionator congeſta deprehendet.

Reliquum erat quartum narrationis genus, quod in Euangelica lectione explananda verſatur: cuius vim & rationem paulò poſt ſuo loco explicabimus.

De propoſitione & partitione. III.

Propoſitio eſt, qua breuiter ſtatus & ſumma totius cauſæ comprehenditur. Hæc autem omnis confirmationis caput eſt, quæ omitti nunquam poteſt. Si propoſitio ſimplex non eſt, ſubijcitur partitio: quæ breuis eſt partium propoſitionis enumeratio. Ea duplex eſt: vna, quæ tantùm in genere iudiciali adhibetur, per quam aperimus, quid cum aduerſariis conueniat, & quid in controuerſia relinquatur. Altera eſt, quia

in omnibus cauſarum generibus vti licebit: per quam explicamus, quot & quibus de rebus ſimus dicturi, & quę ſecuturi in dicendo ordinem oſtēdimus: vt quid quaque de re, quóue loco dicendum ſit, appareat: quæ res vel maximè docilem facit auditorem, dum quo ordine vnamquanque earum, quæ propoſitæ ſunt, partium tractaturus ſit, præcognoſcet: maximumq; eadem memoriæ lumen affert: vtilis & neceſſaria non oratori ſolùm, ſed cuiuis etiam quacunque de re diſſerenti. Sed hic videndum eſt, ne ſit obſcura partitio, ne longa nimium, ac multiplex: ne permixta genera partibus implicentur. Tribus enim virtutibus ea maximè commendatur: abſolutione, & paucitate, nec pluribus ferè, quàm tribus, aut interdum quatuor membris comprehenditur. Euenire autem interdum poteſt, vt aliqua diuiſionis pars docendi gratia iterum diuidenda ſit: quod fecit Cicero pro lege Manilia, ſiue de imperatore ad bellum Mithridaticum diligendo. Prima enim partitio fuit: Primùm mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Abſolutis autem duobus propoſitis diuiſionis membris, cùm ad tertium ventum eſt, hac diuiſione eſt vſus: Ego ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere, virtutem, ſcientiam rei militaris, autoritatem, felicitatem. Hæc de partitione in vniuerſum dicta ſunt: de qua etiam nonnulla paulò inferius annotabimus.

Sunt autem multa alia, quæ Dialectici de diuiſionis ratione atq; natura docent, quæ ab illis petenda ſunt. Quòd vero ad inſtitutum noſtrum attinet, videndum illud quoque eſt, vt membra

diuiſionis inter ſe cohæreant:hoc eſt, vt ſub eodem genere vni uocè contineantur. Qua in re multi nimis inſulsè peccant, qui ſola nominis voce contenti, diſſimillima inter ſe membra ſub eodem nomine coniungunt. Pudet huius rei exemplum ponere. Hoc certè modo peccant, qui ciuitatem ſupra montem poſitam explicaturi montem faciunt virum ſanctum, de quo ſermonē habituri ſunt: deinde Eccleſiam, tum iuſti viri animam: atque ita de triplici monte ſe concionē habituros dicunt. Quo in genere innumera penè vitia in multis authoribus, qui ſermones ſcripſerunt, paſſim deprehendere licet.

Quia tamen non leuiter à multis in hac diuidendi ratione peccatur (quæ res totius concionis perturbationem parit, quæ tota à diuiſionis ordine & ratione procedit) quid in hac parte Eccleſiaſtes conſiderare debeat, paucis expediam. Is igitur ante omnia quid in tota concione efficere velit, hoc eſt, orationis ſuæ ſcopum ante oculos ponat. Deinde quibus illum rationibus attingere velit, animaduertat, eáſque prudēti conſilio ad aliquem ordinem reducat: atque ita demum diuiſionis partes colligere poterit, quæ totius cauſæ ſummam comprehendant. Hoc autē apparet in ea Ciceronis diuiſione, quam paulò antè citauimus. Cætera verò, quæ de hac re præcipi poſſunt, prudentis concionatoris iudicio relinquuntur: quandoquidem totam hanc rectè diſponendi rationem (à qua diuiſio manat) Cicero prudentiæ magis conſilio, quàm artis præceptis conſtare putat.

De confirmatione & confutatione. IIII.

Quartam & quintam orationis partem eſſe diximus confirmationem & confutationem: quas nonnulli ſub contentionis & probationis nomine comprehendunt: cuius gratia ſuperiores illæ partes traditæ ſunt. Ea verò totius quæſtionis diſputationem continet. Conſtat autem confirmatione & confutatione: quarum illa ad probãdum, hæc ad refellendum valet: illa argumentando cauſæ facit fidem, hæc aduerſariorum argumenta, quæ vel obiecta ſunt, vel obijci poſſunt, diſſoluit. Ad hanc autem probationis partem, omnia, quæ in ſecundo libro ſiue de argumentorum inuentione, ſiue de argumentationum formis dicta ſunt, pertinent. Quæ omnia ex Dialecticorum fontibus manant. Verùm cùm concionatori efficiendum ſit, non ſolùm vt doceat (quod proprium eſt Dialecticorum) verùm etiam vt delectet & permoueat, illuſtrior eſt Oratorum ornatiórque confirmatio, quàm ieiuna illa Dialecticorũ argumentatio: cui tamen Rhetores omne orationis robur acceptum ferunt, ſi quid argumentis aut probare velint, aut reprehendere. quibus autem orationis figuris Rhetoricæ argumentationes illuſtrandæ atque exornandæ ſint, ſuperiori libro (vbi de argumentandi ratione tractauimus) expoſitum eeſt.

De confutatione. V.

Quibus autem aduerſarij confirmatio aut diluatur, aut infirmetur, aut eleuetur, Cic. in Rhetoricis docet his ferè verbis: Omnis argumentatio reprehẽditur, ſi aut ex his quæ ſumpta ſunt, non conceditur aliquid vnum, pluráue, aut his,

conceſſis, concluſio ex his confici negatur, aut ſi genus ipſum argumentationis vitioſum oſtenditur (veluti cùm docemus falſa eſſe pro veris aſſumpta) aut ſi cõtra firmam argumentationem alia æquè firma aut firmior ponitur. Hæc ab illo pluribus explicantur lib. 3. de Inuentione, & à Cornificio lib. 2. Rhetor. ad Heren. & à Quintil. lib. 5. cap. 13. Vtimur alijs etiam modis: Eleuatione, cum aduerſarij argumenta ridemus: Excuſatione, vt ſi ætas, imprudentia, ſexus afferatur. De precatione: mutus criminatione: Inuerſione ſigni contra nos allati.

De Concluſione ſeu peroratione. VI.

Hæc ex Cic. lib. de Inuent. Peroratio eſt extrema pars orationis, ſeu artificioſus orationis exitus: qui conſtat ferè vel enumeratione, vel affectibus. Enumeratio eſt, per quam res diſperſè & diffuſè dictæ, vnum ſub aſpectum ſubijciuntur. Hæc ſi ſemper eodē modo tractabitur, perſpicuè ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur. Sin variè fiet, & hanc ſuſpicionem & ſatietatem vitare poterit. Quare tum oportebit id facere, vt plerique faciunt propter facilitatē ſigillatim vnamquamq; rem attingere: & ita omnes tranſire breuiter argumentationes: tum autem (id quod difficilius eſt) dicere, quas partes expoſueris in partitione, de quibus te pollicitus ſis dicturum, & reducere in memoriam, quibus rationibus vnamquamq; partem confirmaueris: tum ab ijs qui audiunt, quærere, quid ſit quod ſibi velle debeant, demõſtrari, hoc modo: Docuimus hoc, illud planum fecimus: ita ſimul & in memoriam redibit auditor, & putabit nihil eſſe præterea, quod debeat deſiderare. Atq; in his generibus (vt ante dictum

eſt)tum tuas argumẽtationes percurrere ſeparatim,tum id,quod artificioſus eſt, cum tuis contrariis coniungere: & cum tuam argumentationem dixeris, tum contra eam quod afferebatur, quemadmodum dilueris, oſtendere. Ita per breuem comparationem auditoris memoria & de confirmatione, & de reprehenſione redintegrabitur. Atque hęc aliis actionis quoque modis variare oportebit. Nàm tũ ex tua perſona enumerare poſſit,vt quid,& quo loco quidque dixeris, admoneas:tum verò perſonam aut rem aliquam inducere, & enumerationem ei totam attribuere. Perſonam hoc modo: Nã ſi legis ſcriptor exiſtat, & quærat à vobis quid dubitetis, quid poſſitis dicere,cùm vobis hoc & hoc ſit demonſtratum. Atq; hic item in noſtra perſona licebit aliâs ſingillatim tranſire omnes argumentationes, aliàs ad partitiones ſingula genera referre, aliâs ab auditore, quid deſideret, quærere, aliás hæc facere per comparationem ſuarum & contrariarum argumentationum. Res autem inducetur,ſi alicui rei huiuſmodi,legi,loco, vrbi, monumento attribuetur oratio per enumerationem, hoc modo: Quid ſi leges loqui poſſent, nónne hæc apud vos quererentur? Quidnam amplius deſideratis iudices,cùm vobis hoc & hoc planũ factum ſit? In hoc quoque genere omnibus eiſdem modis vti licebit. Commune autem præceptum hoc datur ad enumerationem, vt ex vnaquaq; argumentatione (quoniam tota iterum dici non poteſt) id eligatur, quod erit grauiſſimum,& vnum quodque quàm breuiſſimè tranſeatur,vt memoria, non oratio renouata videatur. Hactenus Cicero. His ſimilia dicit Fabius: quæ quamuis ad iudiciales cauſas magis pertineant, multa tamen

ex his elicere poſſumus, quæ non parum ad inſtitutum noſtrum (præſertim in ſuaſorij generis peroratione) conducant. Facilè enim ex ſimilibus ſimilia procreantur. Sic igitur Fabius: In peroratione quæ repetemus, quàm breuiſſimè dicẽda ſunt, & quæ Græco verbo patet, decurrẽdum per capita. Nam ſi morabimur, non iam enumeratio, ſed altera quaſi fiet oratio. Quæ autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda ſunt, & aptis excitanda ſententiis, & figuris vtique varianda: alioqui nihil eſt odioſius recta illa repetitione, velut memoriæ iudicium diffidentis. Sunt autem innumerabiles, optiméque in Verrem Cicero: Si pater ipſe iudicaret, quæ diceret, cùm hæc probarentur? Deinde ſubiecit enumerationem. Aut cùm idem in eundem per inuocationem deorum ſpoliata à Prætore templa dinumerat. Licet dubitare, nunquid nos fugerit, & quid reſponſuri ſint aduerſarij his & his, aut quam ipſe accuſator habeat omnibus ita defenſis? Illa verò iucundiſſima, ſi contingat aliquod ex aduerſario ducere argumentum, vt ſi dicas: Reliquit verò hanc partẽ cauſæ: aut inuidia premere maluit: aut ad preces confugit, & meritò, cùm ſciret hæc & hæc. Sed non ſunt ſingulæ ſpecies perſequendæ, ne ſola videantur, quæ fortè nunc dixero, cùm occaſiones & ex cauſis, & ex dictis aduerſariorum, & ex quibuſdam fortuitis quoque oriantur. Nec referenda modò noſtra, ſed poſtulandum etiam ab aduerſariis, vt ad quędam reſpondeant. Id autem, ſi & actionis ſupererit locus, & ea propoſuerimus, quæ refelli non poſſunt. Hactenus Fabius.

Alteram verò orationis partẽ affectibus conſtare diximus: & quidem Rhetores in iudiciali-

bus cauſis indignationis & commiſerationis affectus excitare conantur. Accuſator quippe ad indignationem aduerſus crimen quod intendit: Defenſor verò commiſeratione ad reum abſoluendum vtitur. Ille igitur vbi crimen admiſſum eſſe probauit, ad vindictam & ſuppliciū criminis atrocitate amplificata excitat: iſte contra, vbi argumentis reum probauit innocentem, ad abſolutionem & miſericordiam hortatur. Qua ex re liquet per orationis affectus cum ratione cauſæ, quæ tractata eſt, conuenire & cohærere debere.

Ad hunc ergo modum prudens concionator pro argumenti & materiæ ratione, quam præcipuè in concione tractauit, argumentandi ſubtilitate relicta, amplificationi vela pandere debet: ſic tamen, vt amplificatio ipſa, quæ quandoque longior; quandoque breuior futura eſt, cum pręcedenti orationis parte cohæreat. Itaque ſi ſuademus, vbi rei dignitatem & vtilitatem argumentis probauimus, aculeos in fine exhortationis adijciemus: contra verò ſi diſſuademus, ad odium, & contemptum, ac deteſtationem eius rei acriter incitabimus. Quæ res quāuis variè per totū orationis corpus ſpargenda ſit, in fine tamē orationis, quando auditor flectendus, & vel à turpi actione deterrendus, vel ad honeſta excitādus eſt, præcipuas partes habet. Qua de re D. Auguſt. ſic ait: Si qui audiunt, mouendi ſunt potius, qua docendi: vt in eo quod iam ſciunt, agendo non torpeant, & rebus aſſenſum, quas veras eſſe fatētur, accommodent, maioribus dicendi viribus opus eſt. Ibi obſecrationes & increpationes, concitationes & coërcitiones, & quæcunq; alia valēt ad commouendos animos, ſunt neceſſaria. Et paulò poſt idē. Cùm verò, inquit, id docetur, quod agē-

Lib. 4. de doctr. Chriſt.

dum eſt, & ideò docetur, vt agatur, fruſtra perſuadetur verum eſſe quod dicitur, fruſtra placet modus ipſe quo dicitur, ſi non ita dicitur, vt agatur. Oportet igitur eloquentem Eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid quod agendum eſt, non ſolùm docere vt inſtruat, & delectare vt teneat, verùmetiam flectere vt vincat. Et paulò ante in eodem capite de eodem genere ſic ait: Sicut eſt autē, vt teneatur ad audiendum: delectandus auditor, ita flectendus, vt moueatur ad agendum. Et ſicut delectatur, ſi ſuauiter loquaris, ita flectitur, ſi amet quod polliceris: timeat, quod minaris: oderit, quod arguis: quod commendas, amplectatur: quod dolēdum exaggeras, doleat: cùm quid lætādum prædicas, gaudeat: miſereatur eorum, quos miſerandos ante oculos dicendo conſtituis: fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis: & quicquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt, ad commouendos animos auditorū, non quid agendum ſit vt ſciant, ſed vt agant, quod agendum eſſe iam ſciunt. Si autem adhuc neſciūt, prius vtique docendi ſunt, quàm mouendi. Hactenus Auguſtinus. His igitur affectibus & figuris, quæ D. Auguſtinus commemorauit, poſt epilogum ſiue enumerationem, quæ eſt altera perorationis pars, vti licebit. Commodiſſimè enim probata iam cauſa velut ſtrue lignorum compoſita, affectuum flamma conſurgit. Quæ tantò erit ardentior, quantò probatio fuerit firmior & efficacior.

Illud vltimò admonendum duxi, argumentorum epilogum extremam hanc orationis partem, quam Cicero amplificationem vocat, præcedere debere. Nō enim in hoc ſolùm argumentorum ſumma colligitur, vt auditorum memoria

ria reficiatur, ſed vt omnia ſimul breuiter conglobata, velut agmine facto, in eorum animos irrumpant, & apud illos quod volumus, efficiãt. Hãc autem argumentorum enumerationem opportunè amplificatio ſequitur: qua vel ab aliquo ſcelere deterremus, vel ad virtutis eius ſtudium, de qua ſermonem fecimus, adhortamur, & acres ad hoc ſtimulos adhibemus.

Eſt etiam commodiſſimus perorandi modus, quãdo non ad vnam aliquam virtutem, ſed omnia virtutum officia adhortamur: quibus æternæ vitæ præmium propoſitum eſt. Quo per orationis genere elegantiſſimè D. Paulus in Epiſtola ad Romanos vſus eſt: quam omnium penè officiorum atque virtutum enumeratione finiuit. Nec hanc ſolùm, ſed Epiſtolam quoque ad Hebræos, cæteraſq; his virtutum, variorumque officiorum adhortationibus claudit.

Aliquando verò non inutile erit, de cœleſti gloria, & Sanctorum felicitate in regno Patris eorum diſſerere: vt hoc ſuauiſſimo animarum ferculo ſpiritualis doctrinæ epulum finiamus. Quod venuſtiſſimè D. Cyprian. in Sermone de mortalitate fecit. Hæc autem duo poſtrema perorationis genera in omnibus concionibus, quacũq; de re habeantur, non incommodè quadrare poterunt. Semper enim quæ vel ad flectendos animos potentiora, vel ad oblectandos iucundiora ſunt, extremæ orationis parti, quæ de tota ferè concione dijudicat, reſeruanda ſunt.

Hæc igitur de ſex perfectæ orationibus partibus dicta ſunt: quæ in genere ſuaſorio ac diſſuaſorio (quod mox tractabimus) præcipuè locum habent. Ideoque peculiarius de ipſis in eo genere diſſeremus.

De primo concionandi modo in genere ſuaſorio.

CAP. II.

HIs perfectę orationis partibus explicatis, reliquum eſt, vt ad peculiares concionãdi modos tractandos deſcendamus: atque in primis ſuaſorium ac diſſuaſorium: quos ſub deliberatiuo genere comprehendi ſuperius diximus. Hoc enim genus adeò concionatoris proprium eſt, vt in omnibus concionibus (ſiue quæ de Sanctis, ſiue quæ de Redemptionis noſtræ beneficijs habentur, ſiue quæ in explanatione Euangeliorum, cæterorumque ſacrorum librorum verſantur) hunc nobis ſcopum & in tota concione, & ſingulis eius partibus proponere debeamus: vt ad pietatem & iuſtitiam homines adhortemur, vel à vitijs deterreamus: quod ad hoc genus pertinet. Huc enim ſemper omnis oratio noſtra referenda eſt.

De hoc autem genere ſatis multa diximus, cùm ſex orationis partium vim & rationem tradidimus: quæ nullibi commodius, quàm in hoc ſuaſorio genere inueniuntur. Sed nos tamẽ, quæ de his partibus diximus, ad hunc concionandi modum hoc in loco accommodabimus.

Exordium igitur in hoc genere attentos in primis auditores faciet, expoſita rei dignitate vel neceſſitate, de qua ſermonem habituri ſumus. Omnes enim attentè audiunt, quæ vel maximè decent, vel quæ ſibi cum primis neceſſaria ducunt. Exẽpli cauſa. Si quis vetuſta hominum odia extirpare dicendo velit, præfari poterit, eſſe hoc grauiſſimum crimen, dicente Ioanne:

Qui odit fratrē ſuum, homicida eſt. Deinde crimen hoc quàm diutiſſimè animo infixum hærere. Quo tempore innumera peccata hoc peccatum parit. Poſtremò latiſſimè hoc ſcelus patere: cùm varia paſſim irarum atque odiorum incitamenta ab importunis & ſceleratis hominibus vnicuique præbeantur: ideoque operæpretium eſſe, hoc tantum periculum, & tam latè patens malum, quodque tam multa ex ſe ſcelera germinet, ab auditorum mentibus penitus reuellere. *Ioa.1n.3*
Diuerſa autem ratione virtutem aliquam ſuaſuri, inſignem eius laudem, vtilitatem, aut neceſſitatem breuiter oſtendemus, & quāti noſtra referat, eius dignitatem exploratam & perſpectam habere. Sic D. Cyprian. Ser. de patien. ab hac neceſſitate orditur his verbis. De patientia locuturus fratres dilectiſſimi, & vtilitates eius & commoda prædicaturus, vnde potius incipiam, quā quod nunc quoque ad audientiā veſtram patientiam video eſſe neceſſariam: vt ne hoc ipſum, quod auditis & diſcitis, ſine patientia facere poſſitis? Tunc enim demùn ſermo & oratio ſalutaris efficaciter diſcitur, ſi patienter, quod dicitur audiatur. Nec inuenio fratres dilectiſſimi, inter cæteras cæleſtis diſciplinæ vias, quibus ad conſequenda diuinitus præmia ſpei ac fidei noſtræ ſecta dirigitur, quid maius ſit vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam, quàm vt, qui præceptis dominicis obſequio timoris ac deuotionis innitimur, patientiam maximè tota obſeruatione tueamur. Hanc ſe ſectari Philoſophi quoque profitentur: ſed tam illic patientia falſa eſt, quàm & ſapientia falſa eſt. *Cypria.*

Narratio in huiuſmodi cauſis ferè locum non habet: propoſitio tamen ac diuiſio neceſſaria

eſt. Propoſitio quidem, vt auditores intelligāt, quò potiſſimum oratio noſtra tendat. Qua in re concionatores quidam grauiter delinquunt: qui cùm initio dicendi concionis ſuæ ſcopum auditoribus non proponant, vix quiſquam eſt, qui, quò tendant & quid efficere velint, aſſequatur: atque ita auditor dubius hæret & incertus: neque quid ex doctrina colligere poſſit, aſſequitur. Scopus igitur ante omnia præfigendus eſt, vt auditor apertè videat, quò omnia ſententiarum & rationum iacula dirigantur.

Propoſitioni finitima eſt diuiſio, quæ cauſam in partes diuidit. Ea verò è generibus expetendorum & fugiendorum frequenter ſumenda eſt: illud cùm ſuademus, hoc verò cùm diſſuademus. Cùm enim bonum ita humanæ volũtati à natura propoſitum ſit, vt nihil velle poſſit, niſi quod vel bonum ſit, vel aliquam boni rationẽ induat: danda nobis opera eſt, vt in eo, quod ſuademus, omnes boni rationes eſſe oſtendamus. Cùm autem tria bonorum genera Philoſophi ſtatuant, honeſtum, vtile, atque iucundum: hæc ipſa, quàm maxime fieri poterit, in eo quod ſuademus, eſſe contendamus. Rhetores autem docendi gratia, hæc tria bonorum genera in alia partiuntur, nempè honeſtum, vtile, tutum, iucundum, facile, neceſſarium. Atque hæc omnia, vel plura horum, in eo quod ſuadent ineſſe contendunt. Ab honeſto ſuaſit cæleſtis Magiſter, cùm adoleſcenti dixit: Si vis perfectus eſſe, vade
Matt. 19. & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. Ab vtili ſuadet Paulus, cùm ait: Itaque fratres, ſtabiles eſtote, abũdantes in omni opere Do-
1. Cor. 15. mini: ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. A tuto verò idem ſuadet, cùm infir-

mis nuptias concedit propter fornicationis periculum. A iucundo verò argumentatur, cum nos ad diuinorum mandatorum obedientiam inducit, quòd ſit diuinæ legis iugum ſuaue, & onus leue. *Mat.11.* A facili verò, ſerui Naaman Syri illum ad obediendum Prophetæ imperio excitabant, dicẽtes: Pater, & ſi rem grandem tibi dixiſſet. Propheta, certè facere debuiſſes: quanto magis quia non dixit, niſi, Vade, lauare, &c. *4.Reg.5* Item Moyſes ad populum, Mandatum, inquit, hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atq; opere compleamus? Neque trans mare, & cætera. *Deut. 30.* Rurſumque alibi: Et nunc Iſraël, quid Dominus petit à te, niſi vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt bene ſit tibi? *Deut. 10.* A neceſſario verò vrget Dominus, cùm ait: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. *Luc. 13.* His etiam partibus addunt laudabile: quod quanuis nunquam ab honeſto ſeparetur, ſunt tamen inter vitutes, quæ ſub eo continentur, nonnullæ, quæ magnam apud homines laudem promerentur: qualis magnanimitas, liberalitas, magnificẽtia, fortitudo, atque prudentia eſt, & ſi quæ ſunt aliæ. Quia verò homines laudis & gloriæ maximè auidi ſunt, hæc quoque laudis pars in quod ſuademus, ineſſe demonſtrandum eſt. Ab hoc enim loco Iudas Machabæus milites ſuos ad periculoſiſſimum certamen excitauit, ne videlicet vllum gloriæ ſuæ crimen fugientes inferrent. *1. Matt. 9.* Capiuntur autem hac eſca potiſſimum reges &

Cicer. principes viri. Ab hoc autem loco Cicer. pro lege Manilia ad ſuſcipiendum bellum Mithridati cum adhortatur: Et quoniam, inquit, præter cæteras gentes appetentes laudis & gloriæ fuiſtis, delenda vobis eſt illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta, & cætera. Denique fructus omnes & vtilitates & laudes, quas ſecum ea res affert, quam ſuademus, non ſolùm enumerare, ſed quàm maximè fieri poſſit, amplificare debemus.

Diuerſa autem ratione diſſuademus, cùm id, à quo deterremus, turpe, damnoſum, periculoſum, ignominioſum, iniucundum, difficile, aut (ſi fieri poſſet) impoſſibile eſſe probamus. Hoc enim poſtremo loco ſanctus Ioſeph ad ſtuprum repudiandum vſus eſt, cùm adulteræ fœminæ
Gen.39. reſpondit: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, & cæter. quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in dominum meum? Vtriuſque autem rei clariſſima Deut. 28. extant exempla: in quibus Moſes commoda omnia, quæ pietatem & iuſtitiam conſequuntur; & horrenda item atque formidanda mala, quæ improbitati conſtituta ſunt, magnifica oratione perſequitur. Quæ quidem res maximam in ſuadendo vim habet, cùm ex vtroque latere auditorum voluntatem feriat: dum & bona proponit, quæ eam alliceant, & mala item, quæ terreant: atque ita demum in officio contineant.

Poſt confirmationem ſequitur confutatio: qua (vt antea diximus) ea quæ obſtāt, quoque auditorum animos remorantur, quò minus præcep-
Cypriā. tis noſtris pareant, amouemus & confutamus. Sic Diuus Cyprianus, Sermone de eleemoſyna,

vbi multos huius virtutis fructus & vtilitates commemoraſſet, ea quæ homines ab hoc benignitatis ſtudio remorari poterant, diluit atque confutat. Sic enim ait: Sic vereris & metuis, ne ſi plurimum operari cœperis, patrimoniũ tuum larga operatione ad penuriam fortè redigatur, eſto in hac parte ſecurus, & cætera, quæ ſequuntur. Deinde aliorum excuſationem confutat, qui liberis ſe patrimonium ſeruare dicunt, his verbis: Sed nec illa res fratres à bonis operibus refrænet & reuocet Chriſtianum, quòd excuſare ſe poſſe aliquis exiſtimet beneficio filiorum, & cætera quæ ſequuntur.

Vltimo loco ſequitur peroratio, ſiue epilogus: cuius (vt antè diximus) duo ſunt officia: alterum, breuiſſimè omnia argumentationum capita in vnum congerere, quò multiplici rationum vi ac pondere auditorum animos in noſtram ſententiam pertrahamus: alterum verò, affectus concitare, quibus ad idquod iam probauimus, exequendum impellamus: indigniſſimum eſſe oſtendẽtes, vel rem adeò ſalutarem ſpernere (ſi ſuademus) vel adeo pernicioſam amplecti & perſequi, ſi diſſuademus. Exemplo nobis erit D. Cyprianus ſermone de patientia. Vbi enim is patientiæ laudes & fructus expoſuiſſet, orationem tandem hoc epilogo claudit: Patientia eſt, quæ nos Deo & commendat, & ſeruat: Ipſa eſt, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regis, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit; coercet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet, tuetur in virginibus beatã integri-

tatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in coniunctis & maritatis indiuiduam charitatem: facit humiles in proſperis, in aduerſis fortes, contra iniurias & contumelias mites: docet delinquentibus citò ignoſcere: ſi ipſe delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat, Hactenus Cypr.

I.

His autem partibus, quæ concionatori cum oratore communes ſunt, proprium ac ſingulare quiddam addit Eccleſiaſtes: nempe, vt cùm ad alicuius virtutis officium fuerit adhortatus, vel ab aliquo vitio deterruerit, perorata cauſa, modum oſtendat, quo vel ea virtutis actio exequenda ſit, vel turpis actio fugienda. Sapienter enim Plutarchus ait, eos qui ad virtutem adhortantur, nec tamen docent, vel tradunt eam, ſimiles eſſe ijs, qui lucernam quidem emungunt, nec tamen oleum infundunt, quo ali, & ſuſtentari poſſit. Sic qui ad eleemoſynæ ſtudium adhortatur, docere poſt adhortationem debet, quoniam modo vtiliter eleemoſyna danda ſit: vt videlicet non anguſta, ſed larga & liberali manu: quando qui parcè ſeminat, parcè & metet. Deinde, vt prompto & alacri animo: hilarem enim datorem diligit Deus. Præterea, vt eleemoſyna ſit occulta: vt neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Tum etiam, vt ex affectu charitatis & cõpaſſionis tribuas, quod eſt miſericordiæ proprium: & cætera his ſimilia. Ad eundem quoque modum, vbi ad precandi ſtudium adhortati fuerimus, de animi præparatione ad precandum, de modo precandi, & conditionibus ad precandum neceſſarijs, quò ſit efficax oratio, agendum

Plutar.

eſt: ſi non ad oſtentationem, ſed ad ſalutem animarum dicimus. Atq; vt docendi gratia de ſcriptis noſtris exẽpla proponamus, in fine eius libri, quem de orationis & meditationis ſtudio ſcripſimus, tres in hoc genere ſuaſorio tractatus, de tribus ſatisfactionis partibus, nempè oratione, ieiunio, & eleemoſyna adiecimus. Qui facilius quid hoc argumenti genus requirat, quàm ipſa præcepta indicabunt. In eo autem volumine, cui Hiſpano ſermone titulum præfiximus, (*Guia de peccadores*) duobus libris hoc idem argumentum copiosè perſequuti ſumus: in quibus ad virtutis ſtudium ſumus adhortati. Principiò enim, in exordio attentionem captauimus: rem omnium, quæ in vita ſunt, maximè neceſſariam dicturos nos profeſſi. Deinde honeſti partes tractauimus, immenſam Dei bonitatem, eiuſq; clariſſima beneficia explicantes: quæ iure ſuo obedientiam & amorem noſtrum ſibi vendicant. Deinde vtilitatis & iucunditatis ratio explicata eſt. Qua in loco duodecim inſignia priuilegia, quibus pij omnes in hac vita potiuntur, expoſuimus. Poſtea excuſationes omnes, quibus improbi homines ſeſe à virtutis ſtudio ſubtrahere ſolent, tanquam inanes & friuolas apertiſſima oratione confutauimus atque diſſoluimus. In vltimo verò eius libri capite, argumentorum omnium ſummam complexi ſumus, & quantum facultas tulit, timoris & amoris affectus concitauimus, quibus languentes animos ad virtutis amorem, diuiníque numinis metum excitaremus. Et hæc quidem in priori libro, in poſteriori verò, qua ratione eſſet virtus colenda atque exercenda, præſcripſimus.

Illud autem in hoc genere præcipuè admonen-

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EM.

dum videtur, vt bona & mala, commoda & incommoda, quæ in hac cauſa ad ſuadendum vel diſſuadendum adducimus, quantum fieri poſſit, iis rationibus, quas ſupra memoraui, amplificemus. Quò enim maiora ea fecerimus, eò vehementius ſuadebimus.

Illud etiam admonendum, duo eſſe hominum genera, alterum indoctum & agreſte, quod antefert ſemper vtilitatem honeſtati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponit. Apud hunc autem, argumenta quę ducuntur ab honeſto: apud illum verò, quæ ſumuntur ab vtili, fortiora ſunt. Hæc de genere ſuaſorio breuiter dicta ſint.

De ſecundo concionandi modo in genere Demonſtratiuo, qui Sanctorum feſtis & laudibus deſeruit.

Cap. III.

Qvemadmodum concionandi modus, qui proximè à nobis deſcriptus eſt, in genere Suaſorio verſatur: ita qui in feſtis Sanctorum diebus tractatur, ad Demonſtratiuum genus pertinet: quo vtimur in alicuius certæ perſonæ laudem vel vituperationem. Finem autem eius Rhetores ſtatuunt, vt is quem laudant, laude digniſſimus videatur: contrà verò, ſi vituperant. At iuxta D Baſilij ſententiam, laudes Sanctorum nequaquam encomiorum legibus ſeruiunt: nõ enim hæc præcipuè agimus, vt eos ſanctiſſimos fuiſſe doceamus: ſed vt vitam noſtram ad eorum normam effingere ſtudeamus: atque vt hoc argumẽto mirabilem diuini Spiritus vir-

Baſilius

tutem agnoſcamus: qui homines natura fragiles & imbecillos, & in peccatis conceptos ad malúmque propenſos ita permutauit, vt pares propemodum Angelis, ac mundo ſuperiores effecerit. In hoc genere Rhetores per omnes perſonarum circunſtantias (quas ſupra enumerauimus) laudationem ducunt. Genus videlicet, parentes, patriam, naturæ dotes, educationem, fortunam, ſtudia, dicta, facta, & quæ ſunt huius generis, commemorantes atque amplificantes. Hoc autem ferè ordine Diuus Gregorius Thelog. laudes ſcripſit Diui Baſilij, & Cæſarij fratris, atque Gorgoniæ ſororis. Non tamen, dum laudes Sanctorum prædicamus, non vſquequaque hunc ordinem ſequimur: ſola enim ferè inſignia facta, dictáque, & interdum etiam miracula enumeramus, & quantum poſſumus amplificamus, auditoréſque ad eorum imitationem excitare contendimus.

5 In hoc autem genere, amplificandi ratio præcipuè dominatur: qua, tum ex natura rei & partibus eius, tum ex omnibus aliis circunſtantiis, quæ rebus & perſonis attributæ ſunt, egregia Sanctorum facta dicendo illuſtramus & amplificamus. Sic Apoſtolus ad Romanos ex perſonæ circunſtantiis fidem Abrahæ amplificat his verbis: Et non infirmatus eſt in fide: nec conſiderauit corpus ſuum emortuum (cùm iam ferè centum eſſet annorum) & emortuam vuluam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt facere. Ideò & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Sic Origenes ho. de ſacrificio Iſaac, celerem eius & prōptam obedien-

tiam in re adeò graui & luctuoſa ex omnibus cir-cunſtantiis amplificat. Vt autem quantum in hoc genere virtus amplificandi valeat, apertè doceã, clariſſimum huius rei exemplum ex lib. Senecæ de Tranquillitate vitæ hoc in loco referam: quo is dictũ illud Stilbonis Philoſophi (Omnia bona mea mecum porto) re primùm expoſita, his verbis amplificat.

Seneca.

Megaram Demetrius ceperat, cui cognomen Poliocetes fuit: ab hoc Stilbõ Philoſophus interrogatus, num quid perdidiſſet: Nihil, inquit, Omnia nanque mea mecum ſunt. Atqui & patrimonium eius in prædam ceſſerat, & filias rapuerat hoſtis, & patriam violauerat. At is victoriam illi excuſſit: & ſe vrbe capta, non inuictum tantùm, ſed indemnem eſſe teſtatus eſt. Habebat ergo ſecum vera bona: in quæ non eſt manus iniectio. At quæ diſſipata & direpta ferebantur, non iudicabat ſua, ſed aduentitia, & nutum fortunæ ſequentia: ideò non, vt propria dilexerat. Omnium enim extrinſecus affluentium lubrica & incerta poſſeſſio eſt. Cogita nunc, an huic fur, an calumniator, an vicinus potens, aut diues aliquis facere iniuriam poſſet: cui bellum & hoſtis ille, egregiam artem quaſſandarum vrbium profeſſus, eripere nihil potuit. Inter micantes vbique gladios, & militarem in rapinam tumultum, inter flammas & ſanguinem, ſtragémque impulſæ ciuitatis, inter fragorem templorum ſuper Deos ſuos cadẽtium, vni homini pax fuit. Non eſt itaque quod audax iudices promiſſum, cuius tibi, ſi parum fidei habes, ſponſorem dabo. Vix enim credis tantum firmitatis in hominem, aut tantam animi magnitudinem cadere: ſed ſi prodit in medium qui dicat, Non eſt quod du-

bites, an attollere ſe homo natus ſupra humana poſſit, an dolores, damna, vlcerationes, vulnera, magnos motus rerum circa ſe frementium, ſecurus aſpiciat: & dura placidè ferat, & ſecũda moderatè, nec illis cedens, nec his fretus, vnus idemque inter diuerſa ſit, nec quicquam ſuum, niſi ſe putet eſſe, ea quoque parte, qua melior eſt. En adſum hoc vobis probaturus: ſub iſto tot ciuitatum euerſore, munimenta incurſu arietis labefieri, & turrium altitudinem cuniculis ac latentibus foſſis repentè reſidere, & æquaturum editiſſimas arces aggerẽ creſcere: at nulla machinamenta poſſe reperiri, quæ bene fundatum animum agitent. Eripui me nudum domo, & incendiis vndique relucentibus, per flammas, per ſanguinũ fugi. Filias meas quis caſus habeat, an peior publico, neſcio. Solus, & ſenior, & hoſtilia circa me omnia videns, tamen integrum incolumenque eſſe cenſum meum profiteor, teneo, habeo quicquid mei habui. Non eſt quod me vi(c)tum, victorem te credas. Vicit fortuna tua fortunam meam. Caduca illa, & dominum mutantia vbi ſint, neſcio. Quod ad res meas pertinet, mecum ſunt, mecum erunt. Perdiderunt iſti diuites patrimonia: libidinoſi amores ſuos, & magno pudoris impendio dilecta ſcorta. Ambitioſi curiam & forum, & loca exercendis in publico vitiis deſtinata. Fœneratores perdiderunt tabellas ſuas, quibus auaritia ſalſo læta, diuitias imaginatur. Ego itaque omnia integra illibataque habeo. Proinde iſtos interroga, qui flent, qui lamentantur, qui ſtrictis gladiis nuda pro pecunia corpora opponũt, qui hoſtem onerato ſinu fugiunt. Ergo ita habe Serene perfectum illum virum humanis diuiniſq; virtutibus plenũ,

Sermocinatio.

Redit ad amicum cui ſcribebat.

nihil perdere. Bona eius ſolidis & inſuperabilibus munimentis præcincta ſunt. Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander intrauit. Non Carthaginis, aut Numantiæ mœnia, vna manu capta: Nō Capitoliū arcémue. Patent illa hoſtili veſtigio: illa, quæ ſapientem tuentur, à flamma & incurſu tuta ſunt: nullum introitum prębent: excelſa, inexpugnabilia, Dijs æqua. Nō eſt, quod dicas, ita vt ſolet, hunc ſapientem noſtrum nuſquam inueniri. Non enim ingentem imaginem falſæ virtutis concipimus: ſed qualem confirmamus, exhibuimus & exhibemus. Rarò forſitan, magníſque ætatum interuallis inuenitur. Nec enim magna & excedentia ſolitum ac vulgarem modum crebro gignūtur. Non poteſt ergo quiſquam aut nocere ſapienti, aut prodeſſe: quemadmodum diuina nec iuuari deſiderant, nec lædi poſſunt. Sapiens autem vicinus proximusque Diis conſiſtit: excepta mortalitate, ſimilis Deo. Hactenus Seneca. quem in medium protūli, vt propoſito hoc exemplo ſtudioſus cōcionator animaduerteret, qua ratione egregia Sanctorum facta dictaque amplificare dicendo poſſit: cùm videat hanc vnam vocem, Omnia mea bona mecum porto, tam longa oratione à Seneca fuiſſe verbis & ſententiis illuſtratam. quod ſi hæc egregia hominum facta adeò magnificis verbis & ſententiis Seneca extulit, quid is faceret, ſi agones & certamina noſtrorum Martyrum & puellarum ſcripſiſſet, quæ ſpectaculum admirandum Deo. Angelis, & hominibus præbuerunt? Si quis autem commodiſſima huius amplificationis exempla videre cupit, legat ſecundū & tertium D. Chryſoſt. de diuina prouidentia librum: in quo is Noë, Abrahæ,

Iacob, Moyſi, atque Dauidis patientiam, varioſque labores mira facundia amplificat. Quibus exemplis ad hanc, de qua loquimur, virtutẽ erudiri poterit.

I.

Quæret fortaſſe ſtudioſus concionator, qua ratione præclaras Martyrum cæterorumq; Sanctorum virtutes amplificare ſimili ratione poſſit. Ad hoc igitur nonnihil iuuabit præcepta & amplificandi rationes, quas libro 3. præſcripſimus, probè tenere: deinde deſertiſſimorum Patrum ſcripta, qui in hoc genere magna cum laude verſati ſunt, ſtudioſè legere: & quibus illi rationibus Sanctorum virtutes extulerunt, diligẽter annotare: & ad eorum imitationem, quæ laudare voluerint, effingere. Exemplis enim multò magis, quàm præceptis animaduertere poterit, quid in genere maximè deceat.

Sed hæc omnia leuiora ſunt, niſi adſit Spiritus ille cæleſtis, de quo Apoſtolus ait: Non autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis: hoc eſt vt eius lumine illuſtrati, virtutum atque donorum eius dignitatem atque amplitudinem æſtimare ſciamus. Si enim nemo ſine arte aurum purum ab adulterino diſcernere, & lapillorum atq; gemmarum pretium & dignitatem (pręſertim cùm in puluere atque luto ſordent) agnoſcere poteſt: quis ſine diuino lumine diuina dona (quæ exuperãt omnem ſenſum) pro dignitate æſtimare & admirari queat? Regina Saba, cùm Salomonis regiam, & famulorum, atque pincętnarum, & cantorum ordines, veſtes, & officia, ac poſtemò regiæ domus apparatum vidiſſet, rerum magnitudine atque

ſplendore ſtupefacta, non habuiſſe vltrà ſpiritum dicitur. Si quis autem eos mentis oculos haberet, quibus veri Salomonis opes, hoc eſt, imperueſtigabiles diuitias Chriſti, & famulorum eius virtutes, & clariſſima geſta intueri poſſet, non dubiem, quin multò magis, quàm Regina Saba in admirationem extaſimq; raperetur. Nõ tamen eſt omnium, hoc oculos habere, quibus latentem Chriſti & Eccleſiæ ſuæ ſplendorẽ cernere poſſint: cùm omnis eius gloria ab intra ſit
Cãt.5. fimbriis aureis. Ipſa enim Eccleſia de ſe ait: Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem. Exterius quidẽ nigra, intus autem miro decoris ſplendore coruſcans. Quonam modo? Sicut, inquit, tabernacula Cedar, & ſicut pelles Salomonis. Hæc nãque tabernacula atque Salomonis pelles extra quidem pũluere deformatæ, atque Solis ardorẽ exuſtæ erant: intus tamen regio cultu atque apparatu ſplendebant. Quid autem magis ad viuũ Eccleſiæ ornatum exprimere potuit, quæ cùm extra in ſanctis martyribus cæteriſque diuinis hominibus (atque ijs præſertim, qui in ſolitudinibus vitam in opem agebant) vilis atq; ſubiecta carnalium hominũ oculis appareret, ſupernis tamen mentibus ſplendore & dignitate virtutum ita fulgebat, vt ſpectatores ſuos in ſtuporem atque admirationem rapere? Quis enim non ſtupeat, audiens Paulum dicentem: Si immolor ſupra ſacrificium fidei veſtræ, in hoc gaudeo, & congratulor omnibus vobis: idipſum vos congaudere & congratulamini mihi? Quis vmquam talem gaudij & congratulationis materiam audiuit? quis nõ ſtupeat Andream crucem ſibi paratam tanta deuotionis alacritate ſalutantem, laudantem, & deſiderantem, tantóque gaudio & ſecuri-

ſecuritate amplectẽtem? Quis non ſtupeat Laurentium inter tormentorum ſuorum flammas lætantem, & Vincentium moras carnificum increpantem, & B.P. Dominicum auidiſſimè martyrium ſitientem, & omnia corporis ſui membra diſſecari cupientem? Quid Agnetem Virginem commemorem, tertiodecimo ætatis anno ignes & gladios ſuperantem? Quid nobilem Virginem Eufemiã, rotas, ignes, & beſtias vincentem, & iniuriam ſe à iudice pati clamantem, quòd cum nobilis eſſet, ignobiliores ſibi in martyrio præferret? Atque vt à Martyribus ad Confeſſores veniamus, quis beatum Alexium in ipſa paterna domo, patre, matre, ſponsáque præſentibus, eiúſque abſentiam perpetuo luctu lamentantibus, vitam adeò inopem & aſperam inter multas ſeruorum ſuorum iniurias, annis decem & octo patientiſſimè vſq; ad mortem toleraſſe, non obſtupeſcat? Quis non diuinæ gratiæ potentiam agnoſcat, qui nouerit Eduardum Angliæ Regem ab adoleſcentia ſua ad extremum vſque vitæ diem, cum nobiliſſima & pulcherrima Virgine matrimonio ſibi copulata, in perpetua caſtitate vixiſſe: cum neceſſe eſſet illi conuiuere, & cum ea perpetuò verſari, & communi domo atque menſa vti?

Miracula verò Sanctorum multi prædicanda non putant, quòd illorum cõmemoratione magis Diuorum ſanctitas declaretur, quam auditorum vita inſtituatur. Ego verò ex eorum narratione immenſam Dei noſtri bonitatem, & inæſtimabilem in ſuos charitatem, fidem, paternam curam, & prouidentiam, hac ratione maximè declarari poſſe video: vtpote qui eos tanto honore proſequutus ſit, vt non modò ipſorum

bonitatis & charitatis opes paterna illa cura & prouidētia declarat, quàm fideliſſimus & amantiſſimus Dominus in martyrum ſuorum certaminibus oſtendit. Nam præter inſuperabilem conſtantiam, quam illis ad tam immania ſupplicia perferenda contulit, admirandis eos fauoribus, cæleſtibúſq; ſignis, & miraculis in tormētis reficiebat & conſolabatur. Ignes frequenter extinguebat, immanes beſtias mitigabat, rotas ferreas confringebat, feruentem apidem refrigerabat, vulnera eorum ſanabat, defluentem ex vulneribus ſanguinem Angelorum manibus abſtergebat, truncata membra redintegrabat, in carcere poſitos viſitabat, inediaque mace ratos cæleſti cibo reficiebàt. Quibus rebus adeò in fidei veritate confirmabantur, vt non modo ipſi in ea ſtabiles & inconcuſſi perdurarent, ſed infideles etiam ad fidem, miraculorum teſtimonio cōuerterent, & ad martyrium excitarent. Quis igitur his indicijs nō apertè immenſas illas diuinæ bonitatis diuitias, & pleniſſima charitatis & miſericordiæ in ſuos viſcera non agnoſcat? quis non talem Deum flagrantiſſimæ dilectionis ardore proſequatur? quis propter illius gloriam millies in tormentis vitam abijcere non concupiſcat? O fideliſſime piorum amice? ô verè adiutor in opportunitatibus & in tribulatione? Hanc autem paternam in ſuos curam & prouidentiam Sapiēs ille declarauit, cùm de increata ſapientia loquēs ait: Hæc venditum iuſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus tutauit illum: deſcenditq; cū illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi ſceptrum regni, &c. Quiſquis igitur Spiritus ſancti magiſterio doctus, harum rerum non modò intellectum, ſed etiam ſenſum

acceperit is vtique præclara ſanctorũ geſta & miracula dignis poterit efferre præconijs, atque his argumentis & exemplis ad diuinæ bonitatis cognitionem pariter & amorem auditorũ animos poterit excitare.

Hæ ſunt igitur (vt ad inſtitutum redeam) veri Salomonis noſtri opes, hæ imperueſtigabiles diuitiæ Chriſti, hæc illa virtus, ſiue (vt alij verterunt) potentia Euangelij in ſalutem omni credenti, quæ hominem mundo, ſeipſo, atque natura ſuperiorem facit.

Hinc etiam licebit diuinæ gratiæ vim & potentiam vehementer admirari: quæ hanc tantam vim, tantámq; puritatem mortali & fragili creaturæ contulit. Hinc etiam licebit cæcitatem & amentiam eorum hominum accuſare, qui laboris ac difficultatis metu, virtutis iter, tanquam aſperum ac difficile ingredi detrectant: cùm tamen diuinæ gratiæ & charitatis virtus non modò diuinorum mandatorũ obedientiam, ſed cruces etiam & ignes iucũdiſſimos faciat. Hinc etiã licebit deſides ac torpentes acriter obiurgare, qui non præſtent leuiora, cùm tamen Sancti omnes ex eadẽ maſſa procreati, eodemque modo in peccatis concepti, tanto maiora præſtiterint. Quiſquis igitur eam mentem atque ſpiritum Domini beneficio nactus fuerit, vt hæc tam magnifica Spiritus Sancti dona, æqua lance, iuſtiſque ponderibus librare ſciat, is planè, quem ipſe affectum conceperit, in auditorum animos transferre dicendo poterit, atque ita demum Sanctorum virtutes meritis poterit efferre præconijs. Quia verò pauci admodum ſunt, quibus hæc felicitas contingit, nulli ſermones concionatoribus moleſtiores ac difficiliores ſunt

quàm qui de Sanctorum laudibus habẽtur. Quiſquis autem hoc præſtare minus poterit, habet ſanè parentum in promptu remedium: nempe, vt Euangelicã lectionem, quæ eo die legitur, more ſolito explanet, & inſignes Sancti virtutes vel ipſi explanationi (vbi locus admonuerit) admiſceat, vel in extrema concion s parte proponat. Eſt autem contentio demonſtratiua, qua vel perſonam cum perſona, vel rem cum re laudis aut vituperationis gratia conferimus: de qua ſequẽti libro inter ſententiarum figuras diſſeremus.

Tertius concinandi modus, qui lectionis Euangelicæ enarrationem continet.

Cap. IV.

EST etiam tertius concionandi modus, idemque in vſu frequentiſſimus, qui in Euangelicæ lectionis explanatione verſatur. Quomodo autem Eccleſiaſtes in hoc concionum genere ſe gerere debeat, paucis expediam.

Principiò, Euangelica lectio ante eius explanationem breuiter recitanda eſt: ea tamen breuitate, quæ venuſtate & ſermonis elegantia non careat. Non enim ea ieiuna & arida eſſe debet (quod quidnam nimis iniucundè faciũt) ſed ſuo quodam ornatu perpolita. Paraphraſten quippe concionator magis, quàm interpretem hac in re agere debet. Ea enim, quæ Sancti Euangeliſtæ breui atq; ſimplici oratione tradiderũt, ipſe paulò fuſius narrare curabit. Nec hoc tamen perpetuò faciendum eſt: præſertim cùm Euangelica lectio ſolito longior extiterit (qualis Lazari quatriduani & Samaritanæ hiſtoria eſt) aut etiam cùm commodius videbitur, eam cum ipſa ſimul

explanatione coniungere. Quod concionatoris iudicio relinquitur. Neque enim hæc, quæ dicimus, plebiſcita ſunt ære inciſa, vt non aliter facere liceat, cum id videbitur commodius.

Sacra verò lectione breuiter expoſita, ſequatur eiuſdem explanatio. Antequam nō ab re fuerit, ab aliqua ſententia, vel communi loco ordiri, quæ propoſito quadret, & in ea paululum immorari: atque ita demum ad id, quod initio explanationis dicturi ſumus, inclinare. Erit autem operæ pretium, ante Euangelicæ lectionis explanationem vel narrationem, quid illam in contextu Euangelicæ hiſtoriæ præceſſerit, indicare: quando videlicet ea, quæ ſequuntur, ab antecedentibus pendeant. Sic, cùm ſacram illam lectionem explicamus, Caro mea verè eſt cibus, &c. exordium à miraculo quinque panum capiendum eſt: quo cùm Dominus Iudæos ad fidem inducere vellet, ipſique cōtra ſignū tale ab eo flagitarent (quale fuit Manna Patribus in deſerto exhibitum) hac occaſione ſumpta, quanto nobiliorem panem cibúmq; eſſet ipſe mundo præſtiturus, differere cœpit: qui non corpoream & temporariam, ſed æternam eſſet hominibus vitam largiturus. Sic etiam parabola illa de patrefamilias operarios ad vineæ ſuæ culturam vocante, ab ea Petri interrogatione pendet, qua de præmio, ijs, qui omnia propter Deum reliquerunt, propoſito inquirit: cui Dominus, poſt præmij huius magnitudinem expoſitam, de varijs præmiandi rationibus, partim ex diuina iuſtitia, partim ex gratia in parabola propoſita, diſſerit. Hoc igitur exordium breuiter abſoluamus, ne tempus explanationi Euangelicæ deſtinatum, hac occaſione ſubtrahatur. Qua in re dupliciter

à multis peccatur, qui & maximam concionis partem in hac connexione inſumunt: & cùm nō eſt neceſſe, ſequentibus antecedētia connectūt. Sic enim multi communia quædam concionandi decreta ſibi propoſuerunt, vt quod in vna cōcione decet, in omnibus decere credant: & quod ſemel faciendum eſſe ſtatuunt, vbique eſſe faciēdum arbitrentur.

Eſt & aliud exordij genus, quo nonnunquam vti debemus, vt auditorum animos ad audiendum præparemus. Quicquid enim impedimento eſt, quo minus auditores vel moueātur, vel perſuadeantur, initio dictionis amouēdum eſt. Vehementer autem concionum fructum impedit, quòd multi magis cōſuetudine ducti, quàm ſtudio proficiendi concionibus interſunt: alij verò curioſitatis affectu, alij negligenter & oſcitanter concionem audientes, vacui atque ieiuni à concione redeunt. Cōmodum igitur erit, huiuſmodi impedimenta, cæteraque his ſimilia initio dicendi amouere, ſummúmq; eorum, qui ſic audiunt, periculum explicare. Cùm enim malorum noſtrorum remedia in diuinorum eloquiorum medela poſita ſit, quæ ſpes reliqua erit ægroto, cui toties adhibita hæc medicina nihil profuit? Hoc igitur triplici principio in huiuſmodi concionibus vti licebit. Iudicio autem concionatoris relinquitur, quando hoc aut illo principio vtendum ſit. Hoc enim ſolùm in hac diſciplina perpetuum eſt, quòd nihil perpetuò fieri debeat; ſed pro ratione Euangeliorum, temporum, & auditorum, omnia dicentis conſilio varianda ſunt.

Porrò autem in ipſa Euangelij explicatione hæc admonenda eſſe duco. Primùm, vt tria ſo-

lùm, vel quatuor, aut ad ſummum quinque loca ſibi tractāda Eccleſiaſtes proponat. Si enim plura his fuerint, oratio ſæpè interciſa erit, cùm frequenter dicendi impetum deponere atque refrigerare neceſſe ſit, ac denuò nouū exordium atque ſpiritum reſumere. Adde etiam, quòd cùm præcipuum Concionatoris munus ſit, affectus commouere: hos autem niſi re iam probata aut amplificata excitare nequeat, efficitur ſanè, vt quanto probatio ipſa & amplificatio longior atque vehementior fuerit, tanto affectus acriores concitari poſſint. Quiſquis ergo pauciora loca tractare conſtituit, habet vtique longiora ſpatia, quibus & res copioſius probare & amplificare, atq; ita affectus vehementiores accēdere queat. Qua commoditate caret, qui multa Euangelicæ lectionis loca vnius horæ ſpatio (quod nobis ad dicendum datur) tractare decreuit. Ingens nāque flamma ex magna lignorum materia, parua autē ex tenui excitari ſolet. Si enim (vt Sapiens ille ait) ſecundum ligna ſyluæ, ſic exardeſcit ignis, conſultius eſt pauciora loca copioſè digerere, quàm multa breuiter ieiuna oratione percurrere.

Deinde illud admonendum, ne in ipſa explanatione (quod multi faciunt) vim ſcripturis faciamus: ne germanum ſenſum vel adulteremus, vel violenter detorqueamus: ſed id aſſumamus, quod Scriptura ſponte ſua vigilāti atq; ſtudioſo lectori offert: & ea potiſſimum diligamus, quæ non curioſitati, aut otioſæ ſubtilitati ſeruant, ſed quæ ad mores componendos, & obiurganda vitia plurimùm valeant.

Cæterùm, quas ſentētias ex ſacra lectione depromſerit, alijs ſcripturarum & SS. Patrū te-

ſtimonijs ſtudeat confirmare. Vt enim D. Hier. ait: Sermo presbyteri ſcripturarum ſale cōditus eſſe debet. In locis autem ſcripturarum adducēdis, quatuor hæc mihi obſeruanda videntur. Primùm, vt, quatenus fieri poſſit, ne ſint nimiū trita atq; vulgata, & cuilibet paſſim obuia (niſi ea inſigni aliqua expoſitione illuſtrentur) ſed reconditiora, & minus trita loca adducenda: qualia multa ſunt, quæ in prophetarum & Sapientiæ libris continentur: quæ nouitate ſua & dicentium & audientiū animos alliciant. Deinde in his locis afferendis modus adhibēdus eſt: ne videlicet quicquid nobis occurrerit, propriæ inuentionis amore illecti (quod multis ſanè contingit) protinus arripiamus: Sed cōmodiſſima quæq; & minus cuiq; obuia eligamus. Præterea illud etiam videndum, ne rem per ſe ſatis apertam, aut iam probatā, teſtimonijs non neceſſarijs oneremus. Quod quidam faciunt, oſtentādæ magis memoriæ, aut eruditionis, quàm neceſſitatis cauſa. Deinde id etiam prouidendum, vt quas ſententias vel ex litteris ſanctis, vel ex patrib. attulerimus, ſic interpretemur, vt fide & integritate ſententiæ cōſeruata, cum quadam venuſtate, & ſermonis noſtri proprietate ita reddamus, vt nō ex Latina lingua tranſlatæ, ſed in noſtra natæ eſſe videātur. Dupliciter enim hac in re multi peccāt. Quidam enim ſic Latina vertunt, vt Latini ſermonis idiomata ſeruent: atque ita magnam ſententijs gratiam adimunt. Cùm enim vnaquæq; lingua ſua habeat idiomata, proprietateſq; loquendi, optimi interpretis eſt, Latini ſermonis idiomata, in alterius linguæ idiomata, quæ tantundē valeant, conuertere. Alij verò, vt hoc crimen effugiāt, ineptè rhetoricantur, nimiáq; ver-

Ad Nepotianum.

borum copia luxuriantes, nec allatæ ſententiæ grauitatem, nec veritatem conſeruant.

Cæterùm, vt de elocutione aliquid hoc loco dicam, eſt planè methodus valdè accõmodata, ad multa lectionis Euangelicæ loco explicanda: ſi ea ſub quæſtionis, aut dubitationis figura proponamus. Exempli gratia. In Euangelio de Regulo ſalutem filio petẽte, quæri primùm poteſt, cur Dominus illum infidelitatis arguat: cùm fidem habere videretur, qui ſalutem filio petebat: neque enim ſalutem ab eo peteret, quem non crederet ſaluatorem. Deinde, cur Principi, qui ſimili ratione ſalutem filiæ petebat, nihil tale dixit; imò cum eo perrexit, & in ipſo itinere in fide nutantem benignè confirmauit: cùm tamen & acriter Regulum corripuerit, & cum eo ire noluerit. Item, cur in Centurionis domum (qui ſalutem ſeruo petebat) ire ſponte ſua non rogatus voluit: in domum verò Reguli rogatus etiam ire noluit. Vnaquæq; harum quæſtionum adhibitis dubitandi rationibus proponenda eſt. Deinde verò reſponſio eius aſſignanda, ſimiliq; modo confirmanda, & ad vtilitatem auditorum accommodanda eſt. Quidquid enim in concione dialogi formam prætefert (præterquam quod attentionem dubitatione ipſa excitat) ad pronunciationis varietatem plurimum conducit. Vnde Diuus Chryſoſtomus tractandorum animorum artifex peritiſſimus, crebris ſæpè interrogatiunculis dormientem excitat auditorem.

Poſtremò illud etiam admonendum eſt, vt cùm aliquod ſcripturæ teſtimoniũ citamus, nequaquam ſola eius interpretatione, quæ vulgari ſermone fit, contenti ſimus: quod multi faciunt,

qui totidem verbis Latina patrio ſermone reddunt. Danda enim opera eſt, vt aliquid in teſtimonio adducto obſeruatione dignum ponderemus. Quod fit, quādo vel emphaſim, quæ in vno aliquo verbo latet, explicamus, vel metaphorā aliquam excutimus. Eſt enim metaphora omnis in arctum contracta ſimilitudo: ideoq; per illam explicanda eſt. Interdum etiam ſententiam breuiter comprehenſam dilatamus, aut amplificamus. Ad quod, dilatandi atque amplificandi rationes (quæ ſuperius à nobis expoſitæ ſunt) iuuare poterunt. Hoc ſatis ſit breuiter monuiſſe. Plena quippe huius rei cognitio, totius vitæ ſtudio comparatur. Hoc enim præcipuè agimus, cum ſacris literis operam damus. Nec enim earundem intelligentia contenri ſumus: ſed ea etiā ponderamus, quæ aliquid obſeruatione dignum continent. Hæc autem admonitio in ijs ſcripturarum teſtimonijs locum non habet, quæ ad myſticam nominum interpretationem pertinent: vt cum aquæ nomine diuinam gratiam & ſapiētiam ſignificari, vel calicis nomine ſortem, quæ cuique obtigit, aut olei vocabulo miſericordiam intelligi debere dicimus. In his enim ſatis eſt, vocis ſignificationem ex alio loco breuiter indicaſſe.

Quartus concionandi modus ex ſuperioribus mixtus.

Cap. V.

Eſt autem quartus concionandi modus ex his, quæ diximus, tēperatus, ac D. Chryſ. valde familiaris: cuius ſunt duæ præcipuæ partes: quarum altera Euangelicæ lectionis explanationē cōtinet: altera in hoc genere Suaſorio

vel Diſſuaſorio verſatur: in quo vir ſanctus cõmunia virtutum & vitiorum loca tractare ſolet: in quibus vel ad aliquam virtutis actionem adhortatur, vel ab aliquo vitio deterret: vtriuſque rei bona mala, commoda & incommoda enumerans & amplificans. qua de re nihil eſt ſingulare ac propriũ, quod in hoc genere præcipi debeat. Cùm enim hic concionãdi modus ex duobus ſuperioribus conflatus ſit, quid in toto fieri debeat, ex partium doctrina, è quibus totum cõſtat, intelligi facilè poteſt. In quo tamen genere periculum eſt, ne dum vtrique parti ſatisfacere volumus, plus iuſto lõgiores in concione ſimus. Quæ res magnopere concionatoribus fugienda eſt: ne, dum auditores tædio afficimus, omnium, quæ rectè digna ſunt, gratiam & fructum amittamus: cùm fatigatus auditor, neque quid dicas, attendit, & eorum, quæ audiuit, ſuauitatem ac memoriam perdit.

His ita conſtitutis, non erit alienum hos quatuor concionandi modos inter ſe conferre, vt cuiuſque ipſorum ratio, dignitas, atque vtilitas intelligatur. Et quidem hi omnes, & quicũque alij reperiãtur, ad tria mihi capita reuocari poſſe videntur. Primus quidem ſimplex appellari poteſt, cum vnum aliquod argumentum, ſiue in genere Suaſorio, ſiue in Demonſtratiuo tractatur: in Suaſorio, cùm ad vnam aliquam virtutẽ hortamur, aut ab aliquo ſcelere dehortamur: quod facit D. Cyprianus in ſermone de patientia, de eleemoſyna, de mortalitate, de inuidia: idemque nõ rarò cæteri quoque Patres. In Demonſtratiuo autem, cùm totus ſermo alicuius Sancti virtutes, & egregia facta, atque inſignia miracula prædicat & amplificat: quod ijdẽ ſæpè

faciunt. Secundus verò modus Euangelicam lectionem explanat: in qua varia moralis vitæ documẽta & argumenta, vt cuiuſque loci ratio exigit, explicantur. Quod genus concionandi ſancti quoque Patres frequenter ſecuti ſunt. Quocirca nemo ex his duobus concionandi modis alterum ita probare debet, vt alterum deprimat: quandò vterque veteribus Patribus in vſu fuerit: nemóque iure reprehendere poteſt, quod eorum exemplo & authoritate defenditur. Hic autem concionandi modus & auditoribus propter rerum varietatem gratus, & propter diuerſa vitæ documenta vtilis, & cõcionatori quoque facilis admodum eſt. Neque enim ſex illis partibus, quas antea commemorauimus, neque artificioſa argumentorum diſpoſitione eget, cùm lectionis Euãgelicæ ſeriem atque ordinem ſequatur: neque magnam admodum in concionatore eruditionem requirit: cùm nulla tam anguſta ingenij vena ſit, neque tã curta rerum ſupellex, vt non ſingulis explanationis partibus aliquid aliũde ſumat, quòd illas locupletare & illuſtrare queat. Sed hic tamen concionandi modus, vt audienti gratus, & dicenti facilis, ita parum vehemens eſſe videtur. Rerum enim amplificatio & concitatiores affectus cauſam argumentis iã probatam cõſequuntur: tantóque ſunt (vt antea diximus) vehementiores, quantò probatio longior atque firmior eſt. Huiuſmodi autem probationes in Euangeliorũ explanatione lõgiores eſſe nequeunt, quando qui multa (& ea quidem inter ſe diuerſa) vnius horæ ſpatio tractare debet, diutius in vna aliqua re immorari non poteſt: ideóque breuis & ieiuna probatio magnam affectuum vim excitare nõ poterit. Adde etiam,

quod ille docendi ardor atque impetus (in quo tota penè dicēdi vis poſita eſt) frequenter refrigerandus atque interrumpendus eſt. Quoties enim ab vna re ad aliam longè diuerſam tranſitum facimus, toties impetum illum ſubſiſtere & intercidi neceſſe eſt. Neque quiſquā adeò affectuū ſuorum eſt dominus, vt facilè poſſit affectum, quo erat iam permotus, exuere, & nouum illum, qui ex diſſimili rerum natura conſurgit, protinus induere.

Cæterùm, cum vna aliqua res in tota concione tractatur, vt cùm ad dilectionem inimicorū, ad eleemoſynæ, humilitatis, charitatis, & patientiæ ſtudia exhortemur, ardentior oratio eſſe poterit, quòd multiplex argumentorum vis maiorem affectibus concitandis materiam præbeat. Difficilior tamen huius cauſæ tractatio eſt. Primùm, quòd maiorem in concionatore dicendi facultatem, vberioremq; ſententiarū copiam requirat: vt ſatietatem, quæ ex vnius rei tractatione excitatur, rerū varietate & copia vitare poſſit. Hic igitur primus huius operis labor eſt. Proximus verò (& haud ſcio an multo maior) reliquas orationis partes, nempè exordium, diuiſionem, confutationem, & perorationem confirmationi (in qua tota vis cauſæ ſita eſt) aptare & accōmodare. Eſt enim huiuſmodi oratio velut perfectum quoddā corpus, ſuis partibus, & quaſi membris compactum, quæ omnia, tanquam vnius corporis mēbra, cohærere inter ſe, ſibique mutuo reſpondere debent. Hic tamen labor ea ratione, quam diximus, penſatur, quòd huiuſmodi oratio vehementior, & ad permouendos animos accommodatior eſt.

Quòd ſi quis à me requirat, quę ex his cōcio-

nandi modis ſequi potiſſimum debeamus (quãuis non is ſim, qui hoc mihi iudicium arrogare poſſim) tamẽ pro tenuitate ingenij mei, quid cẽſeam, paucis indicabo. Non probo illos, qui vnã duntaxat concionãdi formã ſequuntur, & quod ſemel faciunt, ſemper faciendum eſſe decernũt. Commodius ergo videtur, vt pro rerum natura ac dignitate aut etiam auditorum vtilitate vel neceſſitate nunc hoc, nunc illo concionandi genere vtamur. Aliquando enim tota concio in lectionis Euanglicæ explanatione verſabitur: quandoque verò vnum aliquod argumẽtum in genere diſſuaſorio vel demonſtratiuo perſequetur. Satietas verò, quæ ex vnius rei tractatione gigni poſſe videntur, hac ratione vitabitur, ſi eadem de re varias quæſtiones explicemus. Exempli gratia: Si de charitate dicimus, pars prima de laude & commendatione charitatis: altera verò de his, quæ ad charitatem conſequendam adiuuant: tertia autem de præcipuis charitatis impedimentis (quæ remouenda ſunt) diſputabit. Item de humilitate dicturus, eaſdem partes verſabit, atque itẽ de diuerſis veræ humilitatis gradibus & ſignis differet. Eodem modo de orationis quoque virtute diſputare poterit. Cui argumento illud etiam liberum erit adiungere, vt de præparatione animi ad orandum, déque variis virtutibus, hoc eſt, fide, humilitate, deuotione, ieiunio, & miſericordia (quibus efficax oratio fulcienda atque iuuanda eſt) haberi ſermo poterit: Hac ergo multiplici eiuſdem rei varietate ſatietas atque faſtidium vitari poterit. Hoc autem meum iudicium ſanctorum Patrum authoritate tueri poſſum, quos apertè videmus in vtroque concionandi genere verſatos; ſed inter hos tamẽ

concionandi modos, quartus (quem paulò ante indicauimus) commodiſſimus mihi videtur. Nã & Euangelicam lectionem enarrat, ac deinde vnum aliquod argumentum perſequitur. Hunc enim concionandi modum (vt ante dixi) ſummo illi concionatori D. Chryſoſt. video placuiſſe. Hoc igitur frequentius: alijs verò tum pro natura & conditione rerum, tum pro facultate & ingenio dicentis vti licebit. Neque enim omnibus ingenijs, aut omnibus etiam argumentis eadem conueniunt.

De genere concionis Didaſcalico.
Cap. VI.

EST & aliud concionum genus quod Didaſcalicum appellant: quod docendi gratiâ magis, quàm mouendi adhibetur. Occurrere tamen aliquando ex ſingulari aliqua ratione poteſt (præſertim in aliquibus concionis partibus, quæ hoc exigunt) cùm populus non ſolùm monendus, ſed etiam docendus eſt. Id verò eſt, cùm alicuius rei plenam notitiam atque ſcientiam tradere volumus.

In hoc igitur genere hic ferè ordo ſeruandus erit, vt primùm oſtendamus quid res ſit, deinde qualis ſit, hoc eſt, quas habeat qualitates & affectiones. Tũ cauſas eius & effectus, ac poſtremò eius partes per diuiſionẽ indagemus. Sic de gratiæ natura tractaturus, primùm quæret quid ſit gratia: ſecundò quas habeat proprietates: tum præcipuas eius cauſas & effectus, quos in anima viri iuſti operatur: ac poſtremò gratiæ partes variarum gratiarum diuiſione numerabit ac diſcutiet. Horum exemplorum D. Thom. cæteríque Theolo-

Theologiæ tractatores pleni ſunt: Ariſtoteles verò aliam methodum non admodum huic diſſimilem tradit. Præcipit enim, vt primùm probemus rem eſſe, deinde quid ea ſit, poſtea qualis ſit, ad extremum cur talis ſit. Quo quidem ordine, cùm commodiſſimè quælibet res tractetur, non dubium eſt, quin optimus doctrinæ ordo in eadem retractanda cenſendus eſt. Quanquam non erit neceſſe hæc omnia perſequi, cùm de vno aut pluribus conſtiterit. Ad hos quatuor quaſi gradus reuocantur omnia, quæ de qualibet re quæri poſſunt. Hac enim ratione & rerum effectus, & cauſæ item explicantur: quarum cognitio ſcientiam parit. Ad hunc ergo modum in tractatione cuiuſque virtutis, primùm, An propoſita virtus ſit neceſſaria humanæ perfectioni, necne, diſſeritur. Quod ad quæſtionem, an res ſit, reducitur. Deinde, quænam ſit eius materia, tum obiecta, tum ſubiecta: quod ad quæſtionem naturæ pertinet. Tum quæ ſint virtutis affectiones ac conditiones: quod ad quæſtionem qualitatis perſpicuè ſpectat. Ad extremum, quonam pacto ipſam poſſimus cōſequi: quod ad quartam quæſtionem reuocatur, in qua de cauſis & impedimentis virtutum agitur. Itaque omnia, quæ de vna re diſſerentur, ad illa quatuor reuocantur, eodémque ordine ferè tractantur.

Concionator tamen in hac ipſa tractatione meminiſſe debet, quid potiſſimum inter doctorem & concionatorē interſit. Scholaſticus enim doctor docere ſolùm, & intellectum erudire ſtudet: concionator autem voluntatem mouere, & ad pietatis & iuſtitiæ ſtudium inflammare debet: ideóque omnia ad hunc ſcopum (quatenus fieri poterit) dirigere atque referre conabitur.

De diſpoſitione.

Cap. VII.

DIximus hactenus de inuentione argumẽtorum: reliquum eſt, vt breuiter de ipſorum ordine atque diſpoſitione dicamus. Ordo igitur (quod ad hunc locum attinet) eſt argumentorum inter ſe apta ad perſuaſionem collocatio. Quæ quidem quàm ſit neceſſaria differenti, nemo eſt qui non videat. Vt enim domui conſtruendæ ſatis non eſt lapides & reliquam materiam in aceruum congerere, niſi his diſponendis ac collocandis artificum manus adhibeatur: vtq; milites, quantumlibet fortes ac ſtrenui, niſi periti ducis induſtria formam exercitus accipiant, ad bellum inferendum idonei non ſunt: ſic argumenta ex locis traditis coacta tumultuãtur, nec ad finem adipiſcendum apta ſunt, niſi ad perſuaſionem appoſitè collocentur, ac diſponãtur. Turbati quippe exercitus, ſibiipſis ſunt impedimento: & artus etiam leuiter loco moti, perdunt, quo viguerunt, vſum. Sic oratio carens hac virtute, tumultuetur neceſſe eſt, & ſine rectore fluitet, nec cohæreat ſibi: multa repetat, multa tranſeat, velut nocte in ignotis locis errans: nec initio, nec fine propoſito, caſum potius, quam conſilium ſequatur.

Primus igitur diſpoſitionis ordo eſt, cùm ſequimur eam præceptionem, quam paulò ante expoſuimus: hoc eſt, vt vtamur principio, narratione, diuiſione, confirmatione, confutatione, concluſione: & hunc ordinem quemadmodum præceptum ante eſt, in dicendo ſequemur. Item ex

inſtitutione artis, non modò totas cauſas per orationem, ſed ſingulas quoque argumentationes diſponemus, quemadmodum in ſecundo libro docuimus: id eſt, expoſitionem, rationem, confirmationem rationis, exornationem, complexionem. Hæc igitur duplex diſpoſitio eſt: vna per orationes, altera per argumentationes, ab inſtitutione artis profecta.

In confirmatione autem & confutatione argumentationum diſpoſitionis huiuſmodi conuenit habere: firmiſſimas argumentationes in primis & poſtremis cauſæ partibus collocare: mediocres, & neque vtiles ad dicendum, neque neceſſariæ ad probandum (quæ ſi ſeparatim ac ſingulæ dicantur, infirmæ ſunt: cum cæteris tamen coniunctæ, firmæ & probabiles fiunt) interponi, & in medio collocari oportet. Nam & re narrata ſtatim expectat animus auditoris, ex qua re cauſa confirmari poſſit. Quapropter continuò firmam aliquam oportet inferre argumentationem. Et quoniam nuperrimè dictum facilè memoriæ mandatur, vtile eſt, cùm dicere deſinemus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem.

Eſt & alius doctrinæ ordo, qui in quouis orationis genere ſeruãdus eſt. Primùm enim ea priori loco tractare debemus, quæ ad eorum quæ ſequuntur intelligentiam vel neceſſaria ſunt, vel maiorem illis lucem afferunt. Præterea ſemper à communioribus, ad minus cõmunia: à genere ad ſpeciem: à facilioribus ad difficiliora: à magis notis, ad minus nota procedendum eſt. Ideoque ab effectibus ad eorum cauſas, & ab his, quæ ſenſu cognoſcuntur, ad ea quæ intellectu præuidẽtur, conſurgimus: quòd ea nobis, vt ma-

gis vicina & familiaria, ita magis nota ſunt. Hac enim ratione (vt Apoſtolus ait) inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Hactenus de inuentione ac diſpoſitione ferè coniunctim, quæ tradenda videbantur, expoſuimus: nunc ad elocutionem (quæ præcipua huius artis pars eſt) tranſitum faciemus.

ECCLESIASTICÆ RHETORICÆ, SIVE DE RATIONE concionandi,

LIBER QVINTVS, DE ELOCVTIONE.

PRÆFATIO.

NVnquam putaram, ſtudioſe lector, cùm libellum hunc ſcribere cœpiſſem, vt ad hæc minuta elocutionis præcepta deſcenderē. Sed cùm huius artis inſtitutio ad vnam bene dicendi rationem dirigatur, quæ multis tamen partibus & virtutibus cōſtat, ita omnes inter ſe cohærent & colligatæ ſunt, vt vix vna aliqua citra aliarum cognitionē intelligi perfectè poſſit. Quocirca ne mutila & manca admonitio noſtra relinqueretur, néue ſtudioſus concionator, per varias Rhetorum officinas & perplexa eorum documenta vagaretur, quæ propoſito noſtro maximè neceſſaria viſa ſunt, quàm potui di-

lucidè atque recto ordine collegi, eaque perſpicuitatis gratia plurimis D. Cypriani exemplis, qui omnium orthodoxorum Patrum eloquentiſſimus & ornatiſſimus in dicẽdo eſt, illuſtranda curaui. Sicut Rhetores vnius Ciceronis exempla ad omnia dicendi præcepta & ornamenta illuſtranda ſufficere credunt: ita ego hunc Chriſtianum Ciceronem ad omnia elocutionis præcepta elucidanda ſatis eſſe arbitror: vt omittam interim; quòd is non ſolùm præceptis explicandis, ſed etiam formandis moribus, & vitæ rectè conſtituendæ ſeruit.

De elocutionis commendatione & qualitate, ex Fabij lib. 8.

Cap. I.

Hinc iam elocutionis rationem tractabimus, partem operis, vt inter omnes oratores conuenit, difficillimam. Nam & Marcus Antonius ait, à ſe diſertos viſos eſſe multos, eloquentem autem neminem. Diſertis, ſatis putat dicere quæ oporteat: ornatè autem dicere, proprium eſſe eloquentiſſimi. Quæ virtutis ſi vſque ad eũ in nullo reperta eſt, ac ne in ipſo quidẽ, aut L. Craſſo, certũ eſt, & in his, & in prioribus eam deſideratam, quia difficillima fuit. Et M. Tullius inuentionem quidem ac diſpoſitionem prudentis hominis putat: eloquentiam, oratoris. Ideoque præcipuè circa partis huius præcepta elaborauit: quòd eum meritò feciſſe, etiam ipſo rei, de qua loquimur, nomine, palàm declaratur. Eloqui enim, hoc eſt, omnia, quæ mẽte conceperis, promere, atque ad audientes per-

ferre: ſine quo ſuperuacua ſunt priora,& ſimilia gladio condito, atque intra vaginam ſuam hærenti. Hoc itaque maximè docetur, hoc nullus niſi arte aſſequi poteſt, huic ſtudium adhibendum, hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic omnis ætas conſumitur, hoc maximè orator oratore præſtantior, hoc genera ipſa dicendi alia alijs potiora. Neque enim Aſiani,aut quocũque alio genere corrupti, res non viderunt, aut eas non collocauerunt: neque quos aridos vocamus, ſtulti aut in cauſis cæci fuerunt: ſed his iudicium in eloquendo ac modus, illis vires defuerunt: vt appareat in hoc & vitium, & virtutem eſſe dicendi. Non ideo tamen ſola eſt agenda cura verborum. Occurram enim neceſſe eſt, & velut in veſtibulo protinus apprehenſuris hanc confeſſionem meam, reſiſtam his, qui omiſſa rerum, qui neruí ſunt in cauſis, diligentia, quodam inani circa voces ſtudio ſeneſcunt: idque faciunt gratia decoris, quod eſt in dicendo mea quidem opinione pulcherrimum:ſed cùm ſequitur, non cùm affectatur. Corpora ſana, & integri ſanguinis,& exercitatione firmata, ex ijſdẽ his ſpeciem accipiunt, ex quibus vires. Nanque & colorata, & aſtricta, & lacertis expreſſa ſunt: ſed eadem, ſi quis vulſa atque fucata muliebriter comat, fœdiſſima ſunt ipſo formæ labore. Et cultus cõceſſus atque magnificus addit hominibus (vt Græco verſu teſtatum eſt) autoritatem. At muliebris & luxurioſus, non corpus exornat, ſed detegit mentem. Similiter illa tranſlucida, & verſicolor quorundam elocutio res ipſas effœminat, quæ illo verborum habitu veſtiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo eſſe ſolicitudinem: nam plerunque optimè rebus cohærent, & cernun-

tur ſuo lumine. At nos quærimus illa, tanquam lateant ſemper, ſeque ſubducant. Ita nunquam putamus circa id eſſe, de quo dicendum eſt, ſed ex alijs locis petimus, & inuentis vim afferimus. Maiore animo aggredienda eloquentia eſt: quæ ſi toto corpore valet, vngues polire, & capillum reponere, non exiſtimabit ad curam ſuam pertinere. Sed euenit plerunque, vt hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primùm, quia ſunt optima, minimè accerſita, & ſimplicibus, atque ab ipſa veritate profectis ſimilia: nam illa, quæ curam fatentur, & ficta atque compoſita videri etiam volunt, nec gratiam conſequuntur, & fidem amittunt, propter id quod ſenſus obumbrant, & velut læto gramine ſata ſtrangulant. Nam & quod rectè dici poteſt, circumimus amore verborum: & quod ſatis dictum eſt, repetimus: & quod vno verbo patuit, pluribus oneramus: & pleraque ſignificare melius putamus, quàm dicere. Quid? quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur diſertũ, quod & alius dixiſſet? A corruptiſſimo quoque Poëtarum, figuras ſeu tranſlationes mutuamur: tum demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad intelligendum nos opus ſit ingenio. Atqui ſatis apertè Cicero præceperat, in dicendo vitium vel maximum eſſe, à vulgari genere orationis, atque conſuetudine communi abhorrere. Sed ille durus atque ineruditus, nos melius, quibus ſordent omnia, quæ natura dictauit: qui non ornamenta quærimus, ſed lenocinia. Quaſi verò ſit vlla verborum, niſi rei cohærentium virtus; quæ vt propria ſint, dilucida, & ornata, & aptè collocentur, ſi tota vita laborandum eſt, omnis ſtudiorum fructus amiſſus eſt. Atque

pleroſque videas hærentes circa ſingula, & dum inueniunt, & dum inuenta ponderant, ac dimetiuntur. Quæ ſi idcirco fierent, vt ſemper optimis vteremur, abominanda tamen hæc infelicitas erat, quæ & curſum dicendi refrænat, & calorem cogitationis extinguit mora & diffidentia. Miſer enim, & (vt ſic dicam) pauper orator eſt, qui nullum verbum æquo animo perdére poteſt. Sed ne perdet quidem, qui rationem loquendi primùm cognouerit, tum lectione multa & idonea, copioſam ſibi verborum ſuppellectilem compararit, & huic adhibuerit artem collocandi: deinde hæc omnia exercitatione plurima roborarit: vt ſemper in promptu ſint, & ante oculos. Nanque & hoc qui fecerit, ei res cum nominibus ſuis occurrent. Sed opus eſt ſtudio præcedente, & acquiſita facultate, & quaſi repoſita. Nanque iſta quærendi, iudicandi, comparandi anxietas, dum diſcimus adhibenda eſt, non cùm dicimus. Hactenus Fabius. Et paulo inferius idem: In hac igitur cura eſt aliquid ſatis. Cùm enim Latina verba ſignificantia tum aptè ſint collocata, quid amplius laboramus? Quibuſdam tamen nullus finis calũniandi eſt, & cum ſingulis penè ſyllabis commorandi: qui etiam cùm optima ſint reperta, quærũt aliquid, quod ſit maximè antiquum, remotum, inopinatum: nec intelligunt iacere ſenſus in oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quàm maxima, dum ſciamus nihil verborum cauſa eſſe faciendum, cùm verba ipſa rerum gratia ſint reperta: quorum ea ſunt maximè probabilia, quæ ſenſum animi noſtri optimè promunt, atque in animis auditorum, quod volumus, efficiunt. Ea debent præſtare ſine dubio & admirabilem, & iucundam ora-

tionem. Verùm admirabilem, nō ſic, quomodo prodigia miramur: & iucundam orationem, nō deformi voluptate, ſed cum laude ad dignitatem coniuncta. Hactenus Fabius. Hæc in genere de elocutionis qualitate dicta ſint: nunc ad ſingulares eius ſiue partes, ſiue virtutes veniamus. In quibus hunc tenebimus ordinem, vt primo loco virtutes, quæ ad elocutionis rationem pertinent, collocemus: deinde vitia illi cōtraria ſubijciamus.

De quatuor præcipuis elocutionis virtutibus: ac primò de Latinitate.

Cap. II.

Qvatvor præcipuè in elocutione Cicero ſpectanda eſſe ait, nempe vt Latinè, vt perſpicuè, vt ornatè, vt ad id quodcunque agitur, aptè congruētérque dicamus: de quibus eſt nobis ſigillatim hoc libro dicendum.

Primùm igitur eſt, vt oratio Latina ſit atque emendata. Quæ res ad Grāmatici officium præcipuè pertinet: cuius eſt de oratione congrua, & incongrua iudicare. Quod non in Latino ſolùm, aut Græco ſermone, ſed in quouis alio inſpiciendum eſt. Habet enim vnaquæque lingua nō modò ſuas phraſes & idiomata, ſed etiam ſuam ſyntaxim & conſtructionem verborum, qua diſerti in ea lingua vti ſolent: quam etiam ſequi debet, quiſquis caſtè & emendatè loqui deſiderat. Aduerſus autem primam hanc virtutem (quæ aliorum omnium fundamentum eſt) tria vitia numerātur: nempe Barbariſmus, Solœciſmus, & Barbara lexis. Barbariſmus autem in vna dictione cōmittitur, cùm ea verba vſurpamus, quæ apud

eius linguæ peritos,in qua loquimur, non reperiũtur. Solœciſmus vero in oratione locum habet,cùm voces quidem Latinè, ſed malè tamen, hoc eſt, contra artis Grammaticæ præcepta copulantur. Barbara verò lexis barbariſmo affinis eſt: cùm videlicet peregrina dictione vtimur, vt cùm Latina in Hiſpano ſermone, vel Hiſpana in Latino miſcemus. Caſtus enim & proprius ſermo hoc etiam vitare ſtudet. Hic autem non alienum erit, vt quemadmodum peregrina verba, ita etiam phraſes & idiomata peregrina magno ſtudio fugiamus. Quod vitium frequenter etiam in diſertiſſimos viros cadit. Nã in T. Liuio miræ facundiæ viro, putat ineſſe Aſinius Pollio Patauinitatem quandam. quare ſi fieri poteſt (inquit Fabi) & verba omnia, & vox huius alumnum vrbis oleant, vt oratio Romana planè videatur, non ciuitate donata. Quo quidem vitio nonnulli concionatores haud carent: qui patrio ſermone loquentes, Latini aut Hebræi ſermonis phraſes admiſcent. Quod tunc vel maximè faciunt, cùm ſcripturarum, vel SS. Patrum teſtimonia vulgari ſermone reddunt.

De ſecunda elocutionis virtute, videlicet, Perſpicuitate.

CAP. III.

Orationis perſpicuitas, tum in verbis ſingulis, tum in coniunctis, hoc eſt, in contextu orationis diligenter obſeruanda eſt. Prius illud efficiunt propria verba, quibus maxima ſermonis pars conſtare debet. Proprietas tamen ipſa non ſimpliciter accipitur. Primus enim intellectus eſt, ſua cuiuſque rei appellatio,

qua non ſemper vtimur. Nam & obſcœna vitabimus,& ſordida & humilia. Sunt autem humilia infra dignitatem rerum,aut ordinis. Sed ne in his quidem virtus oratoris inſpicitur. At illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo ſolet,vt maximè propriè dictum id ſit, quo nihil inueniri poſſit ſignificantius: vt Cato dixit, C. Cæſarem ad euertendam Rempu. ſobrium acceſſiſſe: Annibalem quoque dirum; & acrem tibiam hoc modo dicimus. Et ea quoq; quæ bene tranſlata ſunt, propria dici ſolent. Poſſunt videri verba, quæ plus ſignificant, quàm eloquuntur, in parte ponenda perſpicuitatis:intellectum enim adiuuant. Quod facit emphaſis,de qua ſuo loco dicemus: Plus tamen eſt obſcuritatis in contextu & continuatione ſermonis,& plures modi. Quare nec ſit tam longus ſermo, vt eum proſequi non poſſit intentio: nec traiectione tam tardus, vt in hyperbaton finis eius differatur. Vitanda etiam ambiguitas, non hæc ſolùm, quæ incertum intellectum facit, vt Chremetem audiui percuſſiſſe Demeam: ſed illa quoque, quæ etiam ſi turbare non poteſt ſenſum, in idem tamen verborum vitium incidit: vt ſi quis dicat viſum à ſe hominem librum ſcribentem. Nam etiam ſi librum ab homine ſcribi pateat,malè tamen compoſuerat,fecerátque ambiguum quantum in ipſo fuit. Etiam interiectione ſiue Parentheſi: qua & oratores & hiſtorici frequenter vtuntur, vt medio ſermone aliquem inferat ſenſum, impediri ſolet intellectus, niſi quod interponitur,breue eſt.

Eſt etiam in quibuſdam turba inanium verborum: qui dum communē loquendi morē reformidant, ducti ſpecie nitoris, circumeunt omnia

copioſa loquacitate, quæ dicere volunt: ipſam deinde illam ſeriem cum alia ſimili iungentes miſcentéſque, vltra quàm vllus ſpiritus durare poſſit, extendunt.

Alij breuitatis æmuli, neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba: & velut ſatis ſic ſcire ipſos, quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego otioſum ſermonem dixerim, quem auditor ſuo ingenio non intelligit.

Nobis igitur prima ſit virtus Perſpicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longam dilata concluſio, nihil neque deſit, neque ſuperfluat. Ita ſermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Hæc eſt loquendi obſeruatio. Nam rerum perſpicuitas quomodo præſtanda ſit, in præceptis narrationis traditur. Similis autem ratio eſt in omnibus. Nam ſi neque pauciora quàm oportet, neque plura, neque inordinata aut indiſtincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoque audientibus aperta. D. autem Aug. iuxta illud Græcorum adagium: Quantumuis ſtudius dicito, modò clariùs, minus Latinis verbis vti admonet, ſi perſpicua magis fuerint. Sic enim ait: Quid prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis: cùm loquendi omninò nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur, non intelligunt, propter quos vt intelligant loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba quæ non docent. Et ſi pro eis alia integra, quæ intelligantur, poteſt dicere, id magis eliget. Si autem non poteſt, ſiue quia non ſunt, ſiue quia in præſentia non occurrunt, vtetur etiam verbis minus integris: dum tamen res ipſa doceatur atque diſcatur integrè. Et paulò poſt, Bonorum,

Au. li. 4 de doctr. Christ.

inquit, ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus, non poteſt? Aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quãdo nihil quærimus, niſi patere, quod clauſum eſt? Hæc ille.

Eſt autem alia non in verbis, ſed in rebus ipſis obſcuritas: vbi quidam concionatores abditas atque difficiles quæſtiones ex ipſis Philoſophiæ atque Theologiæ generalibus deſumptas, rudi & indoctæ multitudini proponunt: quo ingenium ſuum oſtentẽt, & eruditi in populo habeãtur. Hi autem minimè cum Apoſtolo dicere poſſe videntur: Non noſmetipſos prædicamus, ſed Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: nos autem ſeruos veſtros per IESVM. Vehementer autem indignum eſt, vt quo in loco & officio alios à vanitatis & iactantiæ vitio deterremus, nos in idem vitium, quod perſtringimus, incidamus. Quòd ſi admonitio mea aduerſus hanc multorũ conſuetudinem minus valet, valeat ſanè D. Auguſtini, in 4. de Doct. Chriſt. libro dicentis: ſunt quædam, quæ ſua vi non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantumuis planiſſimè dicentis verſentur eloquio: quæ in populi audientiam vel rarò, ſi aliquid vrget, vel nunquam omninò mittenda ſunt. Hactenus Auguſt.

2. Cor. 4

Auguſt.

De tertia elocutionis virtute, quæ in ornatu poſita eſt.

CAP. IV.

Hæc ex Fab. lib. 8. cap. 3.

VENIO nunc ad ornatum, in quo ſine dubio pluſquam in cæteris dicendi partibus ſibi indulget concionator. Nam emendatè quidem ac dilucidè dicentium tenue præmium

eſt:magis enim hoc eſt vitiis carere, quàm vt magnam aliquam virtutem adeptus eſſe videaris. Nec verò hic ornatus parum cauſæ confert. Nam qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius credunt, & plerumq; ipſa delectatione capiuntur, nonnunquam admiratione auferuntur: Nam & ferrum affert oculis terroris aliquid, & fulmina ipſa non tam nos confunderent, ſi vis eorum tantùm, non etiam ipſe fulgor timeretur. Rectéque Cicero, his ipſis ad Brutum verbis quadam in epiſtola ſcribit: Nam eloquētiam, quæ admirationem non habet, nullam iudico. Ariſtot. quoque eandam petendam maximè putat. Sed hic ornatus, repetam enim, virilis, fortis, & ſanctus ſit, nec effœminatam leuitatem, nec fuco eminentem colorem amet, ſanguine & viribus nitéat. Hoc autem adeò verum eſt, vt cùm in hac parte ſint vicina virtutibus vitia, etiam qui vitiis vtuntur, virtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis dicat, me inimicum eſſe cultè dicentibus. Non ego hanc eſſe virtutem, ſed illis eam non tribuo. An ego fundum cultiorem putē, in quo mihi quis oſtenderit lilia, & violas, & amœnos fontes ſurgentes, quàm vt plena meſſis, aut graues fructu vires erunt? Sterilem platanum, tonſáſque myrtos, quàm maritam vlmum, & vberes oleas præoptauerim? Habeant illa diuites, licet quid eſſent, ſi aliud nihil haberent? Nullusne etiam fructiferis adhibendus eſt decor? quis negat? Nam & in ordinem certáque interualla redigam meas arbores. Quid enim illo quicunque ſpecioſius? quid in quācunque partem ſpectaueris, rectius? Sed protinus in id quoque prodeſt, vt terræ ſuccum æqualiter trahant. Surgentia in altum

cacumina oleæ ferro coërcebo, in orbem ſe formoſius fundet, & protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cuius aſtricta illa, idẽ velocior. Pulcher aſpectus fit athleta, cuius lacertus exercitatio expreſſit, idem certamini paratior. Nunquam vera ſpecies ab vtilitate diuiditur. Hactenus Fab. D. verò Auguſt. de hoc orationis ornatu, quo potiſſimum auditorum animi oblectantur, ſic ait: Sicut autem ſæpè ſumenda ſunt & amara ſalubria: ita ſemper vitanda eſt dulcedo pernicioſa. Sed ſalubri ſuauitate, quid melius? Quantò enim magis illic appetitur ſuauitas, tantò facilius ſalubritas prodeſt. Sunt ergo Eccleſiaſtici viri, qui diuina eloquia non ſolùm ſapienter, ſed & eloquenter etiam tractauerunt. Quibus legendis magis non ſufficit tempus, quàm deeſſe ipſis ſtudentibus & vacantibus poſſunt. Hæc ille. *Auguſt. vbi ſup.*

De ornatu, quid eſt in verbis ſingulis.

Cap. V.

QVONIAM orationis, tam ornatus, quàm perſpicuitas, aut in ſingulis verbis eſt, aut in coniunctis, primùm quid ſingula verba, deinde quid coniuncta exigant, conſideremus. Qua in re illud primo loco ſtatuendum eſt, quòd quemadmodum perſpicuitas propriis verbis, ſic ornatus tranſlatis, vel quouis alio Tropo figuratis, præcipuè conſtat. Sed cùm eandem rem frequenter plura verba ſignificẽt, quod Synonimia vocatur, commodiora ſemper & meliora eligenda ſunt. Conſtat enim inter hæc ipſa verba, alia eſſe aliis conſonantiora, grandiora, honeſtiora, ſubliniora, nitidiora, iucun-

diora, vocaliora. Exempli gratia: Conſonantiora ſunt, quanquá, moderatio, & cốcertare, quàm ſi dixeris, etſi, modeſtia, confligere. Grandiora ſunt, immanis, contrucidare, optimus, officioſiſſimus: quàm hæc, magnus, necare, bonus, officioſus. Nitidus etiam bos, quàm vacca. In vniuerſum quidem optima ex ſimplicibus verbis creduntur, quæ aut maximè exclamant, aut ſono ſunt iucundiſſima. Et honeſta quidem turpibus potiora ſemper: nec ſordidis vnquam in erudita oratione locus.

Cæterùm quòd ad vſum attinet (in quo maior obſeruatio eſt) delectus verborum ſic habendus eſt, vt cum rerum, de quibus dicimus, natura & dignitate cohæreãt. Rebus enim atrocibus verba etiam ipſa auditu aſpera magis conuenient. Quod enim verbum in re grandi aptum & magnificum fuerit, in re humili tumidum erit. Contrà verò quæ humilia circa res magnas, apta circa minores videntur. Et ſicut in oratione nitida notabile eſt humilius verbum, & velut macula: ita à ſermone tenui ſublime nitidumque diſcordat, fitque corruptum, qui in plano tumet.

Hæc de propriis verbis dicta ſunt. Tranſlata verò (de quibus modò dicendum eſt) niſi in cốtextu probari non poſſunt. Sed nec inornatá ſunt quidem, niſi cùm ſunt infra rei, de qua loquendum eſt, dignitatem.

De Tropis. Cap. VI.

QVONIAM (vt paulò antè diximus) perſpicuitas quidem propriis, ornatus verò tranſlatis verbis, vel quouis alio tropo figuratis præcipuè conſtat, de Tropis iam dicere

re incipiamus, atque eo libentius, quò in Prophetarũ libris frequentior eorum vſus eſt. Omnia enim Prophetarum ſcripta (quoniam de rebus maximis diſſerunt, ſiue cum hominum ſcelera corripiunt, ſiue cùm vltrices ſcelerum pœnas improbis denunciant, ſiue cùm pijs hominibus, & in officio manẽtibus ingentia diuinæ gratiæ beneficia pollicentur) metaphoris & allegorijs plena ſunt: quibus illi magnarum rerum ſimilitudinibus, quæ ipſi quoque maxima dicunt, amplificare & ante oculos ponere ſolent. Cuius rei non ialienum puto loca aliquot indicare: vt apertè liqueat, omnia Prophetarum ſcripta metaphoris & allegorijs referta eſſe. Talis eſt locus ille Iſayæ. Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, &c. Virgæ enim nomine potentiam, floris autem pulchritudinem Domini Saluatoris deſignauit. Deinde ſequentia allegorijs plena ſunt. Habitabit lupus cum agno, &c. Et cap. 8. Pro eo quod abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio, &c. Deinde futuram populi vaſtitatem fluminis inundatione deſignat & amplificat. Cap. verò 35. Conuerſionẽ & lætitiam Gentium pulcherrimis metaphoris declarat, cùm ait: Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium: & quæ ſequuntur. Hierem. verò cap. 4. Aſſyriorum Regem leonis nomine ſignificat, cùm ait: Aſcendit leo, de cubili ſuo, & cæt. Ezechiel verò cap. 17. eundem Regẽ ingentis aquilæ nomine exprimit, cùm ait: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, &c. Pharaonem verò Ægypti Regem draconem appel-

lat: vt eius ſuperbiam & atrocitatem oſtendat, his verbis: Ecce ego ad te draco magne, qui cubas in medio fluminũ tuorum, & dicis, Meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum. Verùm hæc exempla in omnibus ferè Prophetarum paginis reperiuntur. Quæ tamen hoc in loco referre volui, vt Troporum vtilitatem & vſum etiam oſtẽderem. Apparet enim res magnas & atroces his nominibus attolli, earumq; magnitudinem his verbis magis, quàm proprijs ſignificari. Eſt igitur Tropus verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio. Incipiamus igitur ab eo, qui cùm frequẽtiſſimus eſt, tum longè pulcherrimus, tranſlationem dico, quæ metaphora Græcè vocatur. Latiſſimè enim patet. Eam neceſſitas genuit inopia coacta, poſt autem delectatio iucunditasque celebrauit. Nã vt veſtis frigoris depellẽdi cauſa reperta primò, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis & dignitatem: ſic verbi tranſlatio, inſtituta eſt inopiæ cauſa, frequentata delectationis. Eſt autem tranſlatio, cùm nomen aut verbum transfertur ex eo loco, in quo proprium eſt, in eum, in quo proprium deeſt, aut trãſlatum proprio melius eſt. Id facimus, aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificantius, aut quia decentius. Nam gemmare vites, luxuriem eſſe in herbis, lætas ſegetes, etiam ruſtici neceſſitate dicunt. Oratores durum hominem aut aſperum. Non enim proprium erat, quòd darent his affectionibus nomen. Iam incenſum ira, inflammatum cupiditate, & lapſum errore, ſignificandi gratia. Nihil enim horum ſuis verbis, quàm his accerſitis magis propriũ erat. Illa verò ad ornatum, lumen orationis, & generis claritatem, & concionũ pro-

Ex Fax. lib.8.c.6.

Metaphoar.

cellas, & eloquentiæ flumina, vt Cicer. pro Milone: Clodium fontem eius gloriæ vocat. & alio loco ſegetem, ac materiam. Illud autem admirandum videtur, quid ſit, quòd omnes tranſlatis & alienis magis delectentur verbis, quàm proprijs & ſuis. Nam ſi res ſuum nomen, & propriũ vocabulum non habet, vt pes in naui, vt in vite gemma, neceſſitas cogit, quod non habeas, aliũdè ſumere: ſed in ſuorum verborum maxima copia, tamẽ homines aliena multo magis, ſi ſunt ratione translata, delectãt. Cauſa autem illa eſt, quòd tranſlatio eſt ſimilitudo ad vnum verbum contracta: ſimilitudine autem mirificè capiuntur animi. Eo tamen diſtat, quòd illa comparatur rei, quàm volumus exprimere, hæc pro ipſa re dicitur. Comparatio eſt, cùm dico feciſſe quid hominem, vt leonem. Translatio, cum dico de homine, leo eſt.

Metaphoræ autem vis omnis quadruplex eſt, Cùm in rebus animalibus aliud pro alio ponitur: vt Liuius, Scipionem à Catone allatrari ſolitum refert. Inanima pro alijs generis eiuſdem ſumuntur: vt, Concentu virtutum nihil eſt ſuauius. Aut pro rebus animalibus inanimat: vt, Duo fulmina belli Scipiades. præcipueque ex his oritur mira ſublimitas, quæ audaciæ proxima periculo tranſlationis attollitur, cùm rebus ſenſu carentibus actum quemdam, & animos damus: qualis eſt: Pontem indignatus Araxes. Et illa Ciceronis: Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus illo mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? Arcanæ autem literæ propter rerum magnitudinem in hac eadem metaphora non rarò vtuntur, qua & rebus in-

animatis affectus & actiones humanas tribuunt, & ad ipſas etiam ſermones conuertunt. Tale eſt illud: Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini. Et alio loco: Tũc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie Domini, &c. Rei enim magnitudo, nempe Chriſti Domini in mundum aduentus, hoc exigere videbatur, vel ipſo Domino teſtante, qui ait: Si hi tacuerint, lapides clamabunt.

In tranſlationibus autem fugienda eſt diſſimilitudo, qualis eſt in illo Ennij, Cæli ingentes fornices. Deinde videndũ eſt, ne longè ſimul ſit ductum: Syrtim patrimonij: ſcopulum libētius dixerim: Charibdim bonorum, voraginem potius. Facilius enim ad ea, quæ viſa, quàm ad illa, quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur. Sũt quædam & humiles tranſlationes, vt, Saxea eſt verruca: quædã maiores quàm res poſtulat, vt, Tēpeſtas comeſſationis quædã minores, vt comeſſatio tēpeſtatis. Vt modicus aũt atq; opportunus eius vſus illuſtrat orationem, ita frequens & obſcurat, & tædio complet: continuus verò in allegoriam & enigma exit. Quòd ſi vereare, ne paulò durior tranſlatio eſſe videatur, mollienda eſt propoſito ſæpè verbo: vt, Si olim M. Catone mortuo pupillũ Senatũ: quis relictũ dicat: paulò durius: ſin, vt ita dicam, pupillũ: aliquanto mitius eſt. Etenim verecunda debet eſſe tranſlatio vt deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe, atque vt precario, non vi veniſſe videatur. Diligenter etiam cauendum eſt, ne omnia, quæ Poëtis permiſſa ſunt, conuenire orationi putemus: nec enim paſtorem populi autore Homero dixerim, nec volucres pennis remigare, licet Vergilius in apibus ac Dędalo ſpecioſiſſimè ſit vſus.

Modus autem nullus eſt florentior in ſingulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi: eoque in illo explicando meritò longiores fuimus.

Synecdoche tropus eſt, in quo ex parte totum, aut contrà, aut ex antecedentibus ſequentia intelliguntur. Quæ deſcriptio octo illos modos comprehdit, quibus fit Synecdoche, quos grauiſſimi ſcriptores tradiderunt. Ex parte totum intelligitur, vt ex puppi nauis: enſis ex mucrone: aut ex tecto domus. Cicero: Mucrones eorum à iugulis noſtris reiecimus. Huc pertinet, cùm vel ex vno plures ſignificantur. Liuius: Romanus prælio victor: & Vergilius: Hoſtis habet muros. Vel genus ex forma ſiue ſpecie. Verg. Dēteſque Sabellicus exacuit ſus: pro quouis ſue. Vel ex materia res confecta: qua ratione & ferrum pro gladio, & pinus pro naui, & aurum atque argentum pro aurea & argentea pecunia ſumitur. Cicero: Homines inſtructi & certis locis cum ferro collocati. Contrà verò ex toto pars declaratur, vt in illo Vergilij: Fontemque ignémque ferebant. De quo genere eſt, cùm aut è pluribus vnus intelligitur. Cicero ad Brutum, Populo, inquit, impoſuimus, & oratores viſi ſumus: cùm de ſe tantùm loqueretur. Aut è genere pars illi ſubiecta, Vergilius: Prædamq; ex vnguibus ales proiecit. Ex antecedentibus quoque ſequentia monſtrantur: vt cùm ait idem Poëta: Aſpice aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci. Ex his autem perſpicuum eſt, tranſlationem ad mouendos animos, & res penè ſub oculos ſubijciendas reper tameſſe: ſynecdochen verò ad locupletandum ſermonem pertinere. *Synecdoche.*

Nec procul ab hoc genere diſcedit Metonymia. *Metonymia.*

Non illum populi faſces, non purpura regum
Flexit.

Metonymiam, vt ait Cicero, Rhetores hypallagen vocant.

Antonomaſia ponit aliquid pro nomine: vt, Euerſor Carthaginis & Numantiæ, pro Scipione, Et, Romanæ eloquentiæ princeps, pro Cicerone. Et per Epitheton, Talamo quæ fixa reliquit impius: Impium pro Aenea poſuit. Sic Philoſophum pro Ariſtotele, Poëtam pro Vergilio excellentiæ cauſa dicimus. Differt Antonomaſia à Periphraſi, quod illa ad ſola perſonarũ nomina referatur: Periphraſis verò (de qua mox dicemus) latiſſimè ad cætera patet, quæ circuitione aliqua melius, quã proprio nomine ſignificãtur. *Antonomaſia.*

Epitheton, ſiue Latinè appoſitum, Diomedes ſpeciem facit antonomaſiæ. Eſtq; frequenter adiectiuum nomen proprio nomini adiectum, ornandi, aut amplificandi, aut iudicandi cauſa. Non rarò etiam alijs nominibus adiungi: quæ perſonarum propria non ſunt. Neque refert, an hæc epitheta ſint adiectiua nomina necne, modò quocunque pacto proprietas quædam attribuatur, non perſonis tantùm, verùm etiam rebus: vt, Præceps iuuenta: præceps, amens, & inconſultus amor: eſca malorum voluptas: moroſa ac difficilis ſenecta: vitiorum expultrix philoſophia: humanæ vitæ ſpeculum comœdia: vitæ magiſtra hiſtoria. In poematis licebit naturalib. epithetis vti: vt, Cãdida nix, liquidi fõtes, frigida nox, volubilis amnis, aureus Sol, In oratione proſa non oportebit adhiberi, niſi emphaſim quandam habeant, & ad rem propoſitam pertineant: vt, Non impetrabis cauſam tam iniquam ab Ari- *Epitheton.*

ſtide iuſtiſſimo. Et, coram Catone ſeueriſsimo morum cenſore audes agere Floralia? Id potiſsimum fiet in citationibus exemplorum, aut ſententiarum, Ariſtarchus eruditiſsimus, & idem diligentiſsimus, Cicero eloquentiæ Princeps, Plato certiſsimus auctor. Exornantur autem epitheta maximè tranſlationibus: vt, cupiditas effrænata, inſanæ ſubſtructiones, &c. Solet etiã fieri alijs adiunctis epitheton tropis apud Verg. Turpis egeſtas, & triſtis ſenectus. Veruntamen talis eſt ratio huius virtutis, vt ſine appoſitis nuda ſit & velut incompta omnis oratio, nec oneretur tamen multis. Nam fit longa & impedita: vt in quæſtionibus eam iudices ſimilem agmini totidem lixas habẽti, quot milites quoq; in quo & numerus eſt duplex, nec duplum virium.

Interdum autem epitheta eleganter ita multiplicantur, vt inſtar diffinitionis vel deſcriptionis ſint, imò & frequenter totam rei naturam, eiuſq; proprietates explicent. Hic Ioannes Clymacus, Superbia, inquit, eſt Dei abnegatio, aſpernatio hominum, laudum progenies, ſterilitatis argumentum, diuini adiutorij expulſio, ſtuporis præcurſor, lapſuum miniſtra, caſus materia, iracundiæ fons, ſimulationis ianua, firmamentum Dæmonum, delictorum cuſtos, duritiæ & crudelitatis artifex, compaſſionis & miſericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis iudex, Dei aduerſatrix, blaſphemiæ radix. Hæc ille. Sic Origenes de muliere Cananæa, Mulier, inquit, caput peccati, arma Diaboli, expulſio paradiſi, mater delicti, corruptio legis antiquæ veniebat ad Dominũ Ieſum. Sic etiam Iudas Apoſtolus in Epiſtola ſua de Pſeudoapoſtolis loquens, Hi ſunt, inquit, in epulis ſuis maculæ cõ-

Ioan. Cly.

Origenes.

uiuantes, ſine timore ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ à vētis circunferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſydera errantia.

Catachreſis, quam rectè dicimus abuſionem, non habētibus nomen ſuum accommodat, quod in proximo eſt. Sic: Equum diuina Palladis arte, ædificant. Et, Pyxides, cuiuſcumque materiæ ſunt: & parricida matris quoque aut ſororis interfector dicitur. Valdè ſimilis eſt metaphoræ, ſed ab ea tamen diſtinguitur, quod abuſio nomen ex vicina ac finitima re accommodat alteri rei, quæ ſine nomine eſt: metaphora verò etiam ſi nomen non deeſt, vndecunque modo ſimilitudinem res habeat, alienum nomen aſciſcit. Quid tam propinquum patris interfectori, quàm matris, aut ſororis, aut fratris interfector? Ergo, is, quia nomen Latino ſermone nō habet, per abuſionem parricida vocatur. Quid rurſus magis ſeiunctum, quàm arbor, atque Reſpublica, quæ florere, verbo ab arbore tranſlato, dicitur? Vnde apparet, duos hos tropos ita ſimiles eſſe, vt tamen ſint diuerſi. *Catachr. Fab ubi ſupra.*

Allegoria, quam inuerſionem interpretamur, aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ac etiam interim contrarium. Vergilius. *Allegoria. Idem ubi ſupra.*

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor. Et:
Iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

Habet vſum talis allegoriæ frequenter oratio, ſed rarò totius, plerumque apertis permixta eſt. Tota apud Ciceron. talis eſt. Hoc miror enim querorque, quenquam hominem ita peſſundare alterum verbis velle, vt etiam nauem perforet,

qua ipſe nauiget. Illud verò commixtum allegoriæ genus frequentiſſimum eſt. Equidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionũ ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas; Niſi adieciſſet, fluctibus concionum, eſſet allegoria: nunc eam miſcuit. Illud verò longè ſpecioſiſſimum genus orationis, in quo trium permixta eſt gratia, ſimilitudinis, allegoriæ, & translationis. Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus vnus, aut nox interpoſita, ſæpè perturbat omnia, & totam opinionem parua nõnunquam commutat aura rumoris. Nam id quoque in primis eſt cuſtodiendum, vt quo genere cœperis tranſlationis, hoc deſinas. Multi enim cùm initiũ à tempeſtate ſumpſerunt: incendio aut ruina finiunt, quæ eſt in conſequentia rerum fœdiſſima. Hactenus Fab. Cæterùm ſcripturæ Prophetarum, vt alijs tropis, ita pulcherrimis allegorijs, & mira verborum conſequentia illuminantur, qualis eſt illa Iſa 5. de vinea plantata à dilecto in cornu filio olei. Quam etiam nõ minori elegantia ſeptẽ continuis verſiculis perſequitur David, cùm ait: Vineã de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti Gentes, & plantaſti eam, extendit palmites ſuos vſq; ad mare, & vſq; ad flumen propagines eius: & cætera quæ ſequuntur.

Ironia. Ironia, quam illuſionem vocant, allegoria eſt, quæ non ſolùm aliud ſenſu, aliud verbis oſtendit, ſed contrarium. Et aut pronunciatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura. Nam ſi qua earum verbis diſſentit, apparet diuerſam eſſe orationi voluntatem. Cicero in Clodium:

Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, vita ante acta ſeruauit. Et Turnus apud Vergilium: Meq; timoris argue tu Drance, quãdo tot cædis aceruos Teucrorũ tua dextra dedit.

Periphraſis, ſiue Latinè Circuitio: ſicut & allegoria, non in vno verbo, ſed in coniunctis fit, cùm id, quod ſimpliciter dici poterat (quò ſit oratio vel plenior, vel ſignificãtior) pluribus verbis dicimus. Quod frequentiſſimè fit, cùm recto obliquum decoris gratia adiũgimus: vt, Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit, pro eo, quod eſt, Scipio Carthaginẽ deleuit. Sic dicimus admirari virtutis decus & elegantiam, pro virtutem: & odiſſe ſceleris deformitatem, vel turpitudinem, pro ſcelus. Qua loquendi figura frequentiſſimè & ornatiſſimè vtitur eloquentiſſimus Oſorius. Conſtat autem alijs modis tropus hic, nẽpè etymologia, notatione, finitione. Etymologia, cum nominis rationẽ explicamus: vt ſi quis hæredipetam dicat, qui hæreditates alienas appetat, captetque. Aut pro paraſito, hominem cibo ventrique deditum: aut pro Philoſopho, hominem ſapientiæ ſtudioſum: pro Grammatico, qui literas doceat: pro locuplete, qui plurima loca poſſideat; pro pecunioſo, qui magnam pecorũ copiam poſſideat. Notatione conſtabit, cùm notis quibuſdam accidentium rem quampiam deſcribimus: vt ſi quis iram intelligens, animi aut bilis efferueſcentiam dicat, quæ pallorem vultui, ardorẽ oculis, tremorem membris inducat. Eiuſdem generis eſt & illud: qui digito ſcalpunt vno caput: quo molles & parũ viri ſignificãtur. Aut ſi dicas, Cubito ſe emungit, ſalſamẽtarium indicãs. Finitione cõſtabit, vt ſi quis artem benedicendi pro Rhetorica dicat. Pecula-

Periphraſis.

torem virum, qui ciuitatis ærarium cõpilaſſet. Hominem tyrannum, qui vi leges ac ciuium libertatem oppreſſiſſet.

Hæc de tropis dicta ſint: quæ (vt antè diximus) ornamenti plurimum orationi conciliant: quorum omnium vna eſt ratio atque natura: nempè pro noto & proprio alicuius rei nomine aliud ſubrogare, quod vel ornatius, vel ſignificantius ſit, vel etiam vim habeat probationis & argumenti. Atque vt huius virtutis fontem aperiam, quæ magnam huic facultati lucẽ præferet, ſciẽdum nequaquam nomen aliud pro alio ſubijci poſſe, niſi illi valdè finitimum & quaſi cognatũ ſit. Cognata autem rebus ſunt ea, quæ ſupra diximus, eſſe rebus aut perſonis attributa, vnde Topica, hoc eſt, argumentorum ſedes oriuntur. Qualia sũt genus rei, ſpecies, diffinitio, propria, accidentia, ſiue antecedentia, ſiue concomitantia, ſiue conſequentia cauſæ, effectus, totũm & partes, ſimilia, & cætera eiuſdem generis. Cùm ergo omnia hæc vim habeant argumenti, periti artificis erit, quò ſit oratio vehemẽtior, frequenter his rerum attributis pro rebus ipſis vti: quod huiuſmodi nomina vicem argumenti, ſiue (vt Dialectici vocant) medij vim habeant. Sic ſapiẽs illa fœmina, 2. Reg. 20. Ioab Ciuitatẽ Abæla obſidẽti ait: quare præcipitas hæreditatẽ Domini? In qua oratione verbo præcipitandi obſidionis malum amplificauit: verbo autem hæreditatis, quod pro ciuitatis proprio nomine poſuit, vim argumenti & quidem acris incluſit. quo exemplo apertè liquet, ad omnem vſum, cui Topica deſeruiunt, tropos etiam deſeruire: qui ab illis originem ducunt. Cùm autem ſimilitudo inter Topica numeretur, ea verò ad pro-

bandum,ad amplificandum, ad inferendum rebus lucem,ad rem oculis ſubijciendam,& ad delectandum accommodata ſit,conſequens eſt, vt metaphora etiam,quæ breuis ſimilitudo eſſe dicitur, ad omnes hos vſus deſeruiat, eóque principem inter omnes tropos locum teneat.

Illud etiam admonendum, quòd non modò ad orationis ornatum, ſed ad intelligenda quoq; ſcripta Prophetarum hæc facultas plurimum conducit, quòd frequentiſſimè his tropis vtantur. Si quis enim in ſcriptis eorum diligẽter aduerterit, quid pro nominibus proprijs earũ rerum,de quibus dicunt,vſurpauerint,inueniet eos non ſolùm metaphoricis, & allegoricis locutionibus vſos, ſed alijs etiam Tropis, dum aut effectum pro cauſa,aut cauſam pro effectu, aut totum pro parte, aut partem pro toto, aut propriũ nomen pro communi, aut commune pro proprio,aut inſtrumenta pro re cõfecta; aut quæ rebus adiuncta ſunt, pro rebus ipſis ponunt. Tale eſt illud Hier. Interrogate & videte ſi generat maſculus. Quare ergo vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum quaſi parturientis? Hic ex conſequentibus calamitatis magnitudinẽ ſignificauit. Simile eſt huic illud eiuſdem: Vocate lamentatrices, & ad eas, quæ procul ſunt, mittite,&c. His enim ſignis venturæ cladis acerbitatem voluit oſtendere. Cum vero Amos diuitum inhumanitatem exaggerans ait: Nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph, proprium nomen pro communi pauperum & miſerorum nomine poſuit,vt D. Aug. annotauit, qui hũc Prophetæ Tropum plurimum commendauit. Cum verò Apoſtolus ait, Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum concupiſcen-

Hiere. 30.

Amos 6.

Aug. lib. 4. de doct. Chriſ.

tijs eius: effectum poſuit pro cauſa peccati:nẽpe concupiſcentia & fomite, vnde peccata oriũtur. Contra verò, cum fide ait homines iuſtificari, partem pro toto poſuit. Fides quippe radix & fundamentum eſt omnium, quæ ad iuſtificationem requiruntur: pro quibus fidem poſuit. Sic vbi in ſcripturis legimus, quinquageſimum caput, vel quinquaginta capita, ex præcipua parte totum intelligimus.

Cæterum, qua ratione ſibi Eccleſiaſtes ornatiſſimorum verborũ copiam, in quibus hæc troporum lumina inueniantur, comparare poſſit, ſuo loco explicabimus.

De ornatu, qui eſt in verbis coniunctis: ac primum de figuris.

Cap. VII.

CVm paulò ſuperius dictum à nobis ſit, orationis ornatum partim in verbis ſingulis, partim in coniunctis poſitum eſſe, vbi iam de tropis, qui ad priorem ornatus partem deſeruiunt, diximus, reliquum eſt, vt de poſteriori, qui in verbis coniunctis cernitur, nũc dicamus, Hic autem præcipuè conſtat figuris, compoſitione, & varijs dicendi formis ad rerum dignitatem accommodatis. De his igitur in reliqua huius libri parte tractandum eſt, à figuris (quæ Græcè Schemata dicuntur) initium ſumentes: in quibus maxima ornatus & elegantiæ pars ſita eſt His autem Demoſthenes ita eſt vſus, vt omnia ferè, quæ dicit, aliqua huiuſmodi figura exornare curet. Quo nomine multi putant (vt autor eſt Cicero) eloquentiam eius maximè eſſe mirabilem.

Principio igitur figuræ definitio ac diuiſio tradenda eſt. Figura autem (vt Rhetores definiunt) eſt conformatio quædam orationi remota à communi, & primùm ſe offerente ratione, qua rectus ſermo in alium cum virtute mutatur. Vt hoc autem rudi (quod aiunt) Minerua explicemus, ſciendum eſt, quod quemadmodum eide n corpori veſtimenta plura aptari poſſunt, quorum alia ad venuſtatem, alia ad grauitatem, alia ad luctum & mœſtitiam, alia ad humilitatem & ſanctitatem accommodantur: ita eadem ſententia diuerſis poteſt figuris & formis explicari, & quodammodo veſtiri: quorum aliæ venuſtatem, aliæ grauitatem, aliæ vim & acrimoniã præſeferant. Eruditi autem artificis eſt, eam figuram, & velut habitum eligere, qui vel ſententiæ enunciandæ, vel propoſito noſtro maximè quadret. Subijciamus huius rei exempla. Simplici & recta oratione Apoſtolus dicere poterat, Si quis infirmatur, & ego infirmor, ſi ſcandalizatur, & ego vror. Sed ab hac ſimplici, & primum ſe offerente ratione diſcedens, multò acrius & elegantius per interrogationis figuram dixit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcãdalizatur, & ego nõ vror? Smili quoque ratione dicere poterat: Nulla res poterit nos à charitate Chriſti ſeparare, &c. At quãto vehemẽtius & elegãtius eſt. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an periculũ? &c. Itẽ ſimplici oratione dicere poterat, Non poſſunt homines Deum inuocare, de quo nihil audierũt: neq; audire, niſi illis annuncietur: neque quis annunciare poterit, niſi à Deo mittatur. At multò elegantius ait: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non

1. Cor. 15.

audierunt) quomodo autem audient ſine præd cante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Hic enim multæ ſimul elocutionis virtutes coëunt. Eſt enim repetitio, & interrogatio, & gradatio, & membra item orationis ex pari ferè numero ſyilabarum. Potuiſſet etiam D. Gregorius ſimpliciter dicere: Mirum eſt peccatricem mulierem ad Dominum venire: & mirum item, eandem ab eo miſericorditer trahi, & benignè recipi. Sed quanto elegantius eſt, hanc ſententiã figurata oratione ad hunc modũ explicari? Quid igitur miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominũ ſuſcipientem? ſuſcipientem dicam, an trahentem? dicam melius, & trahentem & ſuſcipientem. Ad hunc modum Sedulius cum dicere potuiſſet, Vehementer nobis prima illa fœmina & antiquus ſerpens nocuerunt, multò ornatius atque vehementius dixit: Heu noxia coniux. Noxia tu coniux magis, an Draco perfidus ille? Perfidus ille Draco, ſed tu quoque noxia cõiux. Item ſimpliciter dicere ſolemus, Virtutis comes inuidia eſt, quæ viros bonos plerumque inſectatur: acrius tamen per exclamationem dicitur, ô virtutis comes inuidia, quæ bonos plerumq; inſequeris, atque adeò inſectaris! His exemplis, vt arbitror, facilè figuræ definitio, & eius item vſus percipi poteſt.

Definitionem ſequitur diuiſio. Sunt enim duplices figuræ, aliæ verborum, aliæ ſentẽtiarum. Verborum ſunt, quæ venuſta & concinna eorũdem verborum collocatione conſtant: qua ſublata, mutatur, vel tollitur figura. Sententiarum verò ſunt, quæ non in verbis, ſed in rebus ipſis ſunt poſitæ: vt cũ vel exclamamus, vel interrogamus, vel obſecramus, vel dubitare nos aliquid dici-

dicimus, vel etiam optamus. Deſcriptiones quoque rerum & perſonarũ, hoc eſt, ſermocinationes, notationes, ſententiæ, & epiphonemata, de quibus ante diximus, & multæ item aliæ inter ſententiarum figuras numerantur.

Cùm autem verborum figuræ ornatum & elegantiam orationi concilient, vnde hic ornatus originem ducat, diligenter animaduertendũ eſt. Huius enim rei cognitio plurimum ad earum vſum conducet. Sciendum eſt igitur, rerum omnium decorem & pulchritudinem, quæ vel ſenſibus, vel intellectu percipitur, proportione quadam & concinnitate partium ſibi inuicem aptè conſentiẽtium præcipuè conſtare. Vnde ſapientiſſimus ille rerum omniũ architectus, qui pulcherrima omnia facere voluit, in numero, pondere, & menſura perfecit, ipſumq; inter cætera hominem ea natura cõdidit, vt numeris & apta rerũ concinnitate maximè caperetur. Hac enim de cauſa & pulchritudo oculos oblectat, & vocum concentus ſuis numeris dimenſus aures recreat, & Poëtarum carmina, quæ numerorum legibus eleganter aſtricta ſunt, voluptate nos afficiunt. Quò minus mirãdum eſt, ſi ornatus, qui in verborum figuris eſt poſitus, in quadam apta & concinna verborum collocatione & proportione conſtitutus ſit. Quid autem proportionis huius nomine intelligam, (liceat enim hac voce vti) propoſita exempla facilè declarabunt. Sumamus illam Euſebij Emiſſeni ſententiam, Ferina immanitas eſt, Deum æſtimare minorem, quia maiora contulit: vt ideo à te minus accipiat honoris, quia plus contulit dignitatis. Hic apertè vides proportionem inter contraria, & ſimiliter cadentia verba. Idem Euſebius locũ illum expla-

nans, Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, ſic ait: Natus eſt nobis, qui ſibi erat. Datus eſt ergo ex diuinitate, natus ex Virgine. Natus, qui ſentiret occaſum: datus, qui neſciret exordium. Natus, qui & matre eſſet iunior: datus, quo nec pater eſſet antiquior. Natus, qui moreretur: datus, ex quo vita naſceretur. Ac ſic qui erat, datus eſt: qui non erat, natus eſt. Illic dominatur, hic humiliatur. Sibi regnat, & mihi militat. Idem etiam de corporum reſurrectione diſputans, ſic ait: ipſa caro honoratur præmijs, quæ eſt probata ſupplicijs: ipſa in muneribus gaudebit, quæ in doloribus triumphauit: quæ ideo tolerabiliter doluit ſe afflictam, quia fideliter credidit reformãdam. In his omnibus quis non videt numerum & proportionem ſimilium, diſſimilium, & contrariorum ſibi inuicem reſpondentium? Quin & in Eccleſiaſticis quoque antiphonis & verſiculis interdum idem numerus atque proportio reperitur: quale eſt illud in laudibus D. Martini: O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum: qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit! Hic apparet, quomodo ſibi reſpondeant, laborem & mortem, victum & vincendum, mori & viuere, timere & recuſare. Eſt autem in his omnibus exemplis oratio colis & commatis vbique rotunda: de quibus ſuo loco dicemus.

Quia verò D. Auguſtin. (vt cæteros quoque Patres omittam) hoc loquendi genere maximè delectatus eſt, libet nõnulla eius exempla referre, quæ Proſper Aquitanius annotauit atq; collegit: quæ hanc præceptionem maximè illuſtrabunt: vt omittam interim, quòd eadem ipſa citra hanc commoditatem, non indigna ſunt, quæ

legantur. Sic igitur ait: Lex data eſt, vt gratia quæreretur: gratia data eſt, vt lex adimpleretur: quæ non vitio ſuo non poterat impleri; ſed vitio prudẽtiæ carnis. Quod vitiũ per legem demonſtrandum, per gratiam fuit ſanandum. Idem: Diuina bonitas ideo maximè iraſcitur in hoc ſeculo, ne iraſcatur in futuro: & miſericorditer tẽporalem adhibet ſeueritatem, ne æternam iuſtè inferat vltionem. Idem: vera confeſſio eſt benedicentis, cùm idem ſonus eſt & oris & cordis. Bene autẽ loqui, & malè viuere, nihil aliud eſt, quàm ſua ſe voce damnare. Idem: Hoc affectu & deſiderio colendus eſt Deus, vt ſui cultus ipſe ſit merces. Nam qui Deum ideo colit, vt aliud magis quàm ipſum promereatur, non Deum colit, ſed illud, quod aſſequi concupiſcit. Idem: iniquus puniri ſe ignorat, niſi, cum manifeſto ſupplicio ſenſerit: nolens, quantũ mali ſit, quod perpetrauit volens. Idem: Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit. Non enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur mortem. Non itaque multum curandum neceſſariò morituris, quid accidat, vt moriantur; ſed moriendo quoniam ire cogantur. Idem: Iuſtis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non pœna eſt criminis, ſed virtutis examẽ. Nam bonus etiamſi ſeruiat, liber eſt: malus autem & ſi regnet, ſeruus eſt: nec vnius hominis, ſed (quod eſt grauius) tot dominorum, quot vitiorum. Idem: Diabolus ſuperbus hominem ſuperbientem perduxit ad mortem: Chriſtus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia ſicut ille elatus cecidit, & deiecit conſentiẽtem: ſic iſte humiliatus ſurrexit, & erexit credentẽ. Idem: In rebus ſpiritualibus cùm minor maiori adhæ-

ret, ſicut creatori creatura, illa fit maior, quàm erat, non ille: & hoc eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe: quia adhærens creatura creatori, non mole auctior, ſed virtute fit maior. Idem: Omnes beati habent, quod volunt. Miſeri autem ſunt, qui vel non habent, quod volunt, vel id habent, quod non rectè volunt. Proprior eſt ergo beatitudini voluntas recta, etiam non adepta, quod cupit, quàm praua, etiamſi quod cupit, obtinuit. Idem: Qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet & in terroribus vltionum. Nam & blanditur, & minatur. Si non blandiretur, nulla eſſet exhortatio: ſi non minaretur, nulla eſſet correctio. Hactenus ille. In his autem omnibus locis vel negligenter etiã attendentibus proportionis concinnitas ſatis apparet, qua ſingula verba ſingulis verbis contraponuntur, ſibique mutuo reſpõdent. Sed huiuſmodi exemplorum nuſquam non maxima copia, & paſſim obuia, vt meritò accuſari poſſim, quòd rem adeò perſpicuam tot exemplis onerauerim. Verum hoc feci, vt oſtenderem hanc decoris & venuſtatis partem, quæ in verborum figuris cernitur, ex eo fonte manare, vnde omnis aliarũ rerum pulchritudo, quæ vel arte vel natura conſtant, manare ſolet: ſimul vt hac ratione admonerentur, qui eleganter dicere volunt, vt ad hanc dicendi formam ea reuocare ſtudeant, quorum natura huius decoris capax eſt. Hæc enim orationis gratia ſequi rerum naturam debet, non affectari. Et tunc etiam parcius hoc loquendi genere vtendum eſt, cùm in veritate dicemus, quò affectationis vitium omnium aliorum peſſimum fugiamus: vtpote quòd fidem dicenti adimat. Hoc enim loquendi genere venerandi Patres Auguſt.

Euſebius Emiſſenus, Petrus Rauenas, D. Bernardus ita delectati ſunt, vt vix alio elocutionis genere frequentius vtantur. D. verò Greg. omnes ferè ſententias his numeris aſtringit. Quam rem adeò venuſtè Petrus Rauenas egit, vt hac potiſſimum ratione Chryſologi nomen inuenerit. Quãquis autem Rhetores hac loquendi figura parcius vtendum eſſe præcipiãt, quòd ea plus habeat iucunditatis & ſuauitatis, quàm grauitatis, hi tamen (quos ſupra memoraui) Patres, vt eorum ſcripta monſtrant, frequentiſſimè ea vſi ſunt.

Sed vt ad id, cuius gratia hæc à me inducta ſunt, veniam, ſciendum eſt, pleraſque verborum figuras ex hoc proportionis fonte manare. Eſt enim (quod ad præſens attinet inſtitutum) triplex proportionis genus, nempè eiuſdem verbi ad idem verbum certo ordine & numero ſibi reſpõdens: aut ſimilis ad ſimile, aut contrarij ad contrarium, quaque ratione contrarium ſit, varia ſiquidem contrariorum genera à Dialecticis numerantur. Ex hoc ergo triplici proportionum genere tres veluti claſſes figurarum oriuntur, quæ in verbis poſitæ ſunt: de quibus vbi mox dixerimus, nonnullas alias partim ſimiles, partim contrarias adijciemus. Vtrunque enim ad eundem ordinem atque tractationem pertinet.

Prima claſſis de figuris verborum, quæ eiuſdem verbi repetitione conſtant.

Cap. VIII.

Ex prima igitur claſſe, vbi idẽ verbum eleganter repetitur, primum locum tenet Repetitio: quæ eſt, cùm cõtinentur ab vno at-

que eodem verbo in rebus ſimilibus & diuerſis principia ſumuntur. Sic Diuus Cyprianus: Si, inquit, filij Dei ſumus, ſi templa eius eſſe iam cœpimus, ſi accepto Spiritu ſancto, ſancti & ſpiritualiter viuimus, ſi de terris oculos ad cœlum ſuſtulimus, ſi ad ſuperna & diuina plenum Deo de Chriſto pectus ereximus, non niſi quæ ſunt Deo & Chriſto digna faciamus. Idemque rurſus contra quoſdam Chriſti confeſſores paulò licentius agentes, ſub vnius nomine ſic inuehitur: Confeſſor eſt, ſed poſt confeſſionem periculum maius eſt: quia plus aduerſarius prouocatus eſt. Confeſſor eſt, hoc magis ſtare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam conſecutus eſt à Domino. Confeſſor eſt, ſit humilis & quietus, ſit in actu ſuo cum diſciplina modeſtus: vt qui Chriſti confeſſor dicitur, Chriſtum, quem confitetur, imitetur. Confeſſor eſt Chriſti, ſed ſi non poſtea blaſphemetur maieſtas & dignitas Chriſti. Lingua Chriſtum confeſſa, non ſit maledica, non ſit turbulenta, non conuitijs & litibus perſtrepens audiatur. Cæterùm ſi culpabilis & deteſtabilis poſtmodum fuerit, ſi confeſſionem ſuam mala conuerſatione prodiderit, ſi vitam ſuam turpi fœditate maculauerit, ſi Eccleſiam denique, vbi Confeſſor factus eſt, derelinquens, & vnitatis concordiam ſcindens, fidem primam perfidia poſteriore mutauerit, blandiri ſibi per confeſſionem non poteſt, &c. Hactenus Cyprianus.

Conuerſio.

Conuerſio eſt, per quam non, vt antè, primum repetimus verbum, ſed ad poſtremum cōtinenter reuertimur. Cyprianus: Deus videri non po-

teſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt: nec æſtimari, ſenſu maior eſt. Et ideo ſic Deum dignè æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Idem: Quiſque ille eſt, quem zelo perſequeris, ſubterfugere & vitare te poterit, tu te fugere non potes: vbicunque fugeris, aduerſarius tuus tecum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captiuus es, nec ſolatia tibi vlla ſubueniunt. Tale eſt illud Apoſtoli: Hebræi ſunt? & ego. Iſraelitæ ſunt? & ego. Semen Abrahæ ſunt? & ego. Miniſtri Chriſti ſunt? (vt minus ſapiens dico) plus ego. Sic etiam Seneca, Hoc eſt, inquit, Alexandri crimē æternum, quòd nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit, occidit Perſarū multa millia, opponetur, & Calliſthenem. Quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tūc magnum regnum erat, opponetur, & Calliſthenem. Quoties dictum erit, Omnia Oceano tenus vicit, ipſum quoque tentauit nouis claſſibus, & imperium ex angulo Thraciæ vſque ad Oriētis terminos protulit, dicetur, Sed Calliſthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla tranſierit, ex his, quæ facit, nihil tam magnum erit, quàm ſcelus Calliſthenis. *Libr. 6 natiuit Quæſt.*

Complexio.

Complexio eſt, quæ vtramque complectitur exornationem, & hanc, & quam antè poſuimus, vt & repetatur idem primum verbum ſæpius, & crebrò ad idem poſtremum reuertamur. Cypr. Solus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt. Solus non eſt, qui templum Dei ſeruans vbicunque fuerit, ſine Deo non eſt. Sed hæc breuis

complexio eſt. Poteſt autem eſſe multò longior. Cuius rei exemplum non verebor ex ſanctiſſimo Bonauentura afferre: cuius oratio quamuis non adeò leniter fluat, ſententiarum tamen pondere non minus grata ſanis ingenij eſſe debet, quàm quæ elegantia & nitore ſermonis exornata eſt. Is igitur precādi ſtudium hoc genere exornationis commendat his verbis: Si vis patienter tolerare aduerſa, vaca orationi. Si vis tētationes & tribulationes ſuperare, vaca orationi. Si vis prauas affectiones conculcare, vaca orationi. Si vis aſtutias Sathanæ cognoſcere, ac eius fallacias vitare, vaca orationi. Si vis lætāter viuere in opere Dei, & per laboris & afflictionis viam incedere, vaca orationi. Si vis ſpirituali in vita te exercere, & carnis curam non agere in deſiderijs, vaca orationi. Si vis vanas cogitationum muſcas effugare, vaca orationi. Si vis animam tuam ſanctis cogitationibus & deſiderijs impinguare, vaca orationi. Si vis cor tuum virili ſpiritu & conſtanti propoſito in Dei beneplacito ſtabilire, vaca orationi. Denique ſi vis vitia extirpare, & virtutibus ornari, vaca orationi. In ea enim recipitur Sancti Spiritus vnctio, quæ de omnibus mentem docet. Hac eadem figura D. Gregorius vtitur, hoc modo: Conſidero, inquit, Patres noui & veteris Teſtamenti, Dauid, Danielem. Amos, Petrum, Paulum, & Matthæum, & apertis oculis fidei intueor. Implet nanque Spiritus Sanctus puerum citharœdum, & Pſalmiſtā facit: implet abſtinentem puerum, & iudicem ſenum facit: implet paſtorem armentarium, & Prophetam facit: implet piſcatorem, & principem Apoſtolorū facit: implet perſequutorem, & doctorem gentium facit: implet publicanum, & Euangeliſtam

facit. quàm ergo inſani ſumus, qui hunc Spiritum non quærimus? Hic videre licet eadem eſſe verborum initia eoſdemque fines.

Traductio.

Traductio eſt, quæ facit, vt cùm idem verbum crebrius ponatur, non modò non offendat animum, ſed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto: qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non poteſt colere. Item, Eum tu hominem appellas, qui ſi fuiſſet homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petij ſſet. At erat inimicus: ergo inimicum ſic vlciſci voluit, vt ipſe ſibi reperiretur inimicus. Itē, Diuitias ſiue diuitem eſſe, tu verò virtutem præfer diuitijs. Nam ſi voles diuitias cum virtute comparare, vix ſatis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pediſſequæ ſint. Reperiuntur autem eadem nomina. Primùm quidem in diuerſis caſibus, quale eſt illud: Imprecor arma armis pugnent ipſique nepotes. Littora littoribus contraria, fluctibus vndas. Eleganter etiam Ioannes Picus Mirandul. cum Deo loquens ſic ait. *Polyptoton.*

Namque tua eſt noſtris maior clementia culpis,
Et dare non dignis res magè digna Deo eſt,
Quanquam ſat digni, ſi quos dignatur amare,
Qui quos non dignos inuenit, ipſe facit.

Hoc autem Polyptoton Græci vocant. Huc etiam pertinet Epanalepſis: hoc eſt, à poſtremo ad primum verbum regreſſio. quale eſt illud.

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa. *Epanalepſis.*

Item illud Cic. in Verrem: Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Quos etiam fit, ſententia aliqua interiecta hoc

hementer auditorem commouet eiuſdem redintegratio verbi, & vulnus maius efficit, quaſi aliquod telum ſæpius perueniat in eandem partem corporis.

Gradatio.

Gradatio quoque ab hoc repetitionis fonte manat, quę quandam verborum catenam efficit: eſtque & ad docendum, & ad delectandum cum primis accommodata. Diuus Cyprianus Serm. de liuore, Zelare, inquit, quod bonum videas, & inuidere melioribus, leue apud quoſdam crimen videtur: dúmque exiſtimatur leue, non timetur: dum non timetur, contemnitur: dum contemnitur, non facilè vitatur. D. item Greg. Conſiderandum eſt, ad culmen quiſque regiminis qualiter veniat, & ad hoc ritè perueniens qualiter viuat, & bene viuens qualiter doceat, & rectè docens, infirmitatem ſuam quotidie quanta conſideratione cognoſcat. Et Apoſtolus, Tribulatio, inquit, patientiam operatur, *Rom. 5.* patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Et iterum, quos, inquit, præſciuit & prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & iuſtificauit, &c. Et in eodem capite per Interrogationem & Repetitionem venuſtiſſimè ait: quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt, quomodo verò credent ei, quem non audierunt? &c. Item: Non ſenſi hæc & non ſuaſi: neque ſuaſi, & non ipſe ſtatim facere cœpi: neque facere cœpi, & non perfeci: neque perfeci, & non probaui. In hoc autem nouiſſimo exemplo, non decus modò, ſed vis etiam & acrimonia ineſt. Hactenus de figuris, quæ eiuſdem verbi repetitione conſtant.

In his autem figuris non inopia fit, vt ad idem verbum redeatur ſæpius, ſed ineſt feſtiuitas quædam, quæ facilius auribus dijudicari, quàm verbis demonſtrari poteſt. Huic autem virtuti, ſicut omnibus aliis ſuum quoque vitium finitimum eſt, quod Tautologiam appellant: hoc eſt eiuſdē verbi vitioſam repetitionem, quæ non decoris gratia, ſed inopia verborum fit, quæ etiam aurium iudicio dijudicatur: qualis eſt illa: Nam cuius rationis oratio non extet: ei rationi ratio non eſt fidem adhibere.

Secunda claſsis de figuris, quæ verborum ſimilitudine conſtant.

Cap. IX.

SECVNDI verò ordinis figuræ, quæ proportione verborum ſimilium ſibi inuicem reſpondentium conſtant, quatuor præcipuè numerantur, nempe Compar, Similiter cadens, Similiter deſinens, & Agnominatio.

Compar, quod Græcè Iſocolon dicitur, eſt quod in ſe habet membra, quæ conſtant ex pari ferè numero ſyllabarum. Hoc non de enumeratione noſtra fiet: nam id quidem puerile eſt: ſed tantum affert vſus & exercitatio facultatis, vt animi quodam ſenſu per membrum ſuperiori referri poſſimus. Cyprian. Mundus ipſe occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur, non hyeme nutriendis ſeminibus tanta imbrium copia eſt, non frugibus æſtate torrendis ſolita flagrantia eſt, nec ſic verna de temperie ſata læta ſunt, nec adeò arboreis fœtibus autumna fœcūda ſunt. Sed huiuſmodi exemplorum nuſquam non magna copia eſt.

Similiter cadens, Similiter deſinens.

Similiter cadens exornatio dicitur, cum in eadem conſtructione verborum duo aut plura ſunt verba, quæ ſimiliter iiſdem caſibus efferuntur. At ſimiliter deſinens eſt, cùm tametſi caſus non inſunt in verbis, tamen ſimiles exitus ſunt. Vtriuſque rei exemplum patet his Diui Cypriani aduerſus Demetrianum verbis: Certè & labor irritus & nullus effectus offerre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto: cùm nec ſentire brutus poſſit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire. In hoc autem genere pulcherrima & iucundiſſima ſunt illa, in quibus non extrema tantùm, ſed media quoque variè & multipliciter ſibi reſpondent. In quibus quanta ſit varietas, exempla declarabunt. Cyprianus ad Donatum, Accipe, inquit, non diſerta, ſed fortia: nec ad audientiæ popularis illecebram culto ſermone fucata, ſed ad diuinam indulgentiam prædicandam ruri veritate ſimplicia. Accipe quod ſentitur, antequàm diſcitur: nec per moras temporum longa agnitione colligitur, ſed compendio gratiæ maturantis hauritur. Idem contra Demetrianum: Qui ad malum motus eſt mendacio fallente, multò magis ad bonum mouebitur, veritate cogente. Longior quidem illa, ſed non minus ornata Diui Auguſtini ſententia qua natiuitatis & mortis diem in B. Martyre comparans, ſic ait: Illo die ex faſtidioſo matris vtero in hanc lucem proceſſit, quæ oculos carnis illecebrat: iſto autem die ex profundiſſimo carcere in illam lucem diſceſſit, quæ viſum mentis illuſtrat. Ad pretioſam mortem iuſtè viuendo venit: ad glorioſam verò vitam iniuſtè moriendo perrexit.

Agnominatio.

Agnominatio eſt verborũ ſimilitudo, in diſſimili tamen ſententia. Quale eſt illud Cypriani de habitu virginum: Capilli tibi non ſunt, quos Deus fecit, ſed quod diabolus infecit. Idem ſerm. de Mortal. Defunctos fratres non eſſe lugendos, cùm ſciamus non eos amitti, ſed præmitti. Tale eſt illud Fabij: Nihil putamus eſſe perfectum, niſi vbi natura cura iuuatur. Eſt autem D. Bernardus vt frequentiſſimus, ita etiam feſtiuiſſimus in hac figura: quale eſt illud eiuſdem: Benigna charitas affluit, non defluit. Item: Futuram hominis gloriam dæmon vidit, & inuidit. Et, Cain munera Deus non reſpicit, quia illum deſpicit. Et, Magna ſuperbia eſt vti datis, quaſi innatis. Sic multa alia apud eundem.

Tertia claſſis ex figuris verborum, quæ contrarijs nominibus aut rebus conſtant.

Cap. X.

Tertivs figurarum ordo contrariorum proportione conſtat: in quibus tantum ineſt leporis & gratiæ, vt quocunque ferè modo contraria copulentur, ornamenti plurimum orationi afferant: neque iucundam modò, ſed acrem interdum efficiant. Tale eſt illud in Catilinam: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Nec minorem vim & acrimoniam habet illud Cypriani in Epiſtola ad Cornelium contra Nouatianos. Sic enim ait: An ad hoc, frater chariſſime, deponenda eſt Eccleſiæ Catholicæ dignitas, & ſacerdotalis authoritas ac poteſtas, vt iudicare velle ſe dicant de Eccleſiæ præpoſito extra Eccleſiam cõſtituti, de

Chriſtiano hæretici, de ſano ſaucij, de integro vulnerati, de ſtante lapſi, de iudice rei, de ſacerdote ſacrilegi? Hactenus ille. Nec minori acrimonia Iſaias aduerſus ſuperbum atque laſciuum fœminarum ornatum ait: Et erit pro ſuaui odore fœtor, pro zona funiculus, pro crine criſpane caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium. Sed quoniam hæc figura ornatiſſima eſt, pluribus à nobis exemplis illuſtranda erit: vt hac ratione multiplex eius vſus intelligi poſſit. Cyprianus, Gratulandum eſt, inquit, cum improbi de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oues Chriſti ſæua ſua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Idem: Quemadmodũ Sathanas trãsfigurat ſe velut in angelum lucis: ita miniſtros ſuos ſubornat, velut miniſtros iuſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti: vt dum veriſimilia mentiũtur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur. Idem ſerm. de Eleemoſyna: Dei filius, hominis filius eſſe voluit, vt nos filios Dei faceret. Humiliauit ſe, vt populum, qui prius iacebat, erigeret. Vulneratus eſt, vt vulnera noſtra ſanaret. Seruiuit, vt ad libertatem ſeruientes extraheret. Mori ſuſtinuit, vt moriens immortalitatem mortalibus exhiberet. Idem etiam ſermon. de Patientia, de admiranda Domini Saluatoris patientia ſic ait: Sub ipſa autem paſſionis hora, quæ conuitiorum probra, quæ contumeliarum tolerata ludibria? vt inſultan-

tium ſputamina patienter exciperet, qui ſputo ſuo cæci oculos paulò ante formauerat: & cuius in nomine nũc à ſeruis eius Zabulus cum Angelis ſuis flagellatur, flagella ipſa pateretur: coronaretur ſpinis, qui martyres floribus coronat æternis: palmis in faciem verberaretur, qui palmaſ vincentibus tribuit: ſpoliaretur veſte terrena, qui indumento immortalitatis cæteros veſtit: cibaretur felle, qui cibum cæleſtem dedit: potaretur aceto, qui poculum ſalutare propinauit. Hac eadem figura Apoſtolus vſus eſt, cum ait: Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus. Dei quoque Filius apud Eſaiam in hoc ſe à Patre miſſum eſſe teſtatur, vt lugentibus daret coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Eſt etiam pulcherrimum illud contrariorum genus, quo D. Baſilius in laudem Martyrum vtitur his verbis: Pericula non reſpicit Martyr, coronas reſpicit: plagas non horret, ſed præmia numerat: non videt lictores infernè flagellantes, ſed Angelos supernè lætos hominibus acclamantes: non ſpectat ad temporalia pericula, ſed ad præmiorum æternitatem.

1. Cor. 4

Eſa. 61.

Cohabitatio.

Eſt etiam cohabitatio, qua cõtraria in eadem re, vel perſonæ ſimul coniunguntur: quod fieri poſſe ſub diuerſis rationibus Dialectici concedunt. Sic Lactantius de Phenice poſt mortem exurgente ait: Ipſa quidem, ſed non eadem: quia eſt ipſa, nec ipſa eſt: Æternam vitam mortis adepta bono. Tale eſt illud Herennianæ Rhetoricæ: Ades, adeſſe vis: abes, reuerti cupis. In

pace

pace bellum quæritas, in bello pacem deſideras. Sic D. Gregorius, Dedignantur, inquit, iuſti, ſed non dedignantes: deſperant, ſed non deſperantes: perſecutionem commouent, ſed amantes.

Paradiaſtole.

Huic contraria eſt Paradiaſtole. Sicut enim illic contraria copulantur, ita hic ſimillima diſcernuntur. Hac elegantiſſima figura elegantiſſimè Apoſtolus vſus eſt, cùm ait: In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: operimur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non relinquimur: humiliamur, ſed non confundimur: deijcimur, ſed non perimus. Sic D. Cyprianus ſimilia hoc modo diſiungit: Aliud eſt, inquit, martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſſe martyrium. Sic etiã Seneca de homine deſide & otioſo loquens: Non, inquit, diu vixit, ſed diu fuit. Idem, Pergimus, inquit, non quò eundum eſt, ſed quò itur: nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem viuimus. Et dum vnuſquiſque mauult credere, quàm iudicare, nunquam de vita iudicatur, ſemper creditur. Et iterum: Quæramus quid optimum factu ſit, non quid vſitatiſſimum. Itemq;, Opes, inquit, meas fortuna abſtulit, nõ auulſit. Item D. Auguſt. Sic diligendi ſunt homines, vt eorũ non diligantur errores: quia aliud eſt amare quòd facti ſunt, aliud odiſſe quod faciunt. Item D. Cyprian. Nos autem fratres chariſſimi, qui Philoſophi non verbis, ſed factis ſumus, nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus: qui virtutum magis conſcientiam, quàm iactantiam nouimus: qui non loquimur magna, ſed viuimus quaſi ſerui & cultores Dei patientiam, quam magiſterij cæle- *Cypr. de ſeru. patien.*

ſtibus diſcimus, obſequijs ſpiritualibus præbeamus. Hactenus ille. In epiſtola verò, quam preſbyteri Romani ad eundem Cyprianum de lapſis miſerunt, ſic inter cætera ſcribunt. Maximè illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inuerecunda. Pulſent ſanè fores, ſed non vtique confringant: adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non vtiq; vt tranſiliant: caſtrorum cæleſtium excubent portis, ſed armati modeſtia, qua intelligant ſe deſertores fuiſſe: reſumant precum ſuarum tubam, ſed qua non bellicum clangant. In his exemplis apertè liquet, quæ ſimilia videntur, ratione diſiungi, & quantum inter ſe differant, explicari.

Contrarium in ſententijs.

Eſt etiam Contrarium in ſententijs, quod Dialectici inter ea argumenta, quæ à contrarijs ducuntur, referunt. Quia tamen hoc genus argumentationis cæteris ornatius eſt, inter ornationes collocatur. Tale eſt illud: Nam qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quomodo alienis rebus amicum fore ſperes? Item: Nam quem in amicitia perfidioſum eſſe cognoueris, eum quare putes inimicitias cum fide habere poſſe? Ad hoc etiam genus Contrarij argumenta ab imparibus, hoc eſt, à maiori & minori referuntur hoc modo: Quos ex collibus deiecimus, cum ijs in campo metuimus dimicare? Qui cùm plures erant, paucis nobis exæquari non poterant: hi poſtquam pauciores ſunt, metuimus ne ſint ſuperiores?

Contentio.

Huic autem figuræ finitima eſt Contentio: quæ non tam ex contrariis, quàm ex imparium

circunſtantiarum cõparatione conſtat, quæ quidem ſicut & præcedens magis ad ſententiarum, quàm ad verborum figuras pertinet. Quia tamẽ contrarij ſpeciem habet, his eam adnectere docendi gratia voluimus. Ea verò frequentiſſimè vtimur, cùm propoſita ſimilitudine aut exemplo, quo aliquid vel probare volumus, vel amplificare, vtriuſque rei circunſtantias excutimus: vt oſtendamus id, quod intendimus, aut par, aut minus, aut maius eſſe. Sic Cic. pro lege Manil. Maiores, inquit, noſtri ſępè pro mercatoribus aut nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerũt: vos tot ciuium Romanorum millibus vno nuncio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati, quòd erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: vos eum Regem tutum eſſe patiemini, qui legatum populi Romani conſularem, vinculis, ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necauit? illi libertatem ciuium Romanorum imminutam non tulerunt, vos vitam ereptam negligetis? Ius legationis verbo violatũ illi perſequuti ſunt, vos legatum Popul. Roman. omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? ſubiecit deinde concluſionem his verbis: Videte ne vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperij gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri & conſeruare non poſſe. Verùm de hac contentione paulò fuſius, cùm de exemplorum tractatione agendum erit, diſſeremus.

Commutatio.

Ad hoc genus contrariorum pertinet cõmutatio, quæ Græcè dicitur Antimerabole. Ea verò eſt,

cùm duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ex traiectione ita efferuntur, vt à priore poſterior contraria priori proficiſcatur, hoc modo: Eſſe oportet, vt viuas: non viuere, vt edas. Item: Ea re poëmata non facio, quia cuiuſmodi volo, non poſſum: cuiuſmodi poſſum, nolo. Item: Quæ de illo dicuntur, dici non poſſunt: quæ dici poſſunt, nō dicuntur. Item: Si poëma, loquens pictura eſt: pictura, tacitum poëma debet eſſe. Item: Quia ſtultus es, ea re taces, non tamē quia taces, ea re ſtultus es. Item in ſacris literis: Nequaquam Dominus propter locum gentē elegit, ſed propter gentem locum. Itē Sedulius: Nā ſabbata propter cōdita ſunt hominem, non homo ſabbata propter.

Quarta claſsis de reliquis verborum figuris.

CAP. XI.

POſt hæc tria figurarum genera, quæ proportione quadam verborum ſibi inuicem reſpondentium conſtare diximus, ſupereſt quartum genus figuratum, in quibus non ita apertè hæc porportio deprehenditur: quanuis nō prorſus ea careat. Hoc enim præcipuè figuræ verborum à ſententiarum figuris diſtant, quòd in eis ſic verba collocantur, vt quandam proportionis imaginem præſeferant: vnde venuſtas omnis atque iucunditas orationis manat. Quò fit, vt huiuſmodi verborum figuræ ad delectandum plurimum conferant: quæ res inter tria orationis officia numeratur.

Adiunctio.

Inter has ergo figuras prima eſt Adiunctio, quæ Græcè Zeugma dicitur: in qua vnū ad ver-

bum, quod primum aut poſtremum collocatur, plures ſententiæ referuntur : quarum vnaquæque deſideraret, ſi ſola poneretur. Fit autem præpoſito verbo, ad quod reliqua reſpiciant, hoc modo : Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationē amentia: aut poſtpoſito, quo plura clauduntur. Nec enim is es Catilina, vt te, aut pudor vnquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit. Medium quoque poteſt eſſe, quod & prioribus & ſequentibus ſufficiat : vt, formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate. Quia verò in his tribus locis verbum illud collocari poteſt, in principio videlicet, medio, & fine, tres zeugmatis ſpecies Græci fecerunt, nempe Protozeugma, Meſozeugma, & Hyperozeugma : quibus hanc differentiam ſignificarent.

Diſiunctio.

Huic contraria eſt Diſiunctio, quæ vnicuique orationis membro ſuum verbū apponitur, cùm tamen vnum aliquod toti orationi ſufficere potuiſſet. Vt autem illa figura breuius, ita hac ornatius & elegantius dicimus. Sic D. Cyprianus contra Demet. Quid, inquit, cùm terrenæ carnis imbecillitate contendis ? Cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem deſtrue, diſceptatione, ſi potes, vince. Idē ſermo. de mortalit. Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido : ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio : ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat. Item Cicero pro Archia de ſtudijs ſuis loquens ſic ait ; Me autem quid pudeat, qui tot annos ita viuo, vt ab illis nullo me vnquam tempore aut commodum, aut otium meum abſtraxerit,

aut voluptas auocarit, aut deniq; ſomnus retardarit. Et in eadem oratione: Homerũ Colophoni ciuem eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verò eſſe ſuum confirmant.

Diſtributio.

Diſtributio duplex eſt: altera in ſententiis, quæ inter ſententiarum figuras reddetur: altera in verbis, quæ eſt huius loci propria: & ſuperiori, hoc eſt, adiũctioni finitima, niſi quòd eſt multò ornatior. Sed illa quidem plura verba idem ſignificantia repetit, hæc verò diuerſa, ſiue verba, ſiue nomina rebus accommodatiſſima iungit. Quo in genere vt frequentiſſimus, ita elegantiſſimus eſt D. Cyprian. Hinc in Epiſt. ad Donat, de prauæ conſuetudinis violentia loquens, ſic ait: Tenacibus ſemper illecebris neceſſe eſſe (vt ſolebat) vinolentia inuitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Idem de habit. Virg. Cœleſtis hominis imaginem Virgines portant, ſtabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad ſuſtinendam iniuriam mites, ad faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace vnanimes atque concordes. Idem contra Demetri. Qui alios, inquit, iudicas, aliquando eſto tibi iudex. Conſciẽtiæ tuæ latebras intuere: aut enim ſuperbia inflatus es, aut auaritia rapax, aut iracũdia ſæuus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut liuore inuidus, aut libidine inceſtus, aut crudelitate violentus: & miraris in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cùm creſcat quotidie quod puniatur? Idem Serm. de patien. exemplo Domini in ingratos etiam beneficia conferre

ſuadet his verbis: Videmus inſeparabili æqualitate patientiæ nocentibus & innoxiis, religioſis & impiis Dei nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſſium, fructus miteſcere vinearum, exuberare pomis arbuſta, nemora frondeſcere, prata virere.

Interpretatio.

Pertinet etiam ad figuras verborum Interpretatio, quam Græci Synonymiam appellant: cùm inſtandi, augendi, & interdum etiam apertius dicendi cauſa plura verba idem significantia congregantur. Sic D. Cyprianus Serm. de lapſis. Doleo fratres, doleo vobiſcum. Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuoſa participio. Cum plangentibus plãgo, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo. Iaculis illis graſſantis inimici mea membra ſimul percuſſa ſunt: ſæuientes gladij per mea viſcera tranſierunt. Idem Serm. de liuore: Si receſſerunt de pectore tuo tenebræ, ſi nox inde diſcuſſa eſt, ſi caligo deterſa eſt, ſi illuminauit ſenſus tuos ſplendor diei, ſi homo lucis eſſe cœpiſti, quæ ſunt Chriſti ſequere: quia lux & dies Chriſtus eſt. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis? quid inuidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen extinguis? Item Cicero: Quæ cùm ita ſunt Catilina, perge quò cœpiſti: egredere aliquando ex vrbe. Patent portæ: proficiſcere Idem de eodem, Abiit, exceſſit, erupit, euaſit. Et etiam pulcherrima illa Hieronymi Vidæ cum Deo in hymno loquẽtis interpretatio.

Sisque aliis metus, vt libet, ac formidinis horrer i

At mihi blandus amor, mihi ſis placidiſsimus ardor:
Noctes atque dies toto te pectore verſem.
Te ſine, mihi dulce nihil ſit te præ omnibus optem,
Vnum deperеam: totis hunc ſenſibus æſtum
Implicitem: hunc imis exardens oſsibus hauriam,
Hoc mihi ſoluantur flagrantes igne medullæ:
Hos mihi mens vnos ſemper ſuſpiret amores.

Verborum autem idem ſignificantium copia (quæ ad hãc figuram cum primis neceſſaria eſt) non modò ſynonymia, ſed etiam tropis, ac præcipuè metaphoris & allegoriis paratur: quando quod propriis verbis enunciatũ eſt, metaphoricis ſignificamus. Quale eſt illud eiuſdem Hieronymi Vidæ cum Domino agentis:

Nam quanuis hominem admoneas, foueaſq; tegaſq;
Quodlibet audẽdi eſt tamẽ omnibus æqua poteſtas,
Et nobis laxas noſtri vſque relinquis habenas.

Hic poſtremus verſiculus idem allegoricè aut metaphoricè dicit, quod duobus præcedentibus propriis verbis enunciauerat.

Neque verba modò, ſed ſenſus quoque idem facientes aceruantur, qualeeſt illud: Perturbatio iſtum mentis, & quædam ſcelerum obfuſa caligo, & ardentis furiarum faces excitarunt.

Mixta quoque, & idem & diuerſa ſignificantia, hoc eodem modo coniunguntur. Cyprian. de habitu Virg. Si tu te ſumptuoſius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuẽtutis illicias, ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, peccandi fomenta ſuccendas, vt & ſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis & pudica.

Hoc in loco monendus eſt concionator, ne pluribus verbis idem ſignificantibus eandē ſententiam oneret: niſi vel augendæ rei, vel alicuius obſcurioris ſententiæ explicandæ gratia, quæ niſi hoc modo exprimi ſatis non poteſt. Quod quidam parum aduertentes, plura verba idem pollentia temerè congerunt: quæ res dicenti fidem abrogat, propterea quòd magnam oſtentationis & affectationis ſignificationem det.

Congeries vel Synathriſmus.

Finitima eſt huic figuræ Synathriſmus, cuius inter amplificandi rationes meminimus: niſi quòd interpretatio eſt vnius verbi multiplicatio. Synathriſmus verò multarum rerum congeries: qua in augendis & amplificandis rebus præcipuè vti ſolemus. In qua plura ſiue verba, ſiue commota, ſiue membra orationis interpoſitis coniunctionibus, aut etiam ſublatis (quod eſt acrius) coniunguntur. Cypri. contra Demet. Innoxis, iuſtos, Deo charos domo priuas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, gladio, beſtiis, ignib. punis. Idem de ſimpli. Præla. Quam verò vnitatem ſeruat, quam dilectionem cuſtodit, qui diſcordiæ furore veſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſſipat, ſacramentum prophanat? Ad hoc genus pertinet illud Eſaiæ: In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, *Eſaia. 3* lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & cæt. Simile eſt & illud Apoſtoli: Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus,

& laboramus, operantes manibus noſtris. Verùm hæc figura Frequentationi (de qua poſterius erit ſermo) admodum ſimilis, ad ſententiarum figuras magis pertinere videtur. Eius autem vſus in augendo & amplificando potiſſimùm cernitur. Eſtque hæc amplificandi ratio maximè naturalis, & cuique vel imperito obuia, qua videlicet in vna re multa ineſſe dicimus, quæ illam augeant & exaggerant. Hactenus de verborum figuris: nunc ad ſententiarum figuras, in quibus vt minor iucunditas, ita maior vis dicendi eſt.

De figuris Sententiarum, ac primùm de his, quæ ad docendum magis pertinere videntur.

Cap. XII.

In 4 de doct. Chriſtian.

CVM tria ſint (vt Diuus Auguſtinus ait) præcipua concionatoris officia, nempe docere, flectere, & delectare, (de quibus ſuo loco dicemus) omnes figuræ tum verborum, tum ſententiarum in loco additæ hæc tria maximè præſtant. Exempli gratia: Tranſitio ad docendum præcipuè pertinet: quæ quid dictum ſit, & quid ſit dicendum, perſpicuitatis gratia breuiter exponit. Eadem autem vim & acrimoniam orationi adiungit hoc modo: Audiſtis grauiſſima, audietis grauiora. Quædam tamen inter figuras ſunt, quæ magis ad delectandum, quàm ad docendum, aut flectendum accommodantur: quales ſunt verborum figuræ (de quibus hactenus locuti ſumus) quanuis nonnullæ inter eas vim & acrimoniam habeant: qualis Repeti-

tio, Conduplicatio, Interpretatio, & Synathriſmus, ſiue Congeries eſt. Contraria verò (vt propoſita exempla declarant) non modò magnam venuſtatem, ſed vim etiam & acrimoniam habent. At Sententiarum figuræ minus fortaſſe ad delectandum valent: ad docendum tamen atque flectendum plurimum conducunt: ideoque illas perſpicuitatis gratia in duas claſſes diuiſimus: quarum prior eas figuras continet, quæ magis ad docendum pertinent: poſterior verò, quæ ad flectendum magis, hoc eſt, ad inſtandum, & animos commouendos magis ſeruiunt: quanuis non abnuam pleraſque earum ad omnia ſimul conferre. Nam & exempla & ſimilia aliquando rem aperiunt & perſpicuam faciunt: aliquando orationem ornant atque delectant: quandoque verò rem amplificant & augent: quo nomine inter amplificandi rationes (vt ſuo loco expoſuimus) numerantur, Sic etiam rerum & perſonarum deſcriptiones non ad flectendũ modò (quod earum præcipuum eſt) ſed interdum etiam ad docendum & delectandum adiuuant.

Prima claßis de figuris ſententiarum, quæ maximè ad docendum pertinent.

Cap. XIIII.

Diffinitio.

DIffinitionem conſtat inter locos argumentandi collocari. Eadem tamen inter ſententiarum figuras ponitur, quia non ſolũ ad perſpicuitatẽ (quod eius eſt propriũ) ſed etiam ad orationis ornatum non parũ conducit. Ea verò eſt, quæ rei alicuius proprias amplecti-

tur poteſtates breuiter & abſolutè, hoc modo: hoc Maieſtas Reipub.eſt, in qua continetur dignitas & amplitudo ciuitatis. Item, Iniuria ſunt, quæ aut pulſatione corpus, aut conuitio aures, aut aliqua turpitudine vitam cuiuſpiam violant. Item, Non eſt iſta diligentia, ſed auaritia: ideo quòd diligentia eſt accurata conſeruatio ſuorum, auaritia iniurioſa appetitio alienorum. Item, Non eſt iſta fortitudo, ſed temeritas: propterea quòd fortitudo eſt contemptio laboris & periculi cum ratione vtilitatis, & compenſatione commodorum: temeritas eſt cum inconſiderata laborum perpeſſione gladiatoria periculorum ſuſceptio. Hæc igitur commoda putatur exornatio, quod omnem rei cuiuſpiam vim & poteſtatem ita dilucidè proponit, & breuiter explicat, vt neque pluribus verbis oportuiſſe dici videatur, neque lucidius potuiſſe dici putetur.

Hæc autem breuis & abſoluta definiendi ratio ex Dialecticorum officina deſumpta eſt. Eſt autem alia longior atque copioſior laudis aut vituperationis cauſa aſſumpta, quæ ad Rhetores magis pertinet. Vituperationis, vt Cyprianus in epiſt. ad Cornel. de Nouatiano loquens, Magis, inquit, durus ſecularis Philoſophiæ prauitate, quàm Philoſophiæ Dominicæ lenitate pacificus, deſertor Eccleſiæ, miſericordiæ hoſtis, interfector pœnitētiæ, doctor ſuperbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis. Laudādi verò gratia idē Cyp. de habitu virginum diſciplinam hoc modo definit: Diſciplina cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper, ac iugiter in Deo viuere, ad

promiſſa cæleſtia & diuina præmia peruenire. Idem de oratione Dominica, Euangelica præcepta, inquit, nihil ſunt aliud, quàm magiſteria diuina, fundamenta ædificandæ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris inſtruunt, ad cæleſtia regna perducunt.

Diuiſio.

Diuiſio quoque, ſicut diffinitio, inter locos argumentandi ponitur. Quæ quoniam & perſpicuitatem & ornatum quendam orationi addit, inter ſententiarum figuras collocatur. Ea verò res omnes aliquando in formas ſiue ſpecies, aliquando in partes diſtribuit. Ab ea verò ſic argumentum ducitur: Duæ res ſunt, quæ poſſunt homines ad turpe compendium commouere, inopia, atque auaritia. Te auarum in fraterna diuiſione cognouimus: inopem atque egentem nũc videmus: qui potes igitur oſtendere cauſam maleficij non fuiſſe? Inter hanc diuiſionem, & illam, quæ de partibus orationis tertia eſt (de qua alibi diximus) hoc intereſt: illa diuidit per enumerationem, aut per expoſitionem, quibus de rebus in tota oratione diſputatio futura ſit: hæc ſe ſtatim explicat, & breui duabus, aut pluribus partibus ſubijciens rationes, exornat orationem.

Eſt etiam diuiſionis quædam ſpecies in his D. Cypriani verbis: Primus eſt victoriæ titulus, Gẽtilium manibus apprehenſum dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus eſt, cauta ſeceſſione ſubtractum, domino reſeruari: illa publica, hæc priuata confeſſio eſt.

Subiectio.

Subiectio inter argumentorum formas poſita eſt, quod vim habeat argumentandi. Eadémque inter figuras numeratur, quòd ornatiſſima ſit. Qua frequenter in Confutatione vtimur, cùm ijs, quæ contra nos obijci poſſunt, breui rationis ſubiectione reſpondemus. Sic enim D. Hieronymus, in Epiſtola ad Heliodorum, qua illum ad eremiticam vitam hortatur, tacitis obiectionibus reſpondet, hoc modo: Paupertatem times? ſed beatos Chriſtus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitas? ſed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exeſa ieiuniis membra collidere? ſed Dominus tecum iacet. Squallidi capitis horret inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas terret? ſed tu paradiſum mente deambula. Quotieſcunque illuc cogitatione conſcenderis, toties in eremo non eris. Scabra ſine balneis attrahitur cutis: ſed qui in Chriſto ſemel lotus eſt, non illi neceſſe eſt iterum lauare. Et vt breuiter ad cuncta audias
Rom. 8. Apoſtolum reſpondentem: Non ſunt, inquit, condignæ paſſiones huius ſeculi ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hactenus Hieronym. D. verò Cyprian. hac eadẽ figura beatiſſimos Chriſti confeſſores ad fodienda metalla damnatos, commendat & laudat his verbis: Non fouetur in metallis lecto & culcitris corpus, ſed refrigerio & ſolatio Chriſti fouetur. Humi iacent feſſa laboribus viſcera, ſed pœna nõ eſt cum Chriſto iacere. Squallent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia: ſed ſpiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus: at non in pane ſolo vi-

uit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt: ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt. Semitonſi capitis capillus horreſcit: ſed cùm ſit caput viri Chriſtus, qualecunque caput illud deceat, neceſſe eſt, quod ad Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas deteſtabilis & fœda Gentilibus, quaſi ſplendore penſabitur?

Diſtributio.

Diuiſioni finitima eſt Diſtributio, quam inter verborum figuras retulimus. Eſt autem diſtributio alia in ſententiis, cùm in plures res, aut perſonas certas negotia quædam diſpertiuntur, hoc modo: Qui veſtrum Iudices nomen Senatus diligit, hunc oderit neceſſe eſt: petulantiſſimè enim ſemper iſte oppugnauit Senatũ. Qui equeſtrem locum ſplendidiſſimum cupit eſſe in ciuitate, is oportet iſtum maximas pœnas dediſſe velit, ne iſta ſua turpitudine ordini honeſtiſſimo maculæ atque dedecori ſit. Qui parentes habetis, oſtendite in iſtius ſupplicio vobis homines impios non placere. Quibus liberi ſunt, ſtatuite exemplum, quantæ pœnæ in ciuitate ſint hominibus huiuſmodi comparatæ. Item, Senatus officium eſt, conſilio ciuitatem iuuare. Magiſtratus officium eſt, opera & diligentia conſequi voluntatem Senatus. Populi officium eſt, res optimas & homines idoneos ſuis ſentẽtiis eligere, & probare. Accuſatoris officium eſt, inferre crimina: defenſoris, diluere & propulſare. Teſtis eſt, dicere quæ ſcierit, aut audierit. Quæſitoris eſt vnũquenq; horũ in officio ſuo continere. D. quoq; Cypr. ſer. de lapſis, de corruptis ſeculi ſui moribus, ſic ait: Nõ in ſacerdotibus religio deuota, nõ

in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium callidæ fraudes, circunueniendis fratribus ſubdolæ voluntates. Ad hunc modum Ezechiel Propheta cap. 22. varia ætatis ſuæ crimina, & corruptam perſonarum omnium diſciplinam moréſque deſcribit. Contra verò Apoſtolus quinto & ſexto cap. Epiſtol. ad Epheſ. variorum ſtatuum perſonas, hoc eſt, viros, vxores, filios, parentes, ſeruos, atque dominos ad virtutum officia vnicuiq; debita hortatur. Quod vtinam noſtri ſeculi concionatores frequenter in concionibus ſuis facerent: vt quid quiſque in ſtatu ſuo perſequi deberet, voce concionatoris agnoſceret. Eſt & illa non in elegans, neque infrequens Diſtributionis ſpecies, qua frequenter in deſcriptionibus vtimur: qualis eſt illa Naſonis:

Iámque alíis poſita demonſtrat prælia menſa,
Pingit & exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simoïs, hîc eſt Sigeia tellus!
Hîc ſteterat Priami regia celſa ſenis.
Illic Æacides, illic tendebat Vlyſſes:
Hîc latet amiſſos terruit Hector equos.

Sic etiam Maro varios terrarum fructus deſcribens, ait:

Hîc ſegetes, illic veniunt felicius vuæ.
Arborei fœtus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina. Nónne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?
Et Chalybes nudi ferrum, vnóque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epirus equarum?

Diuus verò Cypria. in Epiſt. ad Donat. vtrãque Diſtributionis ſpeciem coniungit his verbis: Flagrant vbique delicta, & paſſim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic teſtamentum ſubijcit, ille falſum capitali fraude conſcribit: hic arcentur hereditatibus liberi, illic bonis donantur alieni. Inimicus inſimulat, calumniator impugnat; teſtis infamat, vtrobique graſſatur in mendacium criminum proſtitutæ vocis venalis audacia.

Ratiocinatio.

Ratiocinatio duplex eſt: altera, quæ amplificationi ſeruit, quam à Fabio hoc nomine appellari ſuperius diximus: altera, quæ inter ſententiarum figuras numeratur, ſubiectioni (de qua modò diximus) admodũ ſimilis: niſi quòd ſubiectio inter argumentationum formas collocatur, ideoque partes omnes interrogando enumerat, vt ad vnam aliquam perueniat: ratiocinatio autem huic partium enumerationi adſtricta non eſt, quanuis illius ſpeciem interrogando & reſpondendo referat. Ea verò eſt, per quam nos ipſi à nobis rationem poſcimus, quare quidque dicamus, & crebrò noſmet à nobis petimus, vniuſcuiuſque propoſitionis explanationem. Ea eſt huiuſmodi: Maiores noſtri, ſi quam vnius peccati mulierem damnabant, ſimplici iudicio multorum maleficiorum cõuictam putabant. Quo pacto? Quoniam quam impudicam iudicarãt, eam veneficij quoque damnatam exiſtimabant. Quid ita? quia neceſſe eſt, eam, quæ ſuum corpus addixerit turpiſſimæ cupiditati, timere permultos. Quos iſtos? Virum, parentes, cęteros, ad quos videt ſui dedecoris infamiam pertinere. Quid po-

ſtea? Quos tantopere timeat, eos neceſſe eſt, vt quoquo modo poſſit, veneficio petat. Cur? Quia nulla poteſt honeſta ratio retinere eam, quã magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris incõſideratam. Quid veneficij damnatam? Putabant impudicam quoque neceſſariò. Quare? Quia nulla facilius ad id maleficium cauſa, quàm turpis amor & intemperans libido commouere potuit: cùm cuius animus mulieris eſſet corruptus, eius corpus caſtum eſſe non putarint. Quid in viris? idémne hoc obſeruabant? minimè. Quid ita? Quia viros ad vnumquodque maleficium ſingulæ cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas vna ducit. Item: Bene maiores noſtri hoc comparauerũt, vt neminem regem, quem armis cepiſſent, vita priuarent. Quid ita? quia quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulò ante in ampliſſimo ſtatu collocarat. Quid quod exercitum contra duxit? Deſino meminiſſe. Quid ita? Quia viri fortis eſt, qui de victoria contendant, eos hoſtes putare: qui victi ſunt, eos homines iudicare: vt poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille ſi viciſſet, num idem feciſſet? non profectò tam ſapiens fuiſſet. Quid igitur ei parcis? Quia talem ſtultitiam contemnere, non imitari conſueui. Hæc exornatio ad ſermonem vehementer accommodata eſt: & animum auditoris reddit attentum, tum venuſtate ſermonis, tum rationum expectatione. Hoc exemplo ſatis liquet, qua ratione quiſque & interrogare, & ſibi ipſi reſpondere queat. Eſt autem (vt dixi) figura hæc ad concionãdi rationem vtiliſſima: propterea, quòd

naturam quodammodo Dialogi imitatur, & rectum orationis curſum atque impetum, quo auditores interdum fatigantur; Dialogi ſpecie atque varietate reficit. Quin etiam attentionem excitat: dum qui audiunt, ea, de quibus concioninator vel dubitat, vel requirit, ipſi etiam ſimili ratione dubitare, & reſponſionem expectare coguntur: atque in hunc modum variis interrogationibus & reſponſionibus ineſcantur ac detinentur. Id adeò verũ eſt, vt non defuerint auctores non pœnitendi, qui conciones, quas literis mandauerunt, in Dialogorum ſpeciem & formam retulerunt. Cuius rei cum multæ ſint commoditates, non poſtrema illa eſt, quod cùm apta pronuntiationis varietas, variáque vocis figura auditores plurimum detineat, hæc interrogandi atque reſpondẽdi ratio magnam ex natura ſua varietatem, vt in ipſis rebus, ita in pronunciatione petit: vt res non tam in concione, quàm in ſcæna quodammodo agi videantur.

Diminutio.

Diminutio eſt, cùm aliquid eſſe in nobis, aut in ijs, quos defendimus, aut natura, aut fortuna, aut induſtria dicimus egregium: quòd ne qua ſignificetur, arrogans oſtentatio, diminuitur, & attenuatur oratione, hoc modo: Nam hoc pro meo iure Iudices dico, me labore & induſtria curaſſe, vt diſciplinam militarem: non in poſtremis tenerem. Hic ſi quis dixiſſet, vt optimè tenerem, tametſi verè dixiſſet, tamen arrogans viſus eſſet: nunc & ad inuidiam vitandam, & ad laudem comparandam ſatis dictum eſt. Item: Vtrum igitur auaritiæ cauſa, aut egeſtatis acceſſit ad maleficium? Auaritiæ? at largiſſimus fuit in amicos,

quod ſignum liberalitatis eſt, quæ contraria auaritiæ eſt. Egeſtatis? at huic quidem pater, nolo nimium dicere, non tenuiſſimum patrimonium reliquit. Hic quoque vitatum eſt, ne magnum aut maximum diceretur. Tale eſt illud D. Cypriani in Epiſtola ad Donat. Cæterùm quale vel quantum eſt, quod in pectus tuum veniat ex nobis? Exilis ingenij anguſta mediocritas, admodum fruges parit: nulliſque ad fœcundi ceſpitis culminibus ingraueſcit. Aggrediar tamen facultate, qua valeo.

Commemoratio.

Commemoratio eſt, cùm in loco firmiſſimo, quo tota cauſa continetur, manetur diutius, & eodem ſæpius reditur. Hac vti maximè conuenit, & id eſt oratoris boni maximè proprium. Non enim datur auditori poteſtas animum de re firmiſſima dimouendi. Huic exemplum ſatis idoneum ſubijci non potuit: propterea quòd hic locus non eſt à tota cauſa ſeparatus, ſicut membrum aliquod, ſed tanquam ſanguis perfuſus eſt per totum corpus orationis. Hac vti Eccleſiaſtes poterit, cùm rem aliquam ad ſalutem maximè neceſſariam auditorum animis infigere cupit: vt hac repetita admonitione, rei dignitatem & neceſſitatē intelligant. Sic Diuus Hieron. in Epiſtola ad Demetriadem. Finem, inquit, iunge principio, nec ſemel monuiſſe contentus. Ama ſcientiam ſcripturarum, & amabit te ſapientia. Hoc autem Apoſtolum Timotheo præcepiſſe arbitror, cùm dixit: Inſta opportunè & importunè.

Frequentatio.

Finitima eſt huic figuræ Frequentatio, cùm res

in tota cauſa diſperſæ coguntur vnum in locum, quo grauior, aut acrior, aut criminoſior ratio ſit, hoc pacto: A quo tandē abeſt iſte vitio? quid eſt, Iudices, cur velitis eũ liberare? Suæ pudicitiæ proditor eſt, inſidiator alienæ, cupidus, intemperans, petulans, ſuperbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infeſtus in cognatos, in ſuperiores contumax, in æquos & pares faſtidioſus, in inferiores crudelis, denique in omnes intolerabilis. Hac figura in fine concionis vti poſſumus, præſertim in ſuaſorijs concionibus, cùm argumenta omnia, quæ in tota concione tractauimus, breuiter in vnũ colligimus: vt velut agmine facto in animos adiutoriũ irrumpamus, & illis vim quodammodo inferamus. qua de re in ſuperiori libro diximus, cum de ſuaſorij generis partibus ageremus. Neque in fine ſolùm cõcionis, ſed in eius etiam partibus, vbi longa aliqua diſputatio, vel argumentatio abſoluta fuerit, auditorum memoriam refricare hac eadem figura licebit, non ſolùm vt meminerint, ſed etiam vt vi argumentorum aſſentiant & conuincantur. Quo in genere non grauiora modò, ſed etiam leuiora argumenta colligenda ſunt. Feriunt enim, ſi non vt fulmine, certè vt grandine. Eadē etiam figura ad amplificandum aptiſſima eſt: quando omnia, quæ rem augent, in vnum ſimul cogit. Qua de re ſuperius dictum eſt.

Breuitas.

Breuitas eſt res, ipſis tantummodo verbis neceſſarijs expedita, hoc modo: Lemnum præteriẽs cepit: inde Tarſi præſidium reliquit: poſt vrbem in Bithynia ſuſtulit: inde pulſus in Helleſpontũ, ſtatim potitur Abydo. Item: Modò Cõ-

ſul, quondam Tribunus, deinde primus erat ciuitatis. Tum proficiſcitur in Aſiam: deine exul & hoſtis eſt dictus: poſt Imperator, poſtremò Conſul factus eſt. Habet paucis cõprehenſa breuitas multarum rerum expeditionem. Quare adhibenda ſæpè eſt, cùm tempus non ſinit commorari, aut res non longa eget narratione. Qua de cauſa D. Ambroſius ſuper Lucam multa breui comprehendit his verbis. Non ſolùm ab Angelis & paſtoribus, ſed etiam à ſenioribus & iuſtis generatio Domini accepit teſtimonium. Omnis ætas, & vterque ſexus, euentuumque miracula fidem aſtruunt. Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, magus adorat, vtero clauſus Ioannes exultat, vidua confitetur, iuſtus ſpectat. Hic videre licet, quàm multa paucis comprehenſa ſint: quia hoc ſatis erat ad id explicandum, quod ad rem propoſitam pertinebat. Quæ quidem oratio, quò breuior, eò ad augendum potentior eſt.

Secunda claſsis de figuris ſententiarum, quæ maiorem vim & acrimoniam habent.

CAP. XIIII.

SEquitur deinde altera claſſis de figuris ſententiarum: quæ quanuis ad omnia valeant, præcipuè tamen ad commouendos auditorum animo adiuuant. Maiorem quippe vim & acrimoniam, quàm præcedentes habent. Incipiamus igitur ab ea, quæ magis in vſu eſt, & ad plura valet, nempè interrogatione. Simplex eſt, ſic rogare: Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Figuratũ autẽ, quoties

non ſciſcitandi gratia aſſumitur, ſed inſtandi. Cypria. de ſimpli. Præla. Quid facit in pectore Chriſtiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum letale ſerpentum, & cruenta ſæuitia beſtiarum? Idem ibidem: Quam veiò vnitatem ſeruat, quam dilectionem cuſtodit, aut cogitat, qui diſcordiæ furore veſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſſipat, ſacramentum prophanat? Idem ſer. de liuore: Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis? quid inuidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen extinguis? quid ad Zabulum, cui renunciaueras, iterum redis? quid Cain ſimilis exiſtis? Nec minus vrget illa eiuſdem interrogatio in Ser. de lapſu: Putáſne tu Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, cuius tēplum ſacrilega contagione violaſti? Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Sed hæc exempla indignationi, ſequens verò, quod modò ſubijciam, admirationi & optationi magis ſeruit: quale eſt illud eiuſdem Ser. de Eleemo. Quæ illa erit fratres chariſſimi operantium gloria, quàm grādis & ſumma lætitia, cùm populum ſuum Dominus cœperit recenſere, & meritis atq; operib. noſtris prēmia promiſſa retribuere, pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna præſtare: Inſtat etiam illa eiuſdē interrogatio in Ser. de Mortali. Quis non peregrè conſtitutus properet in patriā regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinās, ventū proſperū cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam noſtrā Paradiſum computamus, parentes noſtros patriarchas habere iā cœpimus, quid non properamus & curri-

mus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſa-
lutare poſſimus?

Cæterùm, cùm præcipua orationis virtus exiſtat, vt non iners & languida, ſed viua & mobilis ſit, hoc quidem cùm aliæ figuræ, tum præcipuè interrogatio præſtat: quæ neque dicentem, neque audientem langueſcere aut dormitare ſinit. Semper enim acrior ſententia eſt, quæ interrogatione, quàm quæ ſimplici oratione effertur. Quæ eò eſt ornatior, quò & longior: qualis eſt pulcherrima illa Apoſtoli inductio variis exemplis & ſimilibus decurrens: Quis, inquit, militat ſtipendiis ſuis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc dicit? & cætera quæ hac eadem figura ſequuntur, atque etiam præcedunt.

Occupatio.

Occupatio eſt, cū dicimus non præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod tunc maximè dicimus. Cyprianus in Epiſtola ad Corn. Taceo de fraudibus Eccleſiæ factis: coniurationes, & adulteria, & varia delictorum genera prætereo. Vnum illud, in quo non mea, neque hominum, ſed Dei cauſa eſt, de eorum facinore non puto eſſe reticendum: quòd à primo ſtatim perſecutionis die, cùm recentia delinquentium facinora feruerent, & ſacrificiis nefandis non tantùm Diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ lapſorum atque ora fumarent, communicare cum lapſis, & pœnitentiæ agendæ intercedere non deſtiterunt. Hæc vtilis eſt exornatio, ſi aut rem, quam non pertineat aliis oſtendere, occultè admouiſſe

prodeſt, aut ſi longum eſt, aut ignobile, aut planum, aut non poteſt fieri, aut facilè poteſt reprehendi.

Præciſio.

Præciſio eſt, cùm dictis quibuſdam, reliquum, quod cœptum eſt dici, relinquitur in audientium iudicium, ſic: Mihi tecum præcertatio non eſt: Ideo quòd Popul. Roman. me: nolo dicere, ne cui fortè arrogans videar: te autem ſæpè ignominia dignum putauit. Item, Tu iſta non audes dicere, qui nuper alienæ domui ? non auſim dicere, ne cùm te digna vixero, me indignum quippiam dixiſſe videar. Hic atrocior tacita ſuſpicio, quàm diſerta explanatio facta eſt. Hac etiam figura Vates regius vehemens animi ſui deſiderium ſignificauit, cùm ait: Anima mea turbata eſt valdè, ſed tu Domine vſquequo ? Idémque alibi: Et calix meus inebrians. Non quod deinde ſequitur (quã præclarus eſt) ab interprete explicationis gratia adiectum eſſe oſtendit Hieronymi verſio ex Hebræo, quæ hac particula caret. Hac eadem figura Eccleſiaſtes in rebus indigniſſimis, quas ad ſummum dicendo perduxit, præciſa oratione interiecta, & in ipſo calore dicendi paululum moratus, ingentem animi affectum ſignificet: quem quia loquendo explicare non poteſt, ſilentio indicat. Quæ res cùm in veritate ex animo fit, vehementer auditores commouere ſolet. Diuus Hieronymus in Epiſtol. quorundam hominum vitia tectè caſtigans, neque quid ſignificare vellet, apertè explicans, hac breui præciſione ſententiam clauſis: Prudens mecum lector intelligis, quid taceam, & quid magis tacendo loquar.

Emphaſis.

Vicina huic Emphaſis, altiorem præbens intellectum, quàm quem verba per ſeipſa declarãt. Eius duæ ſunt ſpecies: altera, quæ plus ſignificat, quàm dicit: altera, quæ etiam id, quod non dicit. Prior eſt apud Ciceronem pro Ligario ad Cæſarem: Quòd ſi in tanta fortuna bonitas tanta non eſſet, quam tu per te, per te, inquam, obtines: intelligo quid loquar. Tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deeſſe homines, qui illum ad crudelitatem impellerent. Eſt in vulgaribus quoque verbis Emphaſis: Viſum eſſe oportet. Et, Homo eſt ille. Et in ſacris literis. Homo natus de muliere: Emphaſim habet mulier, quam explicuit D. Gregor. dicens: Quid in ſe habet fortitudinis, qui natus eſt de infirmitate? Item Apoſtolus ad Timoth. Hæc, inquit, meditare: in iis eſto. Vnico verbo (Eſto) multa comprehendit: ſtudium, curam, amorem, occupationem, diligentiam, & ſimilia. Omnes quippe animæ vires, & omne tempus, cæteris omnibus prætermiſſis, in hoc vno eſſe voluit. Emphaſis enim eſt, cùm dicimus. Hiſce oculis vidi, ne nega. Item cùm Abſalon famulis præcepit, vt Amon fratrem interficerent, adieciſſetque, Nolite timere: Ego ſum, qui præcipio vobis: verbum illud (Ego) Emphaſim habet. Sic etiã cum Saluator ait: Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, &c. Item cùm Apoſtolus ait: Det ei Dominus miſericordiam inuenire in die illa. Pronomen (illa) non vulgarem Emphaſim habet. Eſt autem non infrequens in literis ſanctis hæc figura: in qua excutienda non minima pars Theologicæ eruditionis poſita eſt.

Dubitatio.

Dubitatio eſt, cùm quærere videtur Orator, vtrũ de duobus potius, an quid de pluribus potiſſimum dicat, hoc modo: Obfuit eo tempore plurimum Reipu. Conſulum ſiue ſtultitiam, ſiue malitiam dicere oportet, ſiue vtrunque. Item: Tu iſtud auſus es dicere, homo omnium mortalium? quæro quonam te digno ac moribus tuis appellem nomine. Item D. Hieronym. Noſtri Doctores ita eloquentia ſuos refarcierunt libros, vt neſcias, quid in eis prius mirari debeas, an eruditionem ſeculi, an ſcientiam ſcripturarum. Item Cyprianus ad Chriſti Confeſſorem Celerinum, eundémque parentibus martyribus natum, ſic ait: Non inuenio quem beatiorem magis dicam, vtrúmne illos de poſteritate tam clara, an hunc de origine glorioſa. Item Euſebius Emiſſen. homil. de Natiuit. Domini: Quid primùm mirer, quidue poſtremum? quòd ſine conceptu eſt collata fœcunditas, an quod per partum magis eſt glorificata virginitas? Sed non mirum, ſi ita peperit: talis erat ille, cui nupſerat. Item D. Gregor. de Magdal. Quid igitur miramur fratres? Mariã venientem, an Dominum ſuſcipientem? ſuſcipiẽtem dicam, an trahentem? Dicam melius trahentem, & ſuſcipientem. Hac enim figura quærimus, quid dicamus, aut vnde incipiamus. Cypr. ſerm. de lapſu: Quid hoc loco faciam dilectiſſimi fratres, fluctuans vario mentis æſtu? quid, aut quomodo dicam? Lachrymis magis, quàm verbis opus eſt. Item Bernard. ad Eugenium: Vnde iam initium ſumam? Liber ab occupationibus tuis.

Conceſſio.

Conceſſio eſt, cùm aliquid ei, aduerſus quem diſputamus, concedimus: quod ita tamen concedimus, vt cauſæ atque propoſito noſtro non obſit, aut certè nihil illum iuuet, quod in ſententiæ ſuæ defenſionem adducit. Sic honoris cupidis concedimus, vt honorem quidem appetant, ſed verum tamen & ſolidum, non futilem & inanem. Sic etiam, vt opes quærant, non tamen fragiles & caducas, ſed in æternum permanſuras. Sic voluptates atque delicias permittimus, non turpes & carnales, quæ hominem in pecudem transforment, ſed ſpirituales & caſtas, quibus Angeli perfruuntur. Sic Eucherius Epiſcopus ad veræ vitæ amorem hortatur his verbis: Cupiditas vitæ nos delectatione rei præſentis innexuit. Ergo amantes vitam, hortamur ad vitam. Vera ratio eſt perſuadendi, cùm id poſcitur, vt impetremus à vobis, quod concupiſcitis. Pro vita, quam diligitis, legatione apud vos fungimur: & hanc, quam omnes exiguam amatis, inſinuamus, vt ametis æternam. Quam quo pacto amemus, neſcio, ſi non hanc, qua amamus, eſſe quam ſpecioſiſſimam cupimus: Itaque iſtud, quod cùm arctum ſit, placet, placeat magis, ſi poteſt eſſe perpetuum: & quod apud nos pretium habet, cùm finem habeat, ſit nobis ſupra pretium, ſi poteſt eſſe ſine fine. Hactenus ille. Item, Cyprianus de habitu Virginum: Locupletem te eſſe dicis & diuitem, & vtendum putas iis, quæ poſſidere te Deus voluit: vtere, ſed ad res ſalutares: vtere, ſed ad bonas artes: vtere ad illa, quæ Deus præcipit, quæ Dominus oſtendit. Diuitem te eſſe ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes. Patrimonia tuo Deo fœnera, Chriſtum

tiba. Poſſeſſiones tibi, ſed cæleſtes magis compara, vbi fructus tuos iuges ac perennes, & ab omni cōtactu iniuriæ ſecularis immunes, nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec ſol vrat, nec pluuia corrumpat. Idem etiam ſerm. de Mortal. ſic ait: Mori planè timeat, ſed qui ex aqua & ſpiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſſione cenſetur: mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit: mori timeat, quem de ſeculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur.

Adhortatio.

Adhortatio (vt ipſum nomen indicat) eſt, cùm plura monita atque præcepta, ſub vno orationis impetu ſimul coniungimus: quibus aliquid fieri, aut non fieri adhortamur. Eſt autem huiuſmodi adhortatio velut concluſio, qua poſt alicuius rei probationem aut amplificationem vti ſolemus: qua etiam (vt ante diximus) cōmodiſſimè de epilogo ſuaſoriæ concionis vtimur. Talis eſt illa Domini adhortatio apud Eſaiam poſt Iſraelitici populi ſcelera amplificata: qua præteritis & futuris malis remedium adhibet, his verbis: Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus. Cyprian. cōtra Demetrianum ſic argumentationem claudit: Reſpicite itaque, dum tempus eſt, ad veram & æternam ſa-

lucem: & quia iam mundi finis in proximo eſt, ad Dominum Deum mentes veſtras Dei timore conuertite. Deũ vel ſerò quærite: quia iam pridem per Prophetam præmonens hortatur,& dicit: Quærite Dominũ,& viuet anima veſtra. Credite illi, qui omnino non fallit: credite illi, qui hæc omnia futura prædixit: credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit: credite illi, qui incredulis æterna ſupplicia gehennæ ardoribus irrogabit. Idem ſerm. de liuore, poſt inuidiæ morbum amplificatum ſic orationem claudit. His meditationibus corroborandus eſt animus, fratres dilectiſſimi. Eiuſmodi exercitationibus contra omnia diaboli iacula firmandus. Sit in manibus diuina lectio, in ſenſibus Dominica cogitatio. Oratio iugis omnino nõ ceſſet. Salutaris operatio perſeueret. Spiritualibus ſemper actibus occupemur: vt quotieſcunq; inimicus acceſſerit, quoties adire tentauerit, & clauſum aduerſus ſe pectus inueniet & armatũ. Idémq; paulò poſt: Venena fellis euome, diſcordiarum virus exclude, purgetur mens, quam ſempiternus liuor infecerat. Amaritudo omnis, quæ intus inſederat, Chriſti dulcedine leniatur. Ama eos, quos ante oderas, dilige illos, quibus iniuſtis obtrectationibus inuidebas: Bonos imitare, ſi potes: ſi ſectari nõ potes, collætare certè & gratulare melioribus: fac te illis adunata dilectione participẽ, fac te conſortio charitatis & fraternitatis vinculo cohæredem: Dimittentur tibi debita, quando tu ipſe dimiſeris. Accipientur ſacrificia tua, cùm pacificus ad Deum veneris.

Suſtentatio.

Suſtentatio eſt figura, quæ diu ſuſpenduntur auditorum animi, atque aliquid deinde inexpe-

ctatum ſubiungitur, vt in Verrem Cic. Quid deinde? quid cenſetis? furtum fortaſſe, an prædam aliquam? Deinde cùm diu ſuſpendiſſet iudicum animos, ſubiecit, quòd multò eſſet improbius. Aliquando etiam cùm expectationem alicuius rei grauiſſimè orator concitauerit, ad aliquid quod leua ſit, aut nullo modo criminoſum, deſcendit. Hac ratione Phariſæorum leuitatem amplificare poſſumus, qui diſcipulos Domini accuſandos putabant, quòd illotis manibus manducarent. Prius enim Scribarum & Phariſæorum dignitatem exponimus, atque eorum præcipuè, qui ab Hieroſolymis veniebant: qui omnes vno conſilio Dominum adeũtes, ampla oratione accuſationem ſuam illi propoſuerunt. Quare (inquiunt) diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Magnum certè & intolerandum crimen, cùm ſcriptum ſit: Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerũt patres tui. Sed videamus, quale ſit hoc crimen, qualis iſta tranſgreſſio. Non (inquiunt) lauant manus ſuas, cùm panem manducant. Quid hac accuſatione magis ridiculum? Hoccine erat crimen illud, quod tanti Doctores communi conſilio exprobrare volebant? Hac igitur figura duplici in loco vtimur, vel cum leue aliquid hoc modo inferre, vel ſummum aliquid & inexpectatum amplificare volumus: vt quod natura ſua magnum eſt, præmiſſa hac præparatione maius appareat.

Ironia.

Ironia, cùm vno verbo aut breui oratione fit, Tropus eſt, in quo pro rei nomine proprio aliud ſubijcitur. Quale eſt illud: Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis, túque puérq; tuus.

Cùm verò longa oratione fit, inter ſententiarum ornamenta numeratur. Sic Cyprianus aduerſus Pupianum, qui ipſum Cyprianum negabat Epiſcopum eſſe, acri ironia hoc modo inuehitur: Niſi, inquit, apud te purgati fuerimus, & ſententia abſoluti, etiam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chriſtus antiſtitem, nec Deus ſacerdotem? ſubueniat Pupianus, & ſententiam dicat: Iudiciū Dei & Chriſti in apertum referat, ne tantus filium numerus, qui ſub nobis accerſitus eſt, ſine ſpe ſalutis & pacis exiſſe videatur. Et mox: Annue aliquando & dignare pronunciare de nobis, & Epiſcopatum noſtrum cognitionis tuæ auctoritate firmare: vt Deus & Chriſtus eius agere tibi gratias poſſint, quòd per te antiſtes & rector altari eorum pariter & plebi reſtitutus ſit. Et paulo poſt. Quare in hunc ſcrupulum non inciderūt Martyres Spiritu Sancto pleni, qui ad Cyprian. Epiſcopum literas de carcere direxerunt? niſi ſi omnes iſti communicantes mecum (ſecundum quod ſcripſiſti) polluto ore noſtro polluti ſunt: & ſi ſpem vitæ æternæ communicationis noſtræ contagione perdiderunt: Pupianus ſolus integer, inuiolatus, ſanctus, pudicus, qui nobis miſcere ſe noluit, in paradiſo atque in regno cælorum ſolus habitauit. Hactenus ille. Eſt etiam in ſacris literis huius figuræ vſus. Sic Hieremias: Cōfortamini, inquit, filij Benjamin in medio Hieruſalem, & in Thecua clangite buccina, & ſuper Bethacarem leuate vexillum: quia malum viſum eſt ab Aquilone, & contritio magna. Idem alibi eadē Ironia vtitur, cùm denunciato Chaldæorum aduentu ſubdit: Præparate ſcutum &

Clypeum,

Clypeum,& procedite ad bellum,iungite equos, & aſcendite equites, ſtate in galeis, polite lanceas, induite vos loricas. Quid igitur vidi ipſos pauidos, & terga vertentes,&c. Tale eſt & illud Salomonis: Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Simile eſt illud ex Apocal. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt,ſordeſcat adhuc.

Exemplum.

Exemplum & ſimile conſtat eſſe argumentandi loca, quæ tamen inter figuras numerantur, propterea quòd magnum orationi ornamentum afferant: præſertim cùm illuſtrandæ aut ornandæ rei gratia adhibentur. Quia verò duo hæc orationis ornamenta magnam inter ſe affinitatem habent, atque eodem ferè modo tractantur, de vtriſque hoc in loco dicemus.

Exemplum eſt, alicuius facti aut dicti præteriti cum certi auctoris nomine propoſitio. Id ſumitur ijſdem de cauſis, quibus ſimilitudo. Rem ornatiorem facit, cùm nullius niſi dignitatis cauſa ſumitur. Apertiorem, cùm id quod ſit obſcurius, dilucidum reddit. Probabiliorem, cùm magis veriſimilem facit. Ante oculos ponit, cùm exprimit omnia perſpicuè, vt res dicta propè manu tentari poſſit. Mouent autem potiſſimum animos antiqua, illuſtria noſtratia, domeſtica, id eſt, ſuam quæque gentem, ſuum quæque genus. Aut longè minora, vt mulieris, pueri, ſerui, barbari. Adhibentur autem exempla aut vt ſimilia, aut diſſimilia, aut contraria. Rur-

ſum aut vt maiora, aut vt minora, aut vt paria. Diſſimilitudo & inæqualitas conſtat genere, modo, tempore, loco, cæteriſque fermè circunſtantiis, quia ſupra recenſuimus.

Augentur autem & creſcunt exempla tractandi ratione. Licebit enim vel ab auctoris laude, vel gentis, vnde ducitur exemplum, hoc modo præfari. Si quis è Plutarcho citabit exemplum, præfari licebit, eum auctorem vnum omnium eſſe grauiſſimum, quippe qui ſummam philoſophiæ ſcientiam, cùm hiſtoricorum eloquentia coniunxerit, vt in eo non ſolùm hiſtoriæ fidem, verùm etiam auctoritatem & iudicium ſanctiſſimi doctiſſimique Philoſophi ſpectare oporteat. Item ſi quis M. Attilij Reguli ad hoſtem redeuntis exemplum velit adducere, poterit ad hũc præloqui modum: Inter tam multa Romanæ virtutis inſignia decora, nullum vnquã facinus pulchrius extitit, aut etiam laudatius, quàm M. Attilij. Huiuſmodi commendatiunculas licet affigere, vel longiores, vel breuiores, vtcunque locus poſtulabit. Affigendæ ſunt autem, quæ maxim ſint ad id, quod agitur, appoſitæ. Veluti ſi in exemplo deſiderabitur fides, auctor à grauitate fideque commendetur. Si pium videri voles, quod adfers, ſumatur à pietate commendatio. Atque item de cæteris.

Quòd verò ad tractandi rationem attinet, aliquando quidẽ breuiter, vbi res notior eſt, quàm vt longam orationem deſideret: quale eſt illud D. Hiero. Memento Daretis, & Entelli. Aliquando verò lõgius, quemadmodum idem Hiero. ad ſapientiæ ſtudium commendandum, peregrinationẽ Pythagoræ, Platonis, & Apollonij in præfatione, quam vniuerſæ ſcripturæ diuinæ præ-

ponunt, tractat. Cùm autem exempla imparia aut diſſimilia ſunt, poterunt latius per collationem & contentionem dilatari: cùm videlicet oſtendimus, id, quod adducimus, pro ratione & commoditate cauſæ noſtræ eſſe ſimile, diſſimile, contrarium, par, maius aut minus. Atque ea collatio ſumitur ex omnibus rerum & perſonarum circunſtantijs. Adiuuatur & orationis artificio, cùm verbis aut figuris accommodis alia conſultò eleuantur, alia attolluntur. Porrò, qui copioſiſſimè volet exemplum tractare, is ſingulas ſimilitudinis aut diſſimilitudinis partes explicabit, atque inter ſe per contentionem comparabit. Extat locupletiſſimum huius rei exemplum apud Diuum Bernardum in vita Malachiæ Epiſcopi: quo vitam eius & mores cum aliorum Epiſcoporum moribus confert. Sed quoniam exornatio hæc frequenter in dicendo ſolet incidere, alia eius exempla ex ſecundo de copia rerum commentario deſumpta, ſubijciemus. Si quis hortetur aliquem, vt filij mortem moderatè ferat, & ex Ethnicorum exemplis mulierem aliquam obijciat, quæ plurium liberorum mortem fortiter tulerit, poſt enarratam rem ita comparabit: Quod mulier imbecilla potuit, tu vir barbatus non feres? Illa cum ſexu vicit & affectum matris: tu ab altero ſuperaberis? Illa complurium liberorum iacturam animo infractò pertulit: tu vnum extinctum inconſolabiliter defles? Adde, quòd illius filii ſimul omnes naufragio perierunt, morte videlicet ingloria: tuus in bello fortiter pugnans, occubuit. Illa non habebat cui filios honeſtè imputaret: tu filium impēdiſti patriæ. Illi verè totique perierūt: tuus immortali gloria sēper victurus eſt. Illa na-

turæ gratias agebat, quòd aliquando tot libero-rum mater fuiſſet: tu tantùm meminiſti, te optimum perdidiſſe filium. Illa nō habebat ſarciendæ orbitatis ſpem, quippe maior, quam vt vterum iam ferre poſſet: tibi & vxor fœcunda, & ætas etiamnum integra valensque. Ergo quod barbara muliercula præſtitit, tu vir Romanus non præſtabis? quod contemnere potuit literarum imperita, hoc te tot præditum literis, tantum philoſophiæ profeſſorem frangit? Denique quam animi fortitudinem præſtitit Pagana, hanc homo Chriſtianus non exhibebit? Illa credens poſt rogum nihil ſupereſſe, tamen luctum indecorum exiſtimauit: tu doctus eos demùm verè viuere, qui cum laude exceſſerint ex hac vita, ſine fine clamas tibi perijſſe filium? & quod illa æquo animo reddidit naturæ, tu Deo repetēti non reddes? Illa fortiter paruit neceſſitati: tu Deo repugnas? Ex hac forma ſatis, opinor, apparet, quibus modis oporteat exempla conferre: quanquam in veris cauſis, quoniam maior eſt circunſtantiarum copia, facilius eſt inuenire varias contentiones: Illud obiter admonendum, in huiuſmodi contentionibus ſententias & epiphonemata nō inconcinnè poſſe admiſceri. Velut in hoc eodem exemplo poſt primam collationem: Quod mulier imbecilla potuit, tu vir barbatus non poteris? ſubijci poterant ſententiæ: Natura diſcreuit ſexum, tu non diſcernis animum. A muliere nemo fortitudinis laudem expectat: Vir niſi fortis ſit animo, nec viri nomine cenſetur. Vir vtrunque ſignificat, & ſexum robuſtiorem, & animum infractum. Turpiter barbam geſtat, qui pectoris robore ſuperatur à fœmina. Item poſt illam contentionem: Illa nō

habebat, cui filium imputaret honeſtè, tu filium impendiſti patriæ: poterant affigi ſententiæ fermè huiuſmodi: Magnum doloris ſolatium eſt, habere cui honeſtè poſſis imputare fortunam. Vt nulli iuſtius, ita nec glorioſius impenditur filius, quàm patriæ. Rurſum poſt illam: illi verè totique perierunt, tuus immortali gloria ſemper victurus eſt: adijci poterant huiuſmodi: Longè felicius honeſta fama, quàm hoc communi ſpiritu viuitur. Corporis vita & calamitoſa eſt, & omninò, vt nihil accidat, breuis: denique cum pecudibus communis: illa clara ſempiternaqúe homines in Diuorum conſortium referẽs. Ad eundem modum ſingulis collationum partibus ſententiæ ſubijci poterant. At hæc obiter indicaſſe ſat fuerat.

Hæc exempla, quæ propoſuimus, ſatis apertè huius figuræ naturam explicant: quæ docendi gratia paulò fuêre longiora. Cæterùm cùm res agitur ſeria, breuius aut longius, pro ratione earum rerum, de quibus dicimus, tractanda eſt. Superius autem admonuimus D. Chryſoſt. vbi aliqua ſimilitudine aut exemplo, id, quod dicit, ad ſummum vſq; perduxerit, operã dare, vt aliquarum circunſtãtiarum comparatione rem, quam amplificat, maiorem adhuc faciat.

De Contentione demonſtratiua, quæ ad exemplorum ordinem ſpectat. I.

EST & generalis quædam Contentio, præſertim in genere Demonſtratiuo: quoties laudandi vituperandíue gratia perſonam cum perſona conferimus. Sic Gregor. Nazian. in hom. de laudibus Baſilii eum cum omni-

bus laudatiſſimis veteris & noui teſtamenti Patribus, nēpè cum Noë, Abraham, Iacob, Ioſeph, Moyſe, Dauide, Ioāne Baptiſta, Petro, Paulo, cæteriſque patribus comparat, eorumque virtutes vel ſectatum fuiſſe vel æquaſſe ait. Sic enim incipit: Agè igitur, cùm multi viri tum in veteri, tū in nouo teſtamento pietate illuſtres extiterint, legiſlatores, militares duces, Prophetæ, doctores, fortes vſque ad ſanguinis profuſionem, cum illis Baſilium noſtrum cōferamus: vt hinc, qualis fuerit, perſpiciamus. Eſt & rerum comparatió: quod genus eſt, ſi quis hiſtoriam laudās, eam cum laudatiſſimis quibuſque diſciplinis comparet. Atque in his duplex ratio. Aut enim alterius partis bona eleuas, alterius amplificas: aut alterius partis ſic exaggeras laudes, vt præferas tamen, aut certè æques, quod laudandum ſuſceperis. In vituperando attollis vitia, ſed ſic, vt ſceleſtiorum tamen, aut æquè ſceleſtum oſtendas, quem inſectaris. In his illud obſeruandum, vt quæ adhibētur ad comparationem, ſint tum confeſſa, tum inſignia. Vt ſi bonum principem conferas cum Traiano, aut Antonino philoſopho: contrà malum cum Nerone aut Caligula. Rurſus ſi hominem maledicum conferas cum Zoilo & Hyperbolo: aut hominem obtrectatorem cum Dipſade aut Regulo: hominem voluptatibus effœminatum, cum Sardanapalo. Creſcet autem comparationis copia, ſi quemadmodum modò attigi, ad vnius hominis, aut rei laudem ſeu vituperationē, complures aut perſonæ, aut res adhibeantur. Velut ſi quis principem laudaturus, è multis excerpat, quod in vnoquoque maximè excelluit. E Iulio Cæſare, felicitatem animique præſentiam: ex Alexandro, magnanimitatem:

ex Auguſto, vrbanitatem: ex Tito ſeniore, ciuilitatem: ex Traiano, ſanctimoniam & clemētiam: ex Antonino, gloriæ contemptum: atque item de cæteris. Similiter & in vituperando. Præterea ſi iracundiam deteſtans, conferas eam cum enormi temulentia, cum phreneſi, cum morbo comitiali aut dæmoniaco. Aut ſi linguæ virulentiā damnans, componas eam cum habitu hominis peſtilentia laborantis, cum afflatu ſerpentum, quibus eſt venenum præſentiſſimum, cum exhalatione quorundam lacuum aut ſpecuum ſubitam mortem afferente.

Similitudo.

Similitudo eſt oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Ea ſumitur aut ornandi cauſa, aut probandi, aut apertiùs dicendi, aut ante oculos ponēdi. Quomodo igitur quatuor de cauſis ſumitur, ita quatuor modis dicitur: per contrarium, per negationem, per collationem, per breuitatem. Ad vnamquanque ſumendæ ſimilitudinis cauſam accommodabimus ſingulos modos pronunciandi. Ornandi cauſa ſumitur, per diſſimile ſiue contrarium, hoc modo: Non enim, vt domus noua, aut nauis, aut etiā veſtis melior vetuſta & vel ſenio cōfecta eſt: ita melior nouus amicus, quàm antiquus: illius enim adhuc dubia parum firma fides eſt, hæc vt aurum, quod igne explorant, multis experimentis & longa die probata & perſpecta eſt. Dicitur autem ſimile à cōtrario, quòd negemus rem quam adducimus, ei ſimilem eſſe, quam probamus. Per negationem verò ducitur ſimile probandi cauſa, hoc modo: Neque equus indomitus, quanuis natura bene compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas vtilitates, quæ deſiderantur ab

equo: neque homo indoctus, quanuis ſit ingenioſus, ad virtutem poteſt peruenire. Hoc probabilius factum eſt, quod magis eſt veriſimile, non poſſe virtutem ſine doctrina comparari: quoniã nec equus quidem indomitus idoneus poſſit eſſe. Ergo ſumptum eſt probandi cauſa. Dictum eſt autem per negationem: id enim perſpicuum eſt de primo ſimilitudinis verbo.

Apertiùs dicendi cauſa ſimilitudo dicitur per breuitatem, hoc modo: In amicitia gerenda, ſicut in certamine currendi, non ita cõuenit exerceri, vt quoad neceſſe ſit, peruenire poſſis: ſed, vt productus ſtudio & viribus vltra faciẽ procurras. Nam hoc ſimile eſt, vt apertius intelligatur, mala ratione facere, qui reprehẽdant eos, qui verbi cauſa poſt mortem amici liberos eius cuſtodiant: propterea, quòd in curſore tantum velocitatis eſſe oporteat, vt efferatur vſque ad finem: in amico tantum beneuolentiæ ſtudium, vt vltrà, quàm amicus ſentire poſſit, procurrat amicitiæ ſtudio. Dictum autem ſimile eſt per breuitatem: non enim ita vt in cæteris rebus res ab re ſeparata eſt, ſed vtræque res coniunctè & confusè pronunciatæ. Ante oculos ponendi negotii cauſa ſumetur ſimilitudo per collationem, ſic: Vti citharœdus, cùm prodierit optimè veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro & ebore diſtinctam: ipſe præterea forma & ſpecie ſit & ſtatura appoſita ad dignitatem: ſi cùm magnam populo commouerit his rebus expectationem, repentè ſilentio facto, vocem emittat acerbiſſimã cum turpiſſimo corporis motu, quò melius

ornatus,& magis fuerit expectatus, eò magis deriſus & contemptus eiicitur : ita ſi quis in excelſo loco, & in magnis ac locupletibus copiis collocatus, fortunæ muneribus & naturæ commodis omnibus abundabit, ſi virtutis & artium (quę virtutis magiſtræ ſunt) egebit: quò magis cæteris rebus erit copioſus, & illuſtris, & expectatus, eò vehementius deriſus, & contemptus ex omni conuentu bonorum eiicietur. Hoc ſimile exornatione vtriuſque rei & alterius inſcita artificii, alterius ſtultitia ſimili ratione collata, ſub aſpectum rem omnem ſubiecit. Dictum autem eſt per collationem, propterea quòd propoſita ſimilitudine paria ſunt relata omnia.

In ſimilibus obſeruare oportebit diligenter, vt cùm rem afferamus ſimilem, cuius rei cauſa ſimilitudinem attulerimus, verba quoque ad ſimilitudinem habeamus accommodata : id eſt huiuſmodi: Ita, vt hirundines æſtiuo tempore præſtò ſunt, frigorè pulſæ recedunt : ex eadem ſimilitudine nunc per tranſlationem verba ſumimus: ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſtò ſunt, ſimul atque hyemem fortunæ viderint, deuolant omnes. Sed inuentio ſimilium facilis erit, ſi quis ſibi omnes res animatas & inanimatas, mutas & loquentes, feras & manſuetas, terreſtres, & cæleſtes, & maritimas, artificio, caſu, natura comparatas, vſitatas, atq; inuſitatas, frequenter ante oculos poſuerit, & ex his aliquam venari ſimilitudinem ſtuduerit, qua aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ponere ante oculos poſſit. Non enim res tota toti rei neceſſe eſt ſimilis ſit, ſed ad ipſum, ad quod conferetur, ſimilitudinem habeat oportet. Extat libellus quidã ex D. Chryſoſt. aliorumq; autorum

ſimilitudinibus collectus, qui ſtudioſum cõcionatorem ad ſimilium inuentionem non mediocriter iuuare poterit. Meminerit tamen nequaquam ex rebus ſordidis,& humilibus, neq; item ex obſcuris, nimiumq; ſubtilibus & ad intelligẽdum difficilibus ſimilitudines ſumendas eſſe: illud, quia orationem ſordidant; hoc verò, quia obſcurant: & in id præcipuè nocent,ad quod ſimilitudo reperta eſt.

Cęterùm quod ad tractandi rationem attinet, quemadmodum exempla(ſicut paulò antè diximus) quandoque breuius,quandoque latius tractantur, ſic etiam ſimilitudines. Nam aliquando vno verbo notantur:vt, Non intelligis tibi vertenda vela. Aut, Deſine lauare laterem. Vt iam vel allegoria fit, vel metaphora. Aliquando latius explicatur, & apertius accõmodatur. Quod facit Cicero pro Murena. Quòd ſi è portu ſoluẽtibus, qui iam in portum ex alto inuehuntur, prędicere ſummo ſtudio ſolent tempeſtatum rationem,& prædonum, & locorum: quod natura fert, vt his faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo me tandem animo eſſe oportet, propè iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc cui video maximas tempeſtates eſſe ſubeundas? Hanc Ciceronis parabolam ſic imitatur Diuus Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum: Et ego non integris rate vel mercibus moneo: ſed quaſi nuper naufragio eiectus in littus, timida nauigaturis voce denuncio. In illo æſtu Charybdis luxuriæ ſalutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scyllæum renidens libido blanditur: Hic barbarum littus: hic Diabolus pyrata cum ſocijs portat vincula capiendis. No-

lite credere, nolite eſſe ſecuri: licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur, magnos hic campus montes habet. Intus eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite. Crux antennæ figitur in frontibus. Tranquillitas illa tempeſtas eſt. Hic ſi quis ſingula pericula, quæ à vitijs aut improbis, aut aliūdè bonis moribus imminent, velit conferre cum ſingulis, quæ nautis vitę diſcrimen adducere ſolent: deinde per comparationem maius aut minus, item diſſimile aut contrarium oſtendere: poſtremò ſententijs & epiphonematis, vt inciderint, exornare: nimirū copioſiſſimè dilatabit orationem. Velut in hoc exēplo: Vt quò pretioſior eſt res, hoc & diligentius ſolet adſeruari, & impendi circunſpectius: ita temporis (quo nihil eſt pretioſius) ſumma habenda eſt ratio, ne quid effluat ſine fructu. Etenim ſi curatores dari ſolēt his, qui gemmas & aurū temerè profundunt, quæ tandem erit inſania, tempus, pulcherrimum immortalis Dei munus, aut otio, aut inhoneſtis ſtudijs turpiter conſumere? Quid enim perdis, cùm tempus perdis, niſi vitam? At vita quid eſſe poteſt charius? Et cùm vna gemmula perit, iacturam vocas: cùm totus perit dies, hoc eſt, bona vitæ portio, iacturam non vocas? Præſertim cùm illa perdita aliundè poſſint recuperari, temporis irreparabilis ſit iactura. Præterea illa cùm tibi pereunt, alijs plerunque lucro ſunt: at temporis diſpendium in nullius tranſit compendiū. Nullum eſt damnum, ex quo non aliquis emolumētum aliquod ſentiat, præter damnum temporis. Adde his, quòd illarum opum iactura ſępè ſaluti fuit. Nam diuitiæ plerunq; vitiorū mate-

riam miniſtrant, ita, vt præſtet temerè profudiſſe, quàm attentè adſeruaſſe. Quantò cuiuſque rei vſus honeſtior, tantò turpior profuſio. At nihil pulchrius, nihil præclarius, quàm bonas horas bene collocare. Illas vt quàm maximè ſerues, ſæpenumerò tamen vel caſus eripit, vel homo tollit, vt iactura te calamitoſum duntaxat, non etiã turpem reddat. At temporis amiſſio, quoniam non niſi noſtro vitio contingit, non miſeros ſolùm, verùm & infames reddit. Peſſimum infamiæ genus, quoties culpa in nullum cõferri poteſt, præterquam in eum, qui patitur malum. Illis fundos aut ædes mercari poteras, hoc præter alia animi ornamenta parare poteras immortalitatem. Nulla eſt tam breuis vitæ portio, in qua non magnus aliquis ad felicitatem gradus fieri poſſit. Poſtremò de illis malè inſumptis, patri fortaſſis rationem additurus eras: de horis malè tranſactis, Deo. Sed ſatis eſt indicaſſe, in quantam amplitudinem dilatari poſſit collatio, ſi quis ad eum modum ſingulas circunſtantias velit componere atque ornare.

Hoc exemplum docendi gratia paulò fuſius tractatum eſt. At cùm in veritate dicemus, contrahenda eſt oratio: ſic tamen vt cùm à minori vel maiori ducitur ſimilitudo, imparitas hæc maximè conſpicua fiat: quò vis argumenti maior appareat. Sumamus exempli gratia hoc à minori argumentum, Si dominus de ſeruo delinquẽte ſupplicium ſumit, cur non Deus ab homine peccante idem faciat? Qui igitur artis expers eſt, hoc ſanè modo dixiſſet. Vide autem quantò aliter dixerit Cyprianus contra Demetrian. Ipſe (inquit) de ſeruo tuo exigis ſeruitium, & homo hominem parere tibi & obedire compellis, &

cùm ſit vobis eadem ſors naſcendi, conditio vna moriendi, corporum materia cõſimilis, animarum communis, æquali iure, & pari lege vel veniatur in hunc mundũ, vel de hoc mundo poſtmodum recedatur, tamen niſi pro arbitrio tibi ſeruiatur, niſi ad voluntatis imperium pareatur, imperioſus, & nimius ſeruitutis exactor flagellis verberas, fame, ſiti, nuditate, frequentes ferro & carcere affligis & crucias, & non agnoſcis Dominum Deum tuũ, cùm ſic exerceas ipſe dominatum in hoc exemplo, D. Cyprianus ſumma tum copia, tum breuitate vſus eſt. Summa enim breuitas eſt, quod ait: Non agnoſcis Dominum tuum, cùm ſic exerceas ipſe dominatum? Totã enim collationem, quam diuinæ maieſtatis amplitudine expoſita, latius tractare poterat, breuiſſimo ſermone comprehendit. Similitudo verò, quæ præceſſit, copiosè admodum explicata eſt.

Quanuis autem exemplorum & ſimilium vſum ad faciendam fidem nõ vulgariter adiuuẽt, tamẽ hoc præcipuè præſtant, cùm per inductionem adhibẽtur. Quo in genere plurimus eſt Socrates Platonicus. Exemplum per inductionem adhibetur hoc modo: Dic mihi quem tandẽ fructum, attulit Demoſtheni inſignis eloquentia? Nempe præter alia incommoda, infeliciſſimum & miſerandum exitum. Quid autẽ præmij Tib. & C. Gracchis attulit? Nimirum cædẽ & miſeriam, nec ſatis honeſtã. Quod porrò illi tantopere laudato Antonio: Certè & hic latronum ſicis crudeliſſimè confeſſus eſt. Age Ciceroni eloquentiæ parenti, quam mercedem attulit? Nonne mortem & acerbam & miſerandam? I nunc, & tot vigilijs ad ſummam eloquentiæ laudem eni-

tere, quæ præſtantiſſimis quibuſque viris ſemper exitio fuit. Simile adhibetur per inductionem, hoc modo: De nauigando num melius diſputabit nauta, quàm medicus: an non medicus rectius de medendi ratione differet, quàm pictor? Num pictor de colorum, & vmbrarum, ac linearũ ratione melius dicet, quàm ſutor; Num auriga de ratione moderandi currum melius, quàm nauta? Et ſi plurima conferantur, faciunt vt omninò probabile videatur, vnumquenque melius de ea re dicturum eſſe, quàm melius norit. Sic D. Cyprianus de ſimplicitate Præla. Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radij, ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur, exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium Solis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præſcinde riuum, præſciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamẽ lumen eſt, quòd vbiq; diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit: vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.

Hæc de tropis & figuris cum verborum tum ſententiarum dicta ſint: in quorum numero, nominibus, vi, & natura explicanda vehementer diſſentiunt autores tum Græci tum Latini: neque modo inter ſe ipſi diſcordant, ſed (quod ma-

gis mirandum eſt) Cicero ipſe ſibi diſcrepat, qui vt ornatiſſimus in dicẽdo fuit, ſic in præcipiendo diligẽtiſſimus. Nam, vt Quintil. animaduertit, multas figuras in tertio de Oratore libro poſuit, quas in Oratore poſtea ſcripto, quoniam de illis mentionem non fecit, videtur repudiaſſe. Quaſdam poſuit inter verborum exornationes, quæ ſententiarum ſunt lumina. Quædam ne figuræ quidem ſunt. Iam numerus illarum nec fuit olim certus, nec verò vnquam eſſe poterit. Cuiꝰ rei duas ego reperio cauſas: altera eſt, quòd nouæ figuræ, Quintiliano etiam autore, fieri adhuc & excogitari poſſunt: altera, quod tam verborum, quàm ſententiarum figuræ non in formas ſeu ſpecies (quarum certus eſt numerus) ſed in pàrtes & quaſi membra, quorum infinitior eſt numerus, diſtribuuntur.

De vſu figurarum.

Cap. XV.

Non multum prodeſt figurarum nomina & diffinitiones tenuiſſe, niſi earum vſum ſciamus: hoc eſt, quonam modo, & quibus potiſſimum in rebus illis vti debeamus. Hoc autem ex tribus præcipuis cõcionatoris officijs colligendum eſt. Ad eum enim ſpectat auditores primùm docere, deinde delectare, ac poſtremò flectere. Et quidem docere neceſſitatis, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ eſſe dicunt. Ex figuris igitur quædam ad docendum, quædã ad delectandum, quædam ad flectendum, & affectus concitandos potiſſimum ſeruiunt. Et quidem ad docendum figuræ, quas inter argumẽto-

rum formas poſuimus, præcipuè pertinent: quibus adiungi poteſt ratiocinatio, quam modò inter ſententiarum figuras numerauimus: & nonnullæ aliæ, quæ vel ad probandum, vel ad expoſitionem rerum cõducunt. Inter quas meritò collocatur Tranſitio: quæ cùm exponat quid dictũ ſit, quidque ſit dicendum, hac diſtinctione lucem orationi affert. Quæ tamẽ interdum vim habet & acrimoniam, vt paulo ante admonuimus. Ad delectandum verò pertinent, cùm aliæ figuræ, tum præcipuè quas inter figuras verborum in ſecũda & tertia claſſe collocauimus: quæ ſimilium & cõtrariorum proportione conſtant. Ex alijs verò figuris ſiue verborum, ſiue ſententiarum, pleraque vim & acrimoniam habere videntur. Sunt tamen aliæ, & quidem non paucæ, quæ ad hæc omnia valent. Conſtat enim, rerum perſonarum, locorum, ac temporum deſcriptiones, modò ad delectandum, modò verò ad amplificandũ, interdum etiam ad docendũ valere: Idem de contrarijs diximus, quæ præter venuſtatem & gratiam, vim quoque & acrimoniam in loco habent. Iam verò exempla, ac præcipuè ſimilitudines, quid non efficiunt? Quid enim rebus obſcuris maiorem lucem, quàm ſimilitudines præferunt? Quid non eiſdem amplificamus, aut oculis ſpectandum ſubijcimus? Quantum præterea iucunditatis commodè inducta ſimilitudo affert? Studioſi autem concionatoris erit, non ſolùm numerum, & nomina, & naturam figurarum noſſe, ſed multò magis earum vſum: vt quibus figuris in quauis concionis parte vtendum ſit, probe teneat. Cùm autẽ eadem ſententia pluribus figuris explicari, & quodammodo veſtiri poſſit, periti artificis erit, ea potiſſimum figu-

figuram deligere, quæ ſenſum animi ſui apertiſſimè, breuiſſimè atque appoſitiſſimè explicet. Hactenus de figuris: deinceps de compoſitione dicendum eſt.

De compoſitione.

Cap. XVI.

POſt tropos & figuras, de quibus hactenus dictum eſt, ſequitur tertia pars ornatus, quæ eſt in cōpoſitione, & in apta, ac numeroſa verborum collocatione poſita. Quam D. Auguſt. non prorſus concionatori negligendam eſſe ait, licet ea in ſacris litteris minus inueniatur. Eius hæc verba ſunt. Sanè hūc elocutionis ornatum, qui numeroſis fit clauſulis, deeſſe fatendum eſt autoribus noſtris. Quod vtrum per interpretes factum ſit, an (quod magis arbitror) conſulto illi hæc plauſibilia deuitauerint, affirmare non audeo, qnoniam me fateor ignorare. Illud tamen ſcio, quòd ſi quiſquam huius numeroſitatis peritus, illorum clauſulas eorundem numerorum lege componat (quod facillimè fit mutatis quibuſdam verbis, quæ tantumdem ſignificatione valent, vel mutato eorum, quæ inuenerit, ordine) nihil eorum, quæ velut magna in ſcholis Grammaticorum aut Rhetorum didicit, illis diuinis viris defuiſſe cognoſcet. Et multa reperiet elocutionis genera tanti decoris, quæ quidem & in noſtra, ſed maximè in ſua lingua decora ſunt: quorum nullum in eis, quibus iſti inflantur, literis inuenitur. Sed cauēdum eſt, ne diuinis grauibúſque ſententijs dum additur numerus, pondus detrahatur. Nam illa muſica diſciplina, vbi numerus iſte pieniſſimè

diſcitur, vſq; adeò non defuit Prophetis noſtris, vt vir doctiſſimus Hieronymus quorumdã etiã metra cõmemoret in Hebræa duntaxat lingua. Cuius veritatem vt ſeruaret iu verbis, hæc inde non tranſtulit. Ego autem vt de ſenſu meo loquar, qui mihi quàm alijs, & quàm aliorum eſt vtique notior, ſicut in meo eloquio, quantum modeſtè fieri arbitror, nõ prætermitto iſtos numeros clauſularum: ita in autoribus noſtris hoc mihi plus placent, quod ibi eos rariſſimè inuenio. Hæc ille. Cuius exemplum ſequi poterit, quiſquis aliquid eleganter ſcribere parat. Habet enim hoc præcipuè oratio numeroſa, & verba aptè collocata, vt ſine oſtentatione & ſplendore verborum legentis animum adeò latenter oblectet, vt idem ipſe, qui delectatur, rationem reddere nequeat, cur tantopere delectetur. Eadem etiam compoſitio non mediocriter intellectum adiuuat, quando orationis membra ita ſibi reſpondent & connexa ſunt, vt planiſſimum orationis ſenſum efficiant. Verùm hæc ad ſcribendum. Ad concionandum autem (vt ij etiam, qui hac de re ſcripsêre, fatentur) huiuſmodi numeroſa cõpoſitio minus neceſſaria eſt: ideóq; prætermiſſis præceptis, quæ multa Rhetores hac de re tradunt, quàm breuiſſimè hanc partem abſoluam. Cornificius ergo de ea ſic ait: Compoſitio eſt verborum conſtructio, quæ facit omnes partes orationis æqualiter perpolitas. Et conſeruabitur, ſi fugiemus crebras vocalium concurſiones, quæ vaſtam atque hiantem orationem reddunt, vt hoc eſt: Vaccæ æneæ amœniſſimè impendebant. Etſi vitabimus eiuſdem literæ nimiã aſſiduitatem, cui vitio verſus hic erit exemplo: O Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tuliſti. Et

hic eiuſdem poëtæ: Quidquã quiſquam cuiquã quod conueniet, neget? Et, ſi eiuſdem verbi aſſiduitatem nimiam fugiemus. Ea eſt huiuſmodi. Nam cuius rationis oratio non extet, ei rationi ratio non eſt fidem habere. Et, ſi non vtemur continenter ſimiliter cadẽtibus verbis, hoc modo: Flentes, plorantes, lachrymantes, obteſtantes. Et, ſi verborum traiectionem vitabimus, niſi quæ erit concinna. Quo in vitio eſt Lucilius aſſiduus, vt hoc eſt in priori libro: Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Aeli. Tale eſt illud Politiani: Legit epiſtolam mihi nuper ad ſe tuam Picus Mirandula noſter. Quæ quidem compoſitio puerilis, ab omni grauitate aliena videtur. Item fugere oportet longam verborum continuationem, quæ & auditoris aures, & oratoris ſpiritum lædit.

De duplici ſpecie compoſitionis. I.

Quiſquis autem compoſitionis rationem exactius aſſequi cupit (quæ res ad artificioſè ſcribendum neceſſaria eſt) ſcire debet, aliam eſſe cõpoſitionem ſimplicem, aliam duplicem, ſiue compoſitam. Simplex eſt à numerorum lege, & periodis lõgioribus ſoluta, qua in familiari ſermone vtimur, quaque pleriſq; in locis ſacræ literæ vtũtur. Simplex enim veritas ſermonis ſimplicitate gaudet. Tale eſt illud Geneſeos: In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autẽ erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciẽ abyſſi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: Fiat lux, & facta eſt lux, & cæt. Compoſita verò ſiue duplex oratio ab hac ſimplicitate recedens, flexuoſa & longiori vtitur oratione: cuius partes & velut membra explicare neceſſe eſt: vt eis cognitis, totum quod ex illis

conſtat, facilius agnoſcatur. Vt autem in manu ipſam quidem manũ velut totum quoddã conſideramus, deinde digitum vt eius membrum, ac poſtremò digiti articulos, qui ſunt variæ huius membri partes: ita in oratione ſimiles partes attendimus. Sunt enim velut articuli ea, quæ Græci commata. Latini cæſa vel inciſa vocant. Sunt deinde veluti membra, quæ Græci cola, Latini verò eodem nomine membra vocãt. Sũt rurſus periodi, quas Latini tum ambitum, tum comprehẽſionem, tum circũſcriptionem appellant, quæ pluribus membris conſtant. Quia verò Diuus Auguſt. 4. de doct. Chriſt. horũ omniũ exempla ex 2. ad Corinth. Epiſtola ponit, nos quod ille fecit, in hac parte ſequemur. Cæſa igitur vel inciſa ſunt quatuor illa: In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. Et illa item quatuordecim: In itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, & cætera quæ ſequuntur. Membra verò ſunt duo hæc. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Periodus verò bimembris eſt apud eundem: Libenter ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Trimembris verò, cùm ait: In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego, &c. Quadrimẽbris autem, cùm ait: Quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in ſtultitia, in hac ſubſtantia gloriæ. Poteſt autem periodus plura etiam membra habere. Cùm verò membra conſtant pari ferè numero ſyllalabarum. Iſocolon ſiue Compar appellari inter figuras verborum diximus.

D. autem Auguſt. poſteaquam totius loci huius diuinam eloquentiam miris laudibus extuliſſet, & dicendi flores annotaſſet, potiſſimum commendat compoſitionis varietatē, quòd modò cæſis, modò membris, modò periodis hæc oratio fluat, quodq; decētiſſimè modò poſt cæſa, modò poſt membra periodos intermiſceat: quibus orationis cōpoſitio variatur, & tædium legentis excutitur, & reſpirandi ſpatium datur. Quod Apoſtolum non humana quidem arte, ſed diuina ſapientia (quam ſequitur & comitatur vera eloquentia) feciſſe conſtat. Sapientiæ enim eſt, rectè & pro dignitate res concipere & ponderare: eloquentiæ verò, quod ita conceperis, ſimili oratione proferre. Hanc verò ſapientiam ſequi ſolet vera & naturalis eloquentia, qua viri ſancti maximè vtuntur, qui ſine arte artificioſiſſimi & eloquentes ſunt. Rectè enim ille, Si rem, inquit, potenter conceperis, nec facundia dicēdi, nec ſermo te deſeret vllus. Eadem varietate vtitur D. Ambroſius, cum in lib. de virgin. beatiſſimæ Virginis virtutes laudeſque percenſet. Eadem enim venuſtate & gratia modò poſt inciſa, modò poſt membra, periodos bimembres aut trimembres interponit, vt ſequenti capite videbimus.

Sciendum eſt etiam, duplicem eſſe periodi formam: alteram, qua vel cæſim, vel mēbratim dicimus: alteram verò, qua circumſcriptè dicimus, qua videlicet ab initio ad finem vſque quaſi in orbem incluſa fertur oratio, quæ niſi in fine ſententiam non abſoluit. Itaque imaginem refert vel perfecti ſyllogiſmi, vel interdum etiam propoſitionis Hypotheticæ, idq; modò breuius, modò longius, vt inſtituta ratio vel argumenta-

tio poſtulauerit. Hoc autem præter ea exempla, quæ modò ex Pauli Epiſtola propoſita ſunt, ſequentia quoque declarant. Membratim quidem fluit illa D. Cypriani periodus cõtra Demetrianum: Mundus occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur, non hyeme nutriendis ſeminibus tanta imbrium copia eſt, non frugibus æſtate torrendis ſolita flagrantia eſt, nec ſi verna de temperie ſata læta ſunt, nec adeò arboreis fœtibus autumna fœcunda ſunt. Minus de effoſſis & fatigatis montibus eruuntur marmorum cruſtæ, minus argenti & auri opes ſuggerunt exhauſta iã metalla, & pauperes venæ. Cæſim verò perfluit, quæ deinde ſequitur: Breuiatur in dies ſingulos ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in caſtris, innocẽtia in foro, iuſtitia in iudicio, in amicitia concordia, in artibus peritia, in moribus diſciplina. Huiuſmodi autem periodi quãuis poſſint bimembres eſſe, maiorem tamen gratiam habent, cùm vel trimembres ſunt, vel etiam quadrimembres: quorũ illa Græcè tetricola, verò hæc tetracola vocãt Tricola, vt illud: Vicit pudorem libido, timorẽ audacia, rationem amẽtia. Tetracola, vt illud Cypriani: Quemadmodum ſponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita ſe cœleſtis ille ſpiritus infundit. Singula quoque verba cæſam orationem faciunt, vt illud: Acrimonia, voce, vultu inimicos perterruiſti. Periodus verò, qua circunſcriptè dicimus, in qua (vt Ariſt. ait) principio ita reſpondet finis, vt plenum ſenſum faciat, abſoluatque ſententiam, quandoque breuior, quandoque longior eſt. Breuis eſt illa:

Finem qui quæris amori,
Cedit amor rebus: res age, tutus eris.

Hic perfectus ſyllogiſmus eſt. Breuior item & illa D. Cypriani in Serm. de Lap. Nemo fratres, nemo hanc confeſſorum gloriam mutilet: cùm dies negantibus præſtitutus exceſſit, quiſquis profeſſus intra diem non eſt, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt. Paulò verò longior illa eiuſdem, qua ſermonem de patientia exorditur hoc modo: De patientia locuturus fratres dilectiſſimi, & vtilitates eius & commoda prædicaturus, vnde potius incipiam, quàm quòd nunc quoque ad audientiam veſtram patientiam video eſſe neceſſariam: vt nec hoc ipſum, quod auditis & diſcitis, ſine patientia facere poſſitis. Paulò etiam longior eſt ea, quæ deinde ſequitur, periodus: Nec inuenio fratres dilectiſſimi inter ceteras cæleſtis diſciplinæ vias, quibus ad conſequenda diuinitus premia ſpei ac fidei noſtræ ſecta dirigitur, quid magis ſit vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam, quàm vt qui præceptis dominicis obſequio timoris ac deuotionis innitimur, patientiam maximè tota obſeruatione tueamur. Seruiũt autẽ huiuſmodi periodis frequenter cõiunctiones aduerſatiuæ, quanquam, &, ſi, licet: & item comparatiuæ, vt, ſicut, ita, &c. quia vbi hæ particulæ intercedunt, ſenſus orationis niſi in eius fine non abſoluitur: quod huius periodi, quo circunſcriptè dicimus, proprium eſt. Participia quoque in hoc præcipuè reperta ſunt, vt plura verba ſub vna circunductione continerentur. Participia namque verborum vim habent.

His tribus compoſitionis ſpeciebus, cæſis, mẽbris, & periodis additur quarta, Græcis peribole dicta, id eſt, circuitus, aut flexus. Ea verò eſt oratio ſinuoſa & prolixior, conſtans ferè pluribus membris, quàm vulgata periodus: & his flexus

proprius eſt hiſtoricorũ, in quo plura membra & commata ſua ſerie ita ſe æqualiter conſequũtur, vt tamen perſpicua ſit continuata & longior conſtructio. Differt autem peribole à periodo non ita multum, niſi quòd in periodo tam rerum, quàm orationis conſequentia & cohærentia requiritur benè coagmẽtata. Sed peribole eſt hiſtorica & longior conſtructio orationis, non ita nexis inter ſe antecedentibus & conſequentibus, quin facillimè poſſit in ſua membra reſolui. Cauere tamen oportet, ne illa ſit iuſto prolixior, & obſcuritatem vel tædium pariat. Sũmatim ergo, periodus eſt circuitus orationis oratoriæ. Peribole eſt circuitus orationis hiſtoricæ. Talis eſt illa Sanazarij de partu Virginis oratio, qua ſanctorum Patrum in Lymbo reſidentium lætitiam de filij Dei conceptu grandi orationis figura (de qua mox dicemus) his verbis deſcribit.

Interea maneis deſcendit fama ſub imos,
Pallenteisq; domos veris rumoribus implet:
Optatam aduentare diem, quo triſtia linquant
Tartara, & euictis fugiant Acheronta tenebris.
Immanémq; vlulatum, & non lætabile murmur
Tergemini canis, aduerſo qui carceris antro
Excubat inſomnis ſemper, rictuque trifauci,
Horrendum, ſtimulante fame, ſub nocte profunda
Perſonat, morſu venienteis appetit vmbras.

Huic verò quintam addunt conſtructionis ſpeciem, quam Ariſtoteles Camptera, Latini tractum, vel nexum vocant, aut productionem ſpiritus: quæ re vera idem eſt, quod peribole, quam definiuimus: niſi quòd eſt paulò longior: & quò longior, eò elegantior, dum tamen (vt diximus)

modum in hac longitudine ſeruet. Exemplo erit illud D. Cypriani in Epiſtola ad Cornelium, quod etiam grandi figura profluit. Tuetur enim vir Sanctus Epiſcopatus ſui dignitatem aduerſus hæreticos, qui illum Epiſcopum eſſe negabant, eiuſque vitæ & electioni detrahebant. Sic igitur ait: Cæterùm dico, dico enim prouocatus, dico dolens, dico compulſus, quãdo Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi vniuerſi ſuffragio deligitur, quando Dei auxilio in perſecutione protegitur, collegis omnibus fideliter iunctus, plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio iam probatus, in quiete ſeruiens diſciplinæ, in tempeſtate proſcriptus, applicato & adiuncto Epiſcopatus ſui nomine, toties ad Leonem petitus, in circo, in amphitheatro dominicæ donationis teſtimonio honoratus: cùm talis frater à quibuſdam deſperatis, & perditis, & extra Eccleſiám cõſtitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet: non ſcilicet Chriſtus, qui ſacerdotes aut conſtituit, aut protegit: ſed ille, qui Chriſti aduerſari⁹, & Eccleſiæ eius inimicus, ob hoc Eccleſiæ præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur, vt gubernatore ſublato, atrocius & violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſetur. Hactenus ille. His igitur quinque conſtructionis ſpeciebus pro rerum natura, quas tractamus, vtendum erit. Quo fiet, vt ſatietatem varietate vitemus, & rebus ipſis ſuum velut habitum & colorem tribuamus. Periti autem artificis erit, animaduertere, quando his vel illis vti deceat: neque enim huius rei plena obſeruatio præceptis artis comprehendi poteſt. Illud tamen conſtat, cæſa & membra non rarò inſtandi gratia adhiberi, præſertim cùm plura ſint. Periodis tum in argumẽ-

tando, tum in exordijs frequentius vtimur, quā-quam hic longioribus, illic verò breuioribus. Peribole ad hiſtoriæ narrationes & amplificationes accommodatior eſt. Quanquam hæc omnia, & in alijs quoque orationis partibus, non ineptè locum habeāt. Hactenus de Compoſitione (quam tertiam ornatus partem eſſe diximus) qua leniter, iucundè, & apertè decurrit oratio. Deinceps de quarta elocutionis virtute, nempè aptè dicendi, agendum eſt.

De aptè dicendo.

Cap. XVII.

HActenus de tribus Elocutionis virtutibus, nempè Latinitate, & Perſpicuitate, & Ornatu dictum eſt. De Ornatu quoque, qui eſt tum in verbis, tum in figuris, tum etiam in cōpoſitione diſſeruimus. Sequitur aptè dicendi ratio, quæ & ipſa ornatè dicendi pars maxima eſt. Cicero autem paucis totam eius naturam atque rationem breuiter complexus eſt, cùm 2. de Orato. lib. ait, non omni cauſæ, neque auditori, neque perſonæ, nec tempori congruere orationis vnum genus. His igitur rebus aptè atque appoſitè orationē accommodare, id demum aptè dicere eſt. Quod quidem (vt Fab. ait) non in Elocutione tantùm, ſed in Inuentione quoque ſpectatur. Nam ſi tantum habent etiam verba momentum, quantò res ipſæ maius?

Cicero.

Quatuor ſunt autem, quæ præcipuè obſeruare debet, qui aptè dicere cupit, nēpè vt oratio tum dicenti, tum audienti, tum rebus ipſis, quas tractat, & officio, quod gerit, maximè conueniat. Hoc eſt, quis dicat, cui dicat, qua de re dicat, & quid potiſſimum dicendo conſequi velit. In his

igitur omnibus, quid maximè deceat, conſiderandum eſt: quod quidem non ad artis præcepta ſolũ, ſed ad prudentiæ iudiciũ (quod ſicut rerũ omnium gerẽdarum, ita dicendarum moderator eſt) præcipuè pertinet. Inter eius autem officia, & maximum, & difficillimum eſt, quid vbique deceat, intelligere. Hinc enim decorum illud naſcitur, quod omnibus in rebus captandũ eſt. Cæterùm, quid in his quatuor rebus, quas ſuprà memorauimus, maximè deceat, ordine trãctandum eſt.

Primùm igitur eius, qui dicit, ratio habenda eſt. Non enim eadẽ oratio omnibus conuenit: aliter enim iuniores, aliter ſenes, aliter principes viri, aliter humiles atque priuati, aliter inferiores ordinis miniſtri, aliter Epiſcopi & ſuperiores prælati dicere debent. His enim multa licẽt, quæ alijs non perinde licẽt. Quod quidem in D. Chryſoſtom. concionibus apparet: in quarum exordijs auditorum beneuolẽtiam captat, ſuam erga illos charitatem, paternamq; curam & prouidentiam declarans, illorumque interdum laudes & virtutes prædicans. Hoc autem, quod Epiſcopum & virum ſanctiſſimum maximè decebat, alios non perinde deceret. Cũ enim (iuxta Fabij ſententiam) Rhetorica ſit prudentia dicendi, præcipuum autem prudentiæ opus ſit intelligere quid maximè in agẽdo deceat, non minus eiuſdem erit videre, quid vnamquamq; perſonam deceat in dicendo. Vnde, cùm Socrati Lyſias orationẽ, quam in eius defenſionẽ compoſuerat, recitaſſet: Præclara, inquis, & elegans oratio eſt, ſed non conuenit Socrati. Erat enim forenſi inſtituto aptior, quàm philoſopho, ac tali philoſopho. Rurſus Lyſiæ percontanti, cur

ſi bonam iudicaret orationem, putaret ſibi non conuenire: Nõne, inquit, fieri poteſt, vt amictus aut calceus elegans ſit ac pulcher, qui tamen alicui non conueniat? Ad omnes tamen in vniuerſum pertinet, ne quid dicant, quo auditores offendi iure poſſint: hoc eſt, vt nihil inſolenter, nihil arroganter, nihil inuerecundè, nihil petulanter, nihil contumelioſè, nihil ſordidè, nihil ſcurriliter, nihil abiectè, nihil licenter, aut aliâs indecenter & vitioſè dicant, ſed totus orationis character modeſtiam, humanitatem, charitatem, & communis ſalutis ſtudiũ, & ardens veræ pietatis deſiderium præſeferat. Hæc autem modeſtia cùm alijs concionis partibus, tum exordijs maximè conuenit, quæ ſubmiſſa eſſe debent, & verecunda. Has in dicendo virtutes, cùm alij Patres, tum præcipuè D. Cyprianus vbique præfert: nihil enim in eo reperies, quod ad oſtentationem ingenij videri poſſit aſcitum. Talis vbique ſermonis habitus eſt, vt loqui ſentias verè Chriſtianum Epiſcopum, & martyrio deſtinatum. Pectus ardet Euangelica pietate, & pectori reſpondet oratio, loquitur diſerta, ſed magis fortia, quàm diſerta. Hunc autem pietatis & dilectionis affectum declarat, cùm in concionibus ſuis hanc vocem charitatis pleniſſimã frequẽtiſſimè repetit, Fratres dilectiſſimi. Sed hũc tamen affectũ in ſermõ. de Lapſis præcipuè declarauit: cuius hæc verba ſunt: Quid hoc loco faciam, dilectiſſimi fratres, fluctuans vario mentis æſtu? quid, aut quomodo dicam? Lachrymis magis, quam verbis opus eſt ad exprimendum dolorem, quo corporis noſtri plaga deflenda eſt, quo populi aliquando numeroſi multiplex lamẽtanda iactura eſt. Quis enim ſic durus ac fer-

reus, quis ſic fraternæ charitatis oblitus, qui inter ſuorum multiformes ruinas, & lugubres, ac multo ſqualore deformes reliquias conſtitutus, ſiccos oculos tenere præualeat? nec erumpente ſtatim fletu prius gemitus ſuos lachrymis, quàm voce depromat? Quis igitur in his verbis pectus Apoſtolicum & charitatem pluſquam paternam non agnoſcat? Hanc igitur mentem, hunc de tot pereuntium animarum interitu dolorem Eccleſiaſtes aliqua ſaltem ex parte imitari ſtudeat, & quatenus cuique liceat, dicendo quoque manifeſtare curabit.

Verùm hoc in loco nõ tam virtutem noſtram oſtendere, quàm vitia fugere ſtudeamus. Illud enim oſtentationi proximum eſt, ſi nimium ſit, in hoc autem nihil eſſe poteſt nimium. Inter cætera autem vitia quæ fugere debemus, omnem vitioſam ſui iactationem maximè fugiendam eſſe monet Fabius, quòd ea audientibus afferat non faſtidium modò, ſed plerumque etiam odiũ. Habet enim mens noſtra natura ſublime quiddam, & erectum, & impatiens ſuperioris. Ideoque abiecto; & ſubmittentes ſe libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur: & quoties diſceſſit æmulatio, ſuccedit humanitas. At, qui ſe ſupra modum extollit, premere ac deſpicere creditur, nec tam ſe maiorem, quàm minores cæteros facere. Inuidẽt humiliores (nam hoc vitium eſt eorum, qui nec cedere volunt, nec poſſunt contendere) rident ſuperiores, improbant boni. Hactenus ille. Ab hoc autem vitio non admodum abhorrẽt, qui oſtentandi ingenij & eruditionis gratia, difficiles quæſtiones, quæ nihil ad animarum ſalutẽ conducunt, in concionibus tractant. Hac enim ra-

tione ſeipſos oſtentare & venditare populo volunt. Nec minus peccant, qui eloquentiæ laudẽ affectantes, plurima verba idem ſignificantia temerè congerunt: quibus apud imperitum populum & rudem concionem hac loquẽdi facultate & volubilitate linguæ admirationem ſui faciant, cùm tamẽ nihil eſſe poſſit magis eloquẽtiæ contrariũ. Hæc ſunt igitur & his ſimilia, quæ qui dicit, partim cauere, partim obſeruare debet.

Non ſolùm quis dicat, ſed apud quos etiã dicat, conſiderandum eſſe ratio ipſa monet. Aliter enim apud ruſticos & agreſtes homines, aliter apud eruditos, aut nobiles, aut principes viros, & delicatas aures dicendum eſt. Apud hos enim ſublimis & elaborata oratio, apud illos verò cõcitator eſſe debet. Præterea aliter apud monachos & virgines Deo dicatas, hominéſque rerum diuinarum ſtudio & contemplationi addictos, aliter apud eos, qui ſine vllo diuini numinis metu in omnia ſcelera ruunt. Denique pro varietate tum perſonarum, tum vitiorum, quæ in populo graſſantur, variè ſermo tractãdus eſt. Cuius rei monitorem habemus Apoſtolum, qui Timotheo præſcripſit, quid viros, quid vxores, quid ſeniores, quid iuniores, quid diuites docere debeat. Quin & Eccleſiaſticus huius rei nos admonuiſſe videtur, cùm ait: Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate: & cum iniuſto, de iuſtitia: & cum muliere, de his, quæ æmulatur: cum tumido, de bello: cum negotiatore, de traiectione: cum emptore, de venditione: cùm viro liuido, de gratijs agendis: cum impio, de pietate: cum inhoneſto, de honeſtate: cũ operario annuli, de conſummatione anni: cum ſeruo pigro de multa operatione. His igitur verbis nõ obſcurè Ec-

cleſiaſticus docet, pro auditorum varietate ſermonem eſſe variè accõmodandum. Hoc autem parum aduertunt, qui cùm neq; Epiſcopi, neq; vrbium præfecti, neque cognitores cauſarum in concione adſunt, aduerſus illos tonare ac fulminare ſolent, cùm hoc non ſit plebem erudire, ſed indignationem atque odium, quòd fortè aduerſus illos cõceperunt, irritare, atq; exſatiare: quod eſt à Chriſtiana pietate maximè alienũ. Sed hæc ad auditorum perſonam ſpectant.

Nunc quid res ipſas, de quibus dicimus, & concionatoris officium maximè deceat, conſideremus. Quia verò hoc non ſolùm ad eloquendi, ſed etiam ad inueniendi rationem pertinet, quid in hoc genere concionatorem deceat, in ſuperiori libro, cùm de inueniendi ratione ageremus, nõnulla obſeruanda eſſe docuimus. Sed ne nihil hoc in loco dicamus, ille aptè dicere, quod ad inueniendi rationem attinet, putandus eſt, qui pro ratione cauſæ, quam tractat, commodiſſima, maximéque propria, & ad rem potiſſimũ pertinentia dicit: neque ab ea, vel ad communia loca, vel ad peregrina, miniméque inſtituto ſuo deſeruientia) niſi cùm hoc ratio argumenti exigit) digreditur: qui enim ita vagatur, quãuis eleganter fortaſſe dicat, aptè temen minimè dicit: quia non id agit, cuius gratia dicere inſtituit. In quo vitio ſunt concionatores ij, qui inſtituti ſui obliti (quod in hominum moribus caſtigandis & inſtituendis poſitum eſt) aliena, minimeq; huic propoſito ſeruientia tractant, miſeroſque auditores (qui huius rei gratia cõciones adeunt) ieiunos vacuoſque domum dimittunt. Verũ hæc in rebus ipſis obſeruatio(vt modò diximus) ad inuentionis rationem pertinet.

Quod autem Elocutionis genus rebus ipſis pro ipſarum natura & varietate conueniat (in quo huius operis difficultas præcipuè ſita eſt) deinceps aperiendum eſt. Quæ enim hactenus diximus, quamuis maximè neceſſaria, quiuis concionator vel mediocriter eruditus facilè aduertere & præſtare poterit, præſertim ſi fraterna charitate prǽditus ſit. Difficiliora ſunt, quæ ſequuntur, & quæ non tam à communi prudẽtia, quàm ab artis præceptionibus, maturo iudicio, & dicendi exercitatione pendent.

Cuiusmodi elocutionem varia genera cauſarum, variáque concionatoris officia exigant. I.

Sciendum eſt igitur, non idem Elocutionis genus omnibus cauſis & argumentis conuenire. Hoc enim perinde eſſet, atque idem indumenti genus diuerſis perſonarum ſtatibus, nẽpe dominis & ſeruis, viris & fœminis, ſacratis Deo hominibus, & prophanis velle accommodare: cùm conſtet vnicuique harum perſonarum ſuũ peculiarem habitũ & cultum, pro cuiuſque perſonæ conditione & fortuna conuenire. Sic igitur aliud Elocutionis genus in paruis cauſis, aliud in mediocribus, aliud in grauibus deſideratur. Qua de re ſic Fabius ait: Parata facultate ſcribendi, &c. proxima eſt cura, vt dicamus aptè, quam virtutem elocutionis quartam Cicero demonſtrat, quæque eſt (meo quidem iudicio) maximè neceſſaria. Nam cum ſit ornatus orationis varius & multiplex, conueniátque alius alij, niſi fuerit accommodatus rebus atque perſonis, non modò non illuſtrabit eã, ſed etiam deſtruet, & vim rerum in contrarium vertet.

Fab li. 11.

vertet. Quid enim prodeſt eſſe verba & Latina, & ſignificantia, & nitida, niſi cum his, in quæ auditorem duci formariq; volumus, conſentiant? Si genus ſublime dicendi paruis in cauſis, limitatumq; grandibus, lætum triſtibus, lene aſperis, minax ſupplicibus, ſubmiſſum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus, vt monilibus ac marguaritis, ac veſte longa (quæ ſunt ornamenta fœminarum) deformentur viri: nec habitus triumphalis (quo nihil cogitari poteſt auguſtius) fœminas deceat. Hactenus Fab. Idemque libr. 8. de vario orationis ornatu differens, eandem fermè ſententiam, aliquanto tamen apertius, explicat his verbis: Illud obſeruatione dignius, quòd hic ipſe honeſtus ornatus, pro materiæ genere debet eſſe variatus. Atque vt à prima diuiſione ordiar, non idem demonſtratiuis, & deliberatiuis, & Iudicialibus cauſis conueniet. Namque illud genus oſtentationi compoſitum, ſolam petit audiẽtium voluptatem, ideoque omnes dicendi artes aperit, ornatúmque orationis exponit: vt qui non inſidietur, nec ad victoriam, ſed ad ſolum laudis & gloriæ finem tendat. Quare quidquid erit ſententiis popularc, verbis nitidum, figuris iucundum, tranſlationibus magnificum, compoſitione elaboratum, velut inſtitor quidam eloquentiæ intuendum, & penè pertractandum dabit. Nam euentus ad ipſum, non ad cauſam refertur. At vbi res agitur ſeria, & vera dimicatio eſt, vltimus ſit famæ locus. Præterea non debet quiſquam, vbi maxima rerum momenta verſantur, de verbis eſſe ſolicitus. Neque hoc eò pertinet, vt in his nullus ſit ornatus, ſed vt preſſior & ſeuerior, eò minus confeſſus, præcipuè verò ad materiam accõmodatus. Nam &

Idem lib. 8.

ſuadendo, ſublimius aliquid exigit ſenatus, concitatius populus, & in iudiciis publicæ capitalesque cauſſæ poſcunt accuratius dicēdi genus. At priuatum conſilium, causáſque paucorum, vt frequenter accidit, calculorum, purus ſermo & diſſimilis curæ magis decuerit. An non pudeat certam creditam pecuniam periodis poſtulare? aut circa ſtillicidia affici? aut mancipij rehibitione ſuadere? Hactenus Fabius.

Ad Heren. li. 4.

Cornificius autem hæc omnia dicendi genera ad tria reuocat his verbis: Tria ſunt dicendi genera, quæ nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio nonvitioſa conſumitur: vnam grauem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus. Grauis eſt, quæ conſtat ex verborum grauium magna & ornata conſtructione. Mediocris eſt, quæ conſtat ex humiliore, neque tamen ex infima & peruulgariſſima verborum dignitate. Attenuata eſt, quæ demiſſa eſt, vſque ad vſitatiſſimam puri conſuetudinem ſermonis. In graui conſumetur oratio figura, ſi quæ cuiuſque rei potuerunt ornatiſſima verba reperiri, ſiue propria, ſiue extranea, vnamquanque in rem accommodabuntur: & ſi graues ſententiæ, quæ in amplificatione & commiſeratione tractantur, eligentur: & ſi exornationes ſententiarum, aut verborum, quæ grauitatem habebunt, adhibebuntur: In mediocri autem figura verſabitur oratio, ſi hæc (vt antè dixi) aliquantulum demiſerimus, neque tamen ad infimum deſcenderimus. Attenuatum autem figuræ genus, ad infimum & quotidianum ſermonem demiſſum eſt.

Hæc autem tria dicendi genera, quæ rebus ipſis, quas dicimus, pro earum natura atque varietate aptanda ſunt, tribus etiam Oratoris aut Cō-

cionatoris officiis præcipuè conuenire, D. Auguſt.ex Cicer.ſententia auctor eſt. Eius hæc verba ſunt: Dixit quidam eloquens,& verum dixit, ita dicere debere eloquentem,vt doceat,vt delectet, vt flectat. Deinde addidit: Docere neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ. Horum trium,quod primo loco poſitũ eſt, hoc eſt, docendi neceſſitas, in rebus eſt conſtituta, quas dicimus: reliqua verò duo, in modo, quo dicimus. Sicut eſt autem vt teneatur ad audiendum delectandus auditor,ita flectendus, vt moueatur ad agendum. Et ſicut delectatur, ſi ſuauiter loquaris, ita flectitur, ſi amet, quod polliceris,timeat,quod minaris, oderit, quod arguis, quod commendas amplectatur, quod dolẽdum exaggeras, doleat: cùm quid lætãdum prædicas, gaudeat, miſereatur eorum, quos miſerandos ante oculos dicendo conſtituis, fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis, & quicquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt, ad commouendos animos auditorum, non quid agendum ſit, vt ſciant, ſed vt agant, quod agendum eſſe iam ſciunt. Si autem adhuc neſciunt, prius vtique docendi ſunt, quàm mouendi. Et fortaſſe rebus ipſis cognitis, ita mouebuntur: vt eos non opus ſit maioribus eloquentiæ viribus iam moueri. Quod tamen cùm opus eſt, faciendum eſt. Tunc autem opus eſt, quando cùm ſcierint, quod agendum ſit, nõ agunt,ac per hoc docere, neceſſitatis eſt. Poſſunt enim homines & agere & non agere quod ſciunt. Quis autem dixerit,eos agere debere,quod neſciũt? Et ideo flectere neceſſitatis non eſt,quia ſemper opus non eſt,ſi tamen docenti, vel etiam delectanti conſentit auditor. Ideò autem victoriæ eſt flectere, quia fieri

Aug. 4. de doct. Christ.

poteſt, vt & doceatur, & delectetur,& nō aſſentiatur. Cùm verò id docetur, quod agendum eſt, & ideò docetur, vt agatur, fruſtra perſuadetur verum eſſe, quod dicitur, fruſtra placet modus ipſe,quo dicitur, ſi non ita dicitur, vt agatur. Oportet igitur eloquentem Eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid,quod agendum eſt,non ſolùm docere,vt inſtruat, verùm etiam flectere,vt vincat. Hactenus Auguſt.

Ex his autem tribus concionatoris officij colligit idem Sanctus, tria eſſe dicendi genera, ſiue tres formas atque figuras, quæ his tribus officiis reſpondeant. Sic enim eodem in loco ait: Cùm vir eloquens tria præſtare debeat, id eſt, vt doceat, vt delectet, vt flectat, ad eundem etiā hæc tria dicendi genera pertinere, ait idem ipſe Romani auctor eloquij.Sic enim inquit: Is erit eloquens, qui poterit parua ſubmiſsè,modica temperatè,magna granditer dicere: tanquam ſi adderet etiam illa tria, & ſic explicaret vnam eandemque ſententiam, dicens: Is igitur erit eloquens, qui vt doceat, poterit parua ſubmiſsè: vt delectet, modica temperatè:vt flectar, magna granditer dicere. HactenusAuguſtinus.Ex cuius verbis apertè liquet, hæc tria dicendi genera ad tria illa concionatoris officia docendi,delectandi, atque mouendi pertinere.

De tribus eloquendi generibus, & quibus potiſſimum ornamentis, vnumquodque eorum conſtet. II.

Cùm igitur & varietates cauſarum, de quibus antè diximus, & hæc tria concionatoris officia, quæ modò expoſuimus, variam elocutionis rationem habitumq; requirant, de his modò, quot

ſint,& quibus potiſſimum ornamentis conſtent, ex D. Auguſtini ſententia dicēdum eſt. Suntig itur (vt modò diximus) tria dicendi genera: vnum ſubmiſſum, tenue, & acutum: alterum vehemens, copioſum, & graue: tertium eſt interiectum, & intermedium, & quaſi temperatum: in quo nec eſt acumen ſuperioris generis, nec vis poſterioris.

In genere autem ſubmiſſo & acuto forma debet eſſe orationis à vinculis numerorum libera & ſoluta, non tamen vaga, vt ingredi liberè, non vt licenter videatur errare. Diligentia etiam cōglutinandi verba prætermittenda eſt, & omnis inſignis ornatus remouendus. Ponentur tamen acutæ crebræque ſententiæ: ornamenta verborum & ſententiarum cum tropis verecundè parceque adhibebuntur: tranſlationes tamen poterunt eſſe crebriores, nec tam crebræ tamē, quàm in genere dicendi ampliſſimo. Genus temperatum vberius eſt aliquantò & robuſtius, quàm hoc humile, de quo dictum eſt: ſubmiſſius autem, quàm illud (de quo dicitur) ampliſſimum. Huic omnia dicendi ornamenta conueniunt, plurimúmque eſt in hac oratione ſuauitatis. In idem cadunt lumina omnia & verborum, & ſententiarum. Hoc in genere neruorum vel minimum, ſuauitatis autem eſt vel plurimum. At illud amplum, graue, copioſum, ornatum, vim profectò habet, vel maximam: modò enim perfringit, modò irrepit in ſenſus, inſerit nouas opiniones, euellit inſitas. Hic Orator, & defunctos excitabit, vt Appium Cæcum. Apud hunc & patria ipſa exclamabit, aliquemque (vt apud Ciceronem in oratione contra Catilinam in Senatu) alloquetur. Hic & amplificationibus

quoque eriget, & omne genus affectuum (pro rei natura, quam tractat) excutere & concitare poterit. Cæterùm quod ad verborum delectum attinet, genus hoc dicendi amat verba ampla & magnifica, & in reb⁹ atrocibus (vt antè diximus) auditu ipſo aſpera & veluti confragoſa. Ex Tropis autem illuſtres metaphoras, Epitheta, & hyperbolen, ſimilesq; tropos. Huiuſmodi ſunt illa Prophetæ verba: Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes. Et, Ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima: deuorabitque terram cum germine ſuo: & montium fundamenta comburet. Inebriare autem ſagittas ſanguine, & gladium deuorare carnes, ingnes illæ & audaces metaphoræ ſunt, de quibus ante diximus: deuorare autem terram, & montium fundamenta comburere, Hyperbole eſſe videtur, quæ ad rem augendam maximè accommodata eſt. Epitheta quoque & aduerbia epitaſim, hoc eſt, incrementum ſignificantia, ad hoc genus præcipuè pertinent. Hæc omnia breuiter indicat illa Diui Cypriani oratio in Epiſtola ad Cornelium, vbi ait: Gentiles & Iudæi minantur, & hæretici atque omnes, quorum pectora & mentes Diabolus obſidet, venenatam rabiem ſuam quotidie furioſa voce teſtantur: non tamen idcirco cedendum eſt, quia minantur, aut ideo aduerſarius & inimicus maior eſt Chriſto, quia tantum ſibi vindicat & aſſumit in ſeculo. Manere debet apud nos frater fidei robur immobile, & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ obiacentis fortitudine, & mole debet obſiſtere. Huius autem figuræ in Herenni ana

Rhetorica commodiſſimum extat exemplum: quod vel ſolùm quid hoc dicendi genus requirat, abſq; vllis etiam artis præceptionibus poterit indicare: ideóque quanuis ſententia, quæ in eo tractatur, ab inſtituto noſtro nonnihil diſſideat, libuit tamen hoc in loco aſcribere: quoniã facilè cuique erit, ex ſimilibus ſimilia effingere atque perficere. Sic igitur ait: Quis eſt veſtrum Iudices, qui ſatis idoneam poſſit in eum pœnam excogitare, qui prodere hoſtibus patriam cogitarit? quod maleficium cum hoc ſcelere comparari? quod huic maleficio dignum ſupplicium poteſt inueniri? In his qui violaſſent ingenuam, matrem familias conſtupraſſent, pulſaſſent aliquem, aut poſtremò necaſſent, maxima ſupplicia maiores noſtri conſumpſerunt: huic verò truculentiſſimo ac nefario facinori ſingularem pœnam non reliquerunt? Atque in aliis maleficiis ad ſingulos, aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruenit: huius ſceleris qui ſunt affines, omni conſilio vniuerſis ciuibus atrociſſimas calamitates machinantur. O feroces animos! O crudeles cogitationes! O derelictos homines ab humanitate! Quid agere auſi ſunt, aut cogitare potuerunt? Quo pacto hoſtes reuulſis maiorum ſepulchris, & deiectis mœnibus ouantes irruerent in ciuitatem: quomodo DEVM ſpoliatis templis, optimatibus trucidatis, aliis arreptis in ſeruitutem, matribus familias & ingenuis ſub hoſtilem libidinem ſubiectis, vrbs acerbiſſimo concideret incẽdio conflagrata? qui ſe non putant id, quod voluerint, ad exitum perduxiſſe, niſi ſanctiſſimæ patriæ miſerandum ſcelerati viderint cinerem? Nequeo verbis conſequi Iudices indignitatem rei, ſed negligentius

id fero,quia vos mei non egetis. Veſter enim vos animus amantiſſimus Reipubl. facilè edocet, vt eum, qui fortunas omnium voluerit prodere, præcipitem perturbetis ex ipſa ciuitate, quam iſte hoſtium ſpurciſſimorum dominatu nefario voluit obruere. Hactenus Cornifi.qui hoc ampliſſimo dicendi genere proditionis indignitatem & atrocitatem exaggerat. Ex figuris autem verborum & ſententiarum, quas vim & acrimoniam habere diximus, cùm de illis loqueremur, & pręcipuè deſcriptiones rerum & perſonarum, Conformatio & Congeries illa, quæ Græcè Sinathriſmus dicitur, qua multa ſimul, quæ rei magnitudinem attollunt, vnum in locum congeruntur, ad hoc genus pertinent. Compoſitio verò longiores periodos, & flexuoſam orationis formam, quæ multa cæſa & membra includit, deſiderat: de quibus paulò antè propoſitis eiuſdem D. Cypriani exemplis locuti ſumus. Omnes verò amplificandi rationes, de quibus etiam ſuo loco diximus, huic generi pręcipuè ſeruiunt. In hoc autem genere licet interdum (cum rei dignitas poſtulat) tonare, ac fulminare, & cœlum ac terram inuocare: quale eſt illud Iſaiæ exordium: Audi cœlum, & auribus percipe terra: quia Dominus locutus eſt. Et apud Hier. Dominus: Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & cæt.

Quibus in rebus, his tribus dicendi figuris ſiue generibus vti debeamus: ex D. Auguſt. ſententia, libr. 4. de doctrina Chriſtian.

Cap. XVIII.

QVoniam quid vnaquæq; harum figurarum exigat, & quibus potiſſimum ornamentis

conficiatur, oſtendimus, ordo exigit, vt quando non omnes hæ formæ omnibus cauſis & argumentis conueniunt, quibus potiſſimum vnaquæque harum conueniat, explicemus. Hunc autem laborem D. Auguſtin. in 4. de doctri. Chriſtiana libr. nobis ademit, qui variis ſanctarum ſcripturarum, & ſanctorum Patrum propoſitis exemplis præcipuam hanc Rhetoricæ artis partem copioſè tractauit, Quia verò is, nonnulla alia huic præceptioni obiter admiſcet, ne harum rerum admixtio lectori tenebras offundat, nos, quæ ad hanc præceptionem maximè pertinent, ab aliis ſeiuncta, eiuſdem D. Auguſtin. verbis hoc in loco adſcribenda curauimus. Is igitur vbi ex Ciceronis mente dixiſſet, eum eſſe eloquentem, qui vt doceat, parua ſubmiſsè: vt delectet, modica temperatè, magna granditer diceret, ſic ait: Hæc tria inſignis ille Orator in cauſis forenſibus poſſet oſtendere, non eſt autem hoc in Eccleſiaſticis quæſtionibus, in quibus huiuſmodi, quem volumus informare, ſermo verſatur. In illis enim ea parua dicuntur, vbi de rebus pecuniariis iudicandum eſt: ea magna, vbi de ſalute, ac de capite hominum: ea verò, vbi nihil horum iudicandum eſt, nihilque agitur, vt agat, ſiue decernat, ſed tantummodo vt delectetur auditor, inter vtrunque quaſi media, & ob hoc modica, hoc eſt, moderata dixerunt. Modicis enim modus nomen impoſuit. Nam modica pro paruis abuſiuè, non propriè dicimus. In iſtis autem noſtris, quandoquidē omnia maximè, quæ de loco ſuperiore populis dicimus, ad hominum ſalutem, nec temporariam, ſed æternam referre debemus, vbi etiam cauendus eſt æternus interitus, omnia ſunt magna, quæ dicimus, vſque

adeò, vt nec de ipſis pecuniariis rebus, vel acquirendis, vel amittendis parua videri debeant, quæ doctor Eccleſiaſticus dicit, ſiue ſit illa magna, ſit parua pecunia. Neque enim parua eſt iuſtitia, quam profectò & in parua pecunia cuſtodire debemus, dicente Domino: Qui in minimo fidelis eſt, & in magno fidelis eſt, quod ergo minimum eſt, minimum eſt: ſed in minimo fidelem eſſe, magnum eſt. Nam ſicut ratio rotunditatis, id eſt, vt à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem eſt & in magno diſco, quæ in nũmulo: ita vbi parua iuſtè geruntur, non minuitur iuſtitiæ magnitudo. Et tamen cùm Doctor iſte debeat rerum doctor eſſe magnarum, non ſemper eas debet granditer dicere, ſed ſubmiſsè cùm aliquid docetur, temperatè cùm aliquid vituperatur, vel laudatur. Cùm verò aliquid agendum eſt, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea, quæ magna ſunt, dicenda ſunt granditer, & ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de vna eadémque re magna, & ſubmiſsè dicitur, ſi docetur, & temperatè, ſi prædicatur: & granditer, ſi auerſus inde animus, vt conuertatur, impellitur. Quid enim ipſo Deo maius eſt? Nunquid ideò non diſcitur? Aut qui docet vnitatem Trinitatis, debet niſi ſubmiſſa diſputatione agere, vt res ad intelligendum difficilis, quantum datur, poſſit intelligi: Nunquid hic ornamenta, & non documenta quæruntur? Nunquid vt aliquid agat eſt flectendus auditor, & non potius vt diſcat inſtruendus? Porrò cùm laudatur Deus, ſiue de ipſo, ſiue de operibus ſuis, quanta facies pulchræ ac ſplendidæ dictionis oboritur ei, qui poteſt? quantum poteſt laudari, quem

nemo conueniéter laudat? quem nemo quomodocunque non laudat? At ſi non colatur, aut cum illo, vel etiam præ illo colantur idola, ſiue dæmonia, ſiue quacunque creatura, quantum hoc malum ſit, atque vt ab hoc malo auertantur homines, debet vtique granditer dici. Submiſſæ dictionis exemplum eſt apud Apoſtolum Paulum (vt planius aliquid commemorem) vbi ait: Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe, legem non legiſtis? Scriptum eſt enim, quòd Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera: ſed ille quidem, qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſſionem: quæ ſunt in allegoria. Hæc enim ſunt duo teſtamenta, vnum quidem in monte Sina, in ſeruitutem generans, quæ eſt Agar. Sina enim mons eſt in Arabia, quæ coniuncta eſt huic, quæ nunc eſt Hieruſalem, & ſeruit cum filiis ſuis. Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalē, libera eſt: quæ eſt mater noſtra: &c. Idémque ibi ratiocinatur, & dicit: Fratres, ſecundum hominem dico, tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo irritum facit, aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit in ſeminibus, tanquam in multis, ſed tanquam in vno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus. Hoc autem dico teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta ann. facta eſt lex, non infirmat ad euacuandas promiſſiones. Si enim ex lege hereditas, iam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donauit Deus. Et quia occurrere poterat audientis cogitationi: Vt quid ergo data eſt lex, ſi ex illa non eſt hæreditas? ipſe ſibi hoc obiecit, atque ait velut interrogans: Quid ergo lex? Deinde reſpōdit: Trans

greſſionis gratia poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt, diſpoſita per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius nõ eſt: Deus verò vnus eſt. Et hic occurrebat, quod ſibi ipſe propoſuit, Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? Et reſpondit: Abſit: Redditque rationem, dicens: Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus, &c. Hæc igitur omnia, quæ docendi gratia inducta ſunt, ſubmiſſo dicendi genere tractantur.

In illis autem Apoſtolicis verbis dictio temperata eſt: Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, iuniores vt fratres, anus vt matres, adoleſcentulas vt ſorores. Et in illis: Obſecro autem vos fratres per miſerationem Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. Et tótus ferè ipſius exhortationis locus temperatum habet elocutionis genus: vbi illa pulchriora ſunt, in quibus propria propriis tanquam debita reddita decenter excurrunt, ſicuti eſt: Habentes dona diuerſa ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis: ſiue prophetiã ſecundum regulam fidei: ſiue miniſterium, in miniſtrando: ſiue qui docet, in doctrina: ſiue qui exhortatur, in exhortatione. Qui tribuit, in ſimplicitate: qui præeſt, in ſolicitudine: qui miſeretur, in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione: odientes malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore mutuo præuenientes, ſtudio non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes, neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem

ſectantes. Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere: gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus: idipſum inuicem ſentientes. Et quàm pulchrè iſta omnia ſic effuſa, bimembri circuitu terminantùr? Non alta ſapiẽtes, ſed humilibus conſentientes. Et aliquanto poſt, In hoc ipſo, inquit, perſeuerantes. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Quæ membratim fuſa clauduntur etiam ipſo circuitu, quem duo membra connectunt. Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.

Grande autem dicendi genus hoc maximè diſtat ab iſto temperato genere, quod nõ tam verborum ornatibus acceptum eſt, quàm violentis anima affectibus. Nam capit etiam illa ornamẽta penè omnia, ſed ea ſi non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu ſuo, & elocutionis pulchritudinem, ſi occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris aſſumit. Satis eſt enim ei propter quod agitur, vt verba congruentia non oris eligantur induſtria, ſed pectoris ſequantur ardorem. Nam ſi aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur intentiſſimus pugnæ, agit quidem ille armis quod agit, non quia ſpecioſa, ſed quia arma ſunt, idem ipſe eſt tamen, & valet plurimum etiam cum rimanti telo mira facit. Agit Apoſtolus, vt pro Euangelico miniſterio patienter mala huius temporis conſolatione donorum Dei omnia tolerentur. Magna res eſt & granditer agitur, nec deſunt ornamenta dicendi: Ecce nunc, inquit, tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: nullam cuique dantes offenſionem, vt non reprehendatur miniſterium noſtrum: ſed in omni- 1. *Cor.* 6

bus commendantes noſmetipſos, vt Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt ſeductores & veraces, vt qui ignoramur & cognoſcimur quaſi morientes, & ecce viuimus, vt coërciti & non mortificati, vt triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egeni, multos autem ditantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Vide adhuc ardentem; Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt, &c. quæ perſequi longum eſt: Item ad Romanos ait, vt perſecutiones huius mundi charitate vincantur, ſpe certa in adiutorio Dei. Agit autem granditer & ornatè: Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti: quoniam quos ante præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: quos autem prædeſtinauit, illos & vocauit, & quos vocauit, ipſos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donabit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, magis autem qui reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat

pro nobis. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperuincimus per eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque præſentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ad Galatas autem quamuis tota illa Epiſtola ſubmiſſo dicendi genere ſcripta ſit, niſi in extremis partibus, vbi eſt eloquium temperatum, tamen interponit quendam locum eo motu animi, vt ſine vllis quidem talibus ornamentis, qualia ſunt in his, quæ modò poſuimus, non poſſet tamen niſi granditer dici. Dies, inquit, obſeruatis, & menſes, & annos, & tempora. Timeo vos, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. Eſtote ſicut & ego: quia & ego ſicut vos. Fratres, precor vos nihil me læſiſtis: Scitis quia per infirmitatem carnis iampridem euangelizaui vobis, & tentationes veſtras in carne mea non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Quæ ergo fuit beatitudo veſtra? Teſtimonium vobis perhibeo, quoniam ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Ergo inimicus factus ſum vobis verum prædicans? Æmulantur vos non bene, ſed excludere vos volunt, vt eos æmulemini. Bonum eſt autem in bono æmulari ſemper, & non ſolùm cùm præſens ſum apud vos, Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis:

Vellem autem nunc adeſſe apud vos, & mutarẽ vocem meam, quia confundor in vobis. Nunquid hic aut contraria contrariis verba ſunt reddita, aut aliqua gradatione ſibi ſubnexa ſunt, aut cæſa & membra circuitúſue ſonuerunt? Et tamen non ideo tepuit grandis affectus, quo eloquium feruere ſentimus. Sed Apoſtolica iſta ſic clara ſunt, vt & profunda ſint: atque ita conſcripta, memoriæque mandata, vt non ſolùm lectore, vel auditore, verùm etiam expoſitore opus habeant, ſi quis in eis, non ſuperficie contentus, altitudinem quærat.

Quapropter videamus iſta genera dicendi, in eis, qui iſtorum lectione ad rerum diuinarum atque ſalubrium ſcientiam profecerunt, eadémque Eccleſiæ miniſtrarunt. *Cypria.* Beatus Cyprianus ſubmiſſo dicendi genere vtitur in eo libro, vbi de ſacramento calicis diſputat. Soluitur quippe ibi quæſtio, in qua quæritur vtrum calix Dominicus aquam ſolam, an eam etiam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratia aliquid inde ponendum eſt. Poſt principium ergo Epiſtolæ iam ſoluere incipiens propoſitam quæſtionem. Admonitos autem nos ſcias, inquit, vt in calice offerendo. Dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis, quã quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, vino mixtus offeratur. Nam cùm dicat Chriſtus, Ego ſum vitis vera: Sanguis Chriſti nõ aqua eſt vtique, ſed vinum, nec poteſt videri ſanguis eius, quo redempti & viuificati ſumus, eſſe in calice, quando vinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur, qui ſcripturarum omnium ſacramento ac teſtimonio prædicatur. Inuenimus enim in Geneſi circa ſacramentum Noë

hoc

hoc idem præcurriſſe, & figuram Dominicæ paſſionis illis extitiſſe, quòd vinum bibit, quod inebriatus eſt, quòd in domo ſuà nudatus eſt, quòd fuit recumbens nudis & patentibus fœmoribus, quòd nuditas illa patris à medio filio denotata eſt, & foras nuntiata, à duobus verò maiore & minore contecta: & cætera, quæ neceſſe non eſt exequi, cùm ſatis ſit hoc ſolùm complecti, quo Noë typum futuræ veritatis oſtendens, non aquam, ſed vinum biberit, & ſic imaginem Dominicæ paſſionis expreſſerit. Item in ſacerdote Melchiſedech Dominici ſacramenti præfiguratum videmus myſterium, ſecundum quod ſcriptura diuina teſtatur & dicit: Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit enim ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus ex perſona Patris ad Filium, dicẽs: Ante luciferum genui te. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Hæc & alia, quæ ſequuntur huius Epiſtolæ, ſubmiſſæ dictionis modum ſeruant: quod facilè eſt explorare legentibus. Sanctus quoque Ambroſius cùm agat rem magnam de Spiritu ſancto, vt eum Patri & Filio demonſtret æqualem, ſubmiſſo tamen dicendi genere vtitur: quoniam res ſuſcepta nõ ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, ſed rerum documenta deſiderat. Ergo inter cætera in principio huius operis ait: Commotus oraculo Gedeon, cùm audiſſet quod deficientibus licet populorum millibus, in vno viro Dominus plebem ſuam ab hoſtibus liberaret, obtulit hœdum caprarum. Cuius carnes ſecundum præcepta Angeli, & azima ſupra petram *Ambroſ*

poſuit, & ea iure perfudit. Quæ ſimul, vt virgæ cacumine, quam gerebat Angelus Dei, contigit, de petra ignis erupit, atque ita ſacrificium, quod offerebatur, abſumptum eſt. Quo indicio declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Chriſti: quia ſcriptum eſt, Bibebant de conſequenti petra: petra autem erat Chriſtus. Quod vtique non ad diuinitatem eius, ſed ad carnem relatum eſt, quæ ſitientium corda populorũ perenni riuo ſui ſanguinis inundauit. Iam tunc igitur in myſterio declaratũ eſt, quia Dominus Ieſus in carne ſua totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec ſolùm delicta factorum, ſed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, ſicut ſcriptum eſt: Quia concupiuit populus cupiditatem peſſimam, & dixerunt: Quis nos cibabit carne? Quòd igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exijt, oſtendit, quòd caro Domini & Spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Vnde & Dominus ait: Ignem veni mittere in terram, &c. In quibus verbis Ambroſius rei docendæ ac probandæ maximè incumbit.

Cypriã. De genere temperato eſt apud Cyprianum virginitatis illa laudatio: Nunc nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quò ſublimior gloria eſt, maior & cura. Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atq; ornamentum gratiæ ſpiritualis, lęta indoles laudis & honoris, opus integrum atq; incorruptum, imago Dei reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per ipſas, atque in ipſis largiter floret ſãctæ matris Eccleſię glorioſa fœcunditas: quantóque plus glorioſa virginitas numero ſuo addit,

tanto plus gaudium matris augeſcit. Et alio loco in fine Epiſtolæ, Quomodo portauimus, inquit, imaginem eius, qui de limo eſt, ſic portemus & imaginem eius, qui de cælo eſt. Hanc imaginem virginitatis portat integritas, ſanctitas portat & veritas, portant diſciplinæ Dei memores, iuſtitiam cum religione retinentes, ſtabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad ſuſtinendas iniurias mites, ad faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace vnanimes atq; concordes. Quæ vos ſingula obſeruare, diligere, implere debetis, quæ Deo, & Chriſto vacantes, ad Dominum, cui vos dicaſtis, maiore & meliore parte præceditis. Prouectæ annis, iunioribus facite magiſterium. Minores natu præbete paribus incitamentum: hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam prouocate, durate fortiter, pergite ſpiritaliter, peruenite feliciter, tantum mementote tūc noſtri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari. Ambroſ. etiam genere dicendi temperato & ornato, profeſſis virginibus proponit matrē Domini tanquā ſub exēpli forma, quod moribus imitentur, & dicit: Virgo erat nō ſolùm corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſyncerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legēdi ſtudioſior, nō in incerto diuitiarū, ſed in prece pauperis ſpē reponens, intenta operi, verecunda ſermonibus, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere: nullū lædere, bene velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiā, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel nutu læſit parentes? quādo diſſenſit à propinquis? quādo faſtidi-

Ambroſ.

uir humilem? quando irriſit debilem? quãdo vitauit inopem? Eos ſolos ſolicita cœtus virorum inuiſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior: vt ipſa corporis ſpecies ſimulachrum fuerit mentis, & figura probitatis. Bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac primo prætendat ingreſſu, nihil intus latere tenebrarum, tanquam lucernæ lux intus poſita, foris luceat. Quid ego exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam: alterum ſuper naturam ſuperfuiſſe, alterum ipſi naturæ penè defuiſſe: Illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminati ieiunio dies: & ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerunque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret, &c. Hæc autẽ propterea in exemplo huius temperati generis poſui, quia non hic agit, vt virginitatem voueant, quæ nõdum vouerunt, ſed quales eſſe debeãt, quæ iam votæ ſunt. Nam vt aggrediatur animus tantum ac tale propoſitum, grandi vtique dicendi genere debet excitari & accendi. Sed martyr Cyprianus de habitu Virginum, non de ſuſcipiendo virginitatis propoſitio ſcripſit. Iſte verò Epiſcopus etiam ad hoc eas magno accendit eloquio.

Verũ ex eo, quod ambo egerũt, dictionis grandis exempla memorabo. Ambo quippe inuecti ſunt in eas, quæ formam pigmentis colorent, vel potius decolorãt: quorũ prior ille cum hoc ageret, ait inter cætera. Si quis pingendi artifex vultum alicuius, & ſpeciem, & corporis qualitatem æmulo colore ſignaſſet, & ſignato iam conſum-

matoque ſimulachro manus alius inferret, vt iam formata, iam picta quaſi peritior reformaret, grauis prioris artificis iniuria & iuſta indignatio videretur. Tu te exiſtimas impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offenſam? Vt enim circa homines impudica & inceſta fucis lenocinantibus non ſis, corruptis violatisq; quæ Dei ſunt, peior adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta diuini operis, præuaricatio eſt veritatis. Monentis Apoſtoli vox eſt: Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque feſta celebremus, nõ in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis. Num ſynceritas perſeuerat & veritas, quando quæ ſyncera ſunt, polluuntur, & adulterinis medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit: Non potes facere capillum vnum album, aut nigrum: & tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te eſſe potiorem? Audaci conatu, & ſacrilegio contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum capillos iam tibi flammeos auſpicaris. Longum eſt inſerere omnia, quæ ſequuntur. Ille verò poſterior, vt in tales diceret: Hinc illa, inquit, naſcuntur incentiua vitiorum, vt quæſitis coloribus ora depingant, dum viri diſplicere formidant; & de adulterio vultus, meditantur adulterium caſtitatis.

Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere? Et dum verẽtur maritale iudicium, ſuum perdiderunt. Prior enim de ſe pronunciat, quæ cupit mutare, quod nata eſt: ita dum alij ſtudet placere, prius ipſa ſibi diſplicet.

Quem iudicem mulier veriorem deformitatis tuæ requirimus, quàm te ipſam, quæ videri times? Si pulchra es, cur abſconderis? ſi deformis, cur te formoſam eſſe mentiris, nec tuæ conſcientiæ, nec alieni gratiã erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu adultero vis placere: & iraſceris, ſi amet aliam, qui adulterare in te docetur. Mala magiſtra es iniuriæ tuæ. Lenocinari refugit etiam, quæ paſſa eſt leonem. Ac licet vilis mulier, non alteri tamen, ſed ſibi peccat. Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina ſunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Satis, vt exiſtimo, apparet, fœminas, ne ſuam fucis adulterent formam, & ad pudorem, & ad timorẽ hac facundia vehementer impelli.

Proinde neque ſubmiſſum, neque temperatum, ſed grande omnino genus hoc elocutionis agnoſcimus. Et in his autem, duos quos ex omnibus proponere volui, & in alijs Eccleſiaſticis viris, & bona, & bene, id eſt, ſicut res poſtulat, acutè, ornatè, ardenterque dicentibus, per multa eorum ſcripta vel dicta poſſunt hæc tria genera raperiri, & aſſidua lectione, vel auditione, admixta etiam exercitatione ſtudentibus inoleſcere.

Nec quiſquam præter diſciplinam eſſe exiſtimet iſta miſcere: imò quantum congruè fieri poteſt, omnibus generibus dictio variãda eſt. Nam quando prolixa eſt in vno genere, minus detinet auditorem. Cùm verò fit in aliud ab alio, tranſitus, etiam ſi longius eat, decentius procedit oratio: quanuis habeant & ſingula genera varietates ſuas in ſermone eloquentium, quibus non ſinuntur in eorum, qui audiunt, frigeſcere vel tepeſcere ſenſibus. Veruntamen facilius ſubmiſ-

ſum ſolùm, quàm ſolùm grande diutius tolerari poteſt. Commotio quippe animi quanto magis excitãda eſt, vt nobis aſſentiat auditor, tãto minus in ea diu teneri poteſt, cùm fuerit quantum ſatis eſt excitata. Et ideo cauendum eſt, ne dum volumus altius erigere, quod erectum eſt, etiam inde decidat, quò fuerat excitatione perductũ. Interpoſitis verò quæ ſunt dicenda ſubmiſſius, bene reditur ad ea, quæ opus eſt granditer dici, vt dictionis impetus ſicut maris æſtus alternet. Ex quo fit, vt grande dicendi genus, ſi diutius eſt dicendum, non debeat eſſe ſolùm, ſed aliorum generũ interpoſitione varietur: ei tamen generi dictio tota tribuatur, cuius copia præualuerit. Intereſt enim, quod genus cui generi interponatur, vel adhibeatur certis & neceſſarijs locis: nam & in grandi genere ſemper, aut penè ſemper temperata debent eſſe principia. Et in poteſtate eſt eloquentis, vt dicantur nonnulla ſubmiſsè, etiam quæ poſſent granditer dici: vt ea, quæ dicuntur grãditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, & eorum tanquã vmbris luminoſiora reddantur. In quocunq; autem genere aliqua quæſtionum vincula ſoluẽda ſint, acumine opus eſt, quod ſibi ſubmiſſum genus propriè vẽdicat. Ac per hoc eo genere vtendũ eſt, & in alijs duobus generibus, quando in eis iſta incidunt, ſicut laudandum aliquid, vel vituperandum: vbi nec damnatio cuiuſquã, nec liberatio, nec ad actionem quanlibet aſſenſio requiritur: in quocunque alio genere occurrerit, genus adhibendum & interponendum eſt temperatum. In grandi ergo genere inueniunt ſuos locos duo cætera, & in ſubmiſſo ſimiliter. Temperatum autẽ genus, non quidem ſemper, ſed tamen aliquando ſub-

miſſo indiget, ſi (vt dixi) quæſtio, cuius nodus eſt ſoluendus, incurrat: vel quando nonnulla, quæ ornari poſſent, ideo non ornantur, ſed ſubmiſſo ſermone dicũtur, vt quibuſdam quaſi thoris ornamentorum præbeant eminentiorem locum. Grandè autem genus temperata dictio non requirit. Ad delectandos quippe animos, non ad mouendos ipſa ſuſcipitur. Non ſanè ſi dicenti crebrius & vehementius acclametur, ideo granditer putandus eſt dicere: hoc enim & acumina ſubmiſſi generis, & ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerunque pondere ſuo voces premit, ſed lachrymas exprimit. Denique cùm apud Cæſaream Mauritaniæ diſſuaderem populo pugnam ciuilem, vel potius pluſquam ciuilem, quam cateruam vocabant (neque enim ciues tantummodo, verùm etiã propinqui, fratres, poſtremò parentes, ac filij lapidibus inter ſe in duas partes diuiſi, per aliquot dies continuos, & certo tempore anni ſolenniter dimicabant, & quiſque, vt quenque poterat, occidebat) egi quidem grãditer quantum valui, vt tam crudele atque inueteratum malum de cordibus & moribus eorum auellerem, pelleremque dicendo: non tamen egiſſe me aliquid putaui, cùm eos audirem acclamantes, ſed cùm flentes viderem. Acclamationibus quippe ſe doceri & delectari, flecti autem lachrymis indicabant. Quas vbi aſpexi, immanem illam conſuetudinem à patribus & auis longè à maioribus traditam, quæ pectora eorum hoſtiliter obſidebat, vel potius poſſidebat, deuictam, antequam re ipſa id oſtenderent, credidi. Moxque ſermone finito, ad agendas Deo gratias, corda atq; ora conuerti. Et ecce iam fermè octo vel amplius anni ſunt, propitio

Chriſto,ex quo illic nihil tali tentatum eſt. Sunt & alia experimenta multa, ouibus dicimus homines, quid in eis fecerit ſapientis grandiªas dictionis,non clamore potius, quàm gemitu, aliquando etiam lachrymis,poſtremò vitæ mutatione monſtraſſe. Submiſſo etiam dicendi genere ſunt plerique mutati,ſed vt,quod neſciebant, ſcirent, aut quod eis videbatur incredibile,crederent: non autem vt agerent, quod agendum iam nouerant,& agere nolebant. Ad huiuſmodi nanque duritiem flectendam, debet grãditer dici. Nam &laudes & vituperationes,quando eloquenter dicuntur, cùm ſint in genere temperato,ſic afficiunt quoſdam,vt non ſolùm in laudibus & vituperationibus eloquentia delectentur, verùm etiam ipſi laudabiliter appetant, fugiantque vituperabiliter viuere. Et mox: Illud verò,quod agitur genere temperato,id eſt,vt eloquentia ipſe delectet, non eſt propter ſeipſum vſurpandum: ſed vt rebus,quæ vtiliter honeſteque dicuntur(ſi nec docente indigent eloquio, nec mouente: quia ſcientes, & fauentes auditores habent) aliquantò promptius ex ipſa delectatione elocutionis accedant, vel tenacius adhæreat aſſenſus. Nam cùm eloquentiæ ſit vniuerſale officium, in quocunque iſtorum trium generum dicere aptè ad perſuaſionem: finis autem, id quod intendis, perſuadere dicendo: in quocunque iſtorum trium generum dicit quidem eloquens ad perſuaſionem, ſed niſi perſuadeat,ad finem non peruenit eloquentia. Perſuadet autem in ſubmiſſo genere, vera eſſe,quæ dicit. Perſuadet in grandi, vt agantur, quæ agenda iam eſſe ſciuntur, nec tamẽ aguntur. Perſuadet in genere temperato pulchrè ornateq; ſe dicere,

quo fine nobis quid opus eſt? Appetant eum, qui lingua gloriantur, & ſe in Panegyricis, talibuſque dictionibus iactant, vbi nec docendus, nec ad aliquid agendum mouendus, ſed tantummodò eſt delectādus auditor. Nos verò iſtum finem referamus ad alterum finem, vt ſcilicet quod efficere volumus cùm granditer dicimus, hoc etiam iſto velimus: id eſt, vt bona morum diligantur, vel deuitentur mala, ſi ab hac actione non ſic alieni ſunt homines, vt ad eam grandi genere dictionis vrgendi videantur: aut ſi iam id agunt, vt agant ſtudioſius, atque in eo firmiter perſeuerent. Ita fiet, vt etiam temperati generis ornatu non iactanter, ſed prudenter vtamur: non eius fine contenti, quo tantummodo delectatur auditor, ſed potius hoc agentes, vt etiam ipſo ad bonum, quod perſuadere volumus, adiuuetur. Hæc omnia ex Diuo Auguſt. ad verbum ſelecta ſunt: quibus hæc præceptio de triplici dicendi genere, ſiue de tribus orationis formis adeò copioſè & apertè tradita eſt, vt facilè quiſque Concionator intelligat, quo dicendi charactere in quauis concione, vel concionis parte ſit vſurus.

His autem, quæ vir ſanctus adeò copioſè explicauit, totque commodiſſimis exemplis illuſtrauit, nihil deeſſe videtur, niſi vt caueamus quod Cornificius diligenter admonet, ne dum hæc tria dicendi genera conſectamur, in finitima his virtutibus vitia incidamus. Nam graui figuræ quæ laudanda eſt, propinqua eſt ea, quæ eſt fugienda, quæ rectè videbitur appellari, ſi ſufflata nominabitur. Nam vt corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſæpe: ita grauis oratio ſæpè imperitis videtur ea quæ turget, & in-

flata eſt, cùm aut nouis, aut priſcis verbis, aut duriter aliunde tranſlatis, aut grauioribus quàm res poſtulat, aliquid dicitur, hoc modo: Nã qui perduellionibus venditat patriam, non ſatis ſupplicij dederit, ſi præceps in neptunias depulſus ierit lacunas. Pœnitet igitur iſtum, qui montes belli fabricatus eſt, campos ſuſtulit pacis. In hoc genus plerique cùm declinauiſſent, & ab eo quo profecti ſunt, aberrauerunt, & ſpecie grauitatis falluntur, nec proſpicere poſſunt orationis tumorem. Qui in mediocre genus orationis profecti ſunt, ſi peruenire eò non potuerunt, errantes perueniunt ad confinium eius generis, quod appellamus diſſolutum, quod eſt ſine neruis & articulis: vt hoc modo appellẽ fluctuãs: eo quòd fluctuat huc & illuc, nec poteſt confirmare, nec viriliter ſeſe expedire. Id eſt huiuſmodi: Socij noſtri cum belligerare nobiſcum vellent, profectò ratiocinati eſſent etiam atq; etiam, quid poſſent facere, ſiquidem ſua ſponte facerẽt, inde haberent, hinc adiutores multos malos homines & audaces. Solẽt enim diu cogitare omnes, quia magna negotia volũt agere. Nõ poteſt huiuſmodi ſermo tenere attentum auditorẽ: diffluit enim totus, neq; quicquam comprehendens perfectis verbis amplectitur. Qui nõ poſſunt in illa faceciſſima verborum attenuatione commodè verſari, veniunt ad aridum & exãgue genus orationis, quod non alienum eſt exile nominari, cuiuſmodi eſt hoc: Nam ille iſtic in balneis acceſſit, ad hunc poſtea dixit: hic tuus ſeruus me pulſauit: poſtea dixit hic illi, conſiderabo: pòſt ille conuicium fecit: & magis magiſque præſentibus multis clamauit. Friuolus hic quidem iam & illiberalis eſt ſermo: nõ enim adeptus eſt id, quod habet attẽta figura,

puris verbis & electis compoſitam orationem. Hactenus Cornificius.

De grandiloqui generis materia.

Cap. XIX.

QVIA verò grande genus orationis ſublimitatem & vim ad commouendos animos habet (quod quidem eſt præcipuum, & ſingulare concionatoris officium) danda illi opera eſt, vt in omni concione vnam aliquam rem, aut plures etiam eligat, quas hac dicendi figura proſequatur. Ad hoc autem pertinent (vt ex D. Auguſt. exemplis colligitur) quæcunque in ſuo genere maxima ſunt, & ad mouẽdos animos potentiſſima cuiuſmodi nonnulla docendi gratia hoc in loco breuiter annotabimus. Periti autem Concionatoris erit eadem rationibus & ornamentis, quæ paulò antè expoſuimus, exaggerare, & talia dicendo facere, qualia ſunt.

Ad hoc ergo genus pertinent, quæ de ſeueritate extremi iudicij, de atrocitate & æternitate pœnarum, quas improbi apud inferos patiuntur, de letalis peccati grauitate dicũtur. Qua amplificata vehementer aduerſus eos, qui ſine vllo pũgentis conſcientiæ aculeo tot letalia peccata cõmittunt, incandeſcere poſſumus. Similique ratione aduerſus eos indignamur, qui leuiſſimis de cauſis, hoc eſt, propter exiguum lucrum, aut etiam ſine vllo ſuo commodo diuinam maieſtatẽ gratis offendere, & eius amicitiam & gratiam amittere non verentur. quam rem idem ipſe Dominus ſic apud Hierem. amplificat, cùm ait: Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehemẽter. Duo enim mala fecit populus meus,

& cæt. Hac item ratione illorum periculum amplificamus, qui ſtatim à confeſſione nulla interpoſita mora in eadem crimina relabuntur, atque hunc tota vita ludum ludunt: & eorum etiam, qui de die in diem conuerſionem ſuam procraſtinant: ac multò magis eorum, qui ad extremũ vitæ diem pœnitentiam differunt: & eorum etiã, qui quàm diutiſſimè peccatoris aſſueuêre: quorum conuerſio adeò difficilis eſt, vt Dominus per Hieremiam dicat: Si poteſt Aethiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas: ita & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malè. Verùm maius adhuc periculũ eſt obdurati & excæcati cordis, ad quod eadẽ peccandi conſuetudine peruenitur. Eodẽ modo amplificamus ſummum redemptionis noſtrę beneficium: quo ſummus ille rerum omnium cõditor, vt non diuinitatis & gloriæ ſuæ particepes efficeret, atrociſſimum crucis ſupplicium ſubire, & ſanguinem ſuum pretioſum pro nobis fundere dignatus eſt. In quo quidem beneficio omnia ſunt adeò magna, vt maiora eſſe nequeãt, hoc eſt, & meritum, & præmium, & ſupplicium, & dignitas dantis, & indignitas recipientis. Hinc orationis impetum flectimus ad hominum tum malitiam, tum ingrati animi crimen exaggerandum: qui ne tanta quidem Domini ſui bonitas à peccatis cohibentur, nec pro tanto beneficio dignas redemptori gratias agunt. Neque diſſimilis ratio eſt, cætera diuina beneficia, & ingratitudinem hominum amplificandi: atque eorum præcipuè, qui diuinis muneribus non ad largitoris gloriam, ſed (quod eſt multò indignius) ad eius iniuriam abutuntur. Hoc autẽ genus argumenti mira orationis grandiloquentia Moyſes non quidẽ Rhe-

torico; ſed prophetico ſpiritu afflatus tractat in Cantico illo, cuius initium eſt, Audite cæli quæ loquor: in quo primùm diuina beneficia, deinde populi ingratitudinem, & ſcelera, ac poſtremò diuinæ iuſtitiæ ſupplicia ſceleratis hominibus inferenda ampliſſima oratione attollit. Similíque ordine & facultate dicendi idem argumentum tractat Ezechiel cap. 17. ſub metaphora virginis derelictæ, & à Deo in ſponſã aſſumptæ, & mnltis opibus auctæ & ornatæ: quæ tamẽ fidem ſponſo daram violauerit, & adulterium admiſerit. Eadem orationis figura Amos cap. 6. aduerſus Iſraelitici populi principes exclamat his verbis: Væ vobis, qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredietes pompaticè domum Iſrael. Tranſite in Calenne: & cætera, quæ ſequũtur. Huius autem loci grandiloquentiam D. Auguſt. 4. de doct. Chriſt. lib. miratur, & varia eius ornamenta copioſè declarat. Verùm hæc, quæ docendi gratia ſubiecimus, exempla ad indignationis affectum cõmouendum pertinẽt. In quo quidẽ amplificationis genere, illa, quam Græci Dinoſim vocant, præcipuè dominatur, quæ rei indignationem magnoperè auget, & attollit, de qua mox dicemus.

Auguſt.

Nemo tamẽ his exemplis admonitus exiſtimet, ad hos tantùm affectus hoc orationis genus deſeruire. quæcunque enim alia res, ſiue nimium fauſta & læta, ſeu vehementer triſtis, & luctuoſa exiſtat, hoc orationis genere tractãda eſt: Vtriuſq; rei commodiſſimum extat exemplum apud D. Cyprianum in ſermon. de lapſis: initio nanque rem tractat lætiſſimam. Gratulatur enim Eccleſiæ de inſigni confeſſorum gloria at-

Cypriã.

que fortitudine, qua Chriſti fidem apud infideles iudices conſtanti animo confeſſi fuerãt. Deinde verò miſerandam lapſorum ruinam & inconſtantiam, qui tormentorum metu à fide deſciuerant, mœſtiſſima oratione lamẽtatur. Confeſſores igitur glorioſos initio ſermonis his verbis collaudat. Exoptatus votis omnibus dies venit, & poſt longæ noctis horribilem terramque caliginem, Dei luce radiatus mundus eluxit. Cõfeſſores pręconio boni nominis claros, & virtutis atq; fidei laudibus glorioſos, lætis conſpectibus intuemur, ſanctis oſculis adhęrentes, deſideratos diu inexplebili cupiditate complectimur. Adeſt militum Chriſti cohors candida, qui perſecutionis vrgentis ferociam turbulentam ſtabili congreſſione fregerunt: parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis, repugnaſtis fortiter ſeculo: ſpectaculum glorioſum præbuiſtis Deo: ſecuturis fratribus fuiſtis exemplo. Quam vos læto ſinu excipit mater Eccleſia de prælio reuertentes. Quàm béata, quàm gaudens portas ſuas aperit, vt adunatis agminibus intretis, de hoſte proſtrato trophæa referentes: Cum triumphantibus viris & fœminę veniunt, quæ cum ſeculo dimicantes, ſexum quoque vicerunt. Veniunt & geminata militiæ ſuæ gloria virgines, & pueri annos ſuos virtutibus tranſeuntes, &c. Sunt & argumenta alia, quæ hoc genus dicendi exigunt: Ea verò facilè quiſque ex his, quæ diximus, intelligere poterit.

Illud tamen hoc in loco aduertendum eſt, vnius rei amplificationem alteri aditum præbere. Vt exempli cauſa, cùm extremi iudicij ſeueritatem aut gehennæ ſupplicium amplificauerimus,

incandeſcere licebit aduerſus multorum hominum ſtuporem atque cæcitatem : qui cum hoc certiſſima fide teneant, non verentur præcipites in omnia ſcelera, atque adeò in ipſa gehennæ ſupplicia ſine vllo doloris ſenſu irruere.

De alijs ornatus virtutibus, ac in primis de Energia, quæ Latinè Euidentia dicitur.

Cap. XX.

PRæter has autem quatuor ornatus virtutes, quas in Tropis, Figuris, Compoſitione, & aptè dicendi ratione poſuimus, ſunt & aliæ, quæ ad eundem ornatum pertinent, quas modò breuiter attingemus.

Eſt enim in primis Energia, quæ Latinè dicitur Euidentia, ſiue repræſentatio: quæ rem oculis euidenter veluti ſpectandam proponit & repræſentat. Qua de re ſic Fab. ait: Magna virtus eſt, res, de quibus loquimur, clarè atq; vt cerni videantur, enunciare. Quod aliquando breui oratione, aliquando longiori efficitur. Hoc modò Cicero luxurioſum conuiuium deſcribit his verbis: Videbar videre alios intrantes, alios verò exeuntes, quoſdam ex vino vacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes. Humus erat immunda lutulenta vino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium. Quid plus videret, qui intraſſet? Sic vrbium captarum creſcit miſeratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam eſſe ciuitatem, complectitur omnia, quæcunque talis fortuna recipit, ſed in affectus minus penetrat breuis hic velut nuncius. At ſi aperias hæc, quæ verbo vno incluſa erant, apparebunt effuſæ per domos ac templa flãmæ & ruentium

Fab. lib. 8. cap. 13

tium tectorum fragor, & ex diuerſis clamoribus vnus quidam ſonus, aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu ſuorum cohærentes, & infantium, fœminarúmque ploratus, malè vſque in illum diem ſeruati fato ſenes, tum illa profanorum ſacrorumque direptio, efferentium prædas, repetentiúmque diſcurſus, & acti ante ſuum quiſque prædonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater, & ſicubi maius lucrũ eſt, pugna inter victores. Licet enim hæc omnia (vt dixi) complectatur euerſio, minus eſt tamen totum dicere, quàm omnia. Hactenus Fabius. Ex cuius exemplis liquet, ad hoc genus virtutis rerum& perſonarum deſcriptiones (de quibus in tertio huius operis libro diſſeruimus) maximè pertinere. Eæ nanque rem oculis ita ſubijciunt, vt qui dicit, non dixiſſe, ſed pinxiſſe, & qui audit, non tam audiſſe, quàm inſpexiſſe videatur.

Ad hanc etiam virtutem pertinet illud ſimilitudinis genus obſcuris rebus explicandis accommodatum: quo, ex rebus familiariter notis, ea quæ ſunt reconditiora & obſcuriora patefacimus, & velut ex tenebris in lucem producimus. Eſt enim (vt Ariſtoteles ait) innatũ nobis, vt ex notioribus, & ijs, quæ ſenſu percipiuntur, ad ignotiora, & quæ intellectu cõprehenduntur, procedamus. Hoc autẽ ſimilitudinis genere aliquando quidem breuius, aliquando latius ſacræ literæ vtuntur. Tale eſt illud: Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, &c. Et apud Hieremiam: Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit, & veluti fluuiorum intumeſcunt gurgites eius? Ægyptus fluminis inſtar aſcendet & velut flumina mouebun-

tur fluctus eius. Et Dominus in Euangelio: Quoties, inquit, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Longiores ſunt illæ apud Eſaiam: quomodo ſi rugiat leo ſuper prædam ſuam, cùm occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: ſic deſcendet Dominus exercituum ſuper montem Sion, vt prælietur. Et alio in loco idem: Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, &c. Sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.

Ad hanc enim virtutem Emphaſim quoque pertinere idem Fab. author eſt. Ea namque appoſitiſſimo nomine, reíque naturam maximè ſignificante, exprimit: quam inter verborum figuras collocauimus. Præciſio quoque, quæ plus tacendo, quàm docendo ſignificat, ad hoc genus pertinet: quam etiam inter ſententiarum figuras numerauimus.

Dinoſis. I.

Eſt etiam virtus alia, quam Græci Dinoſim, id eſt, grauitatem vocant: qua vtimur in exaggeranda rei indignitate. Qua virtute Demoſthenes plurimum valuiſſe dicitur. Hac enim fit, vt rei indignitas tanta appareat, quanta eſt: & interdum etiam maior, quàm eſt. Vtinam autem eam nobis Dominus dicendi facultatem concederet, vt peccati indignitatem, & peccati ſupplicia, & multorum fidelium ſtuporem, & ſalutis ſuæ neglectum, cæteraq; his ſimilia oratione noſtra, non dico ſupra id, quod ſunt, attollere, ſed ſaltem exæquare poſſemus, & tanta dicendo effi-

ſere, quanta ſunt. Sed quæ dicendi facultas hæc ipſa pro dignitate amplificare queat? Danda tamen nobis opera eſt, vt quàm proximè fieri poterit, ad hanc rerum magnitudinem explicandam accedamus: quòd torpentium atq; ignorantium animos ſalutari & neceſſario metu concutere & excitare poſſimus.

De Copia. II.

Pertinet etiam ad eloquendi rationem orationis vbertas & copia, qualem in D. Chryſoſtomo videmus. Vt enim eruditæ aures breuitate & acumine ſententiarum, & preſſa oratione gaudēt: ita rudes & indoctæ copia rerum maximè capiūtur. Ad hanc verò copiam pertinet, vt quicquid aptè & commodè pro ratione argumenti dici poteſt, ad cauſſam afferamus: neque quicquam, quod eam magnopere tueatur, prætermittamus. Deinde vt ea ipſa, quæ adducimus, non indigeſta & anguſta, ſed copioſa oratione ita proſequamur, vt quidquid virium in rebus ipſis latet, eruamus, & in medium proferamus. Quod Exornationis proprium eſſe ſuperius diximus, cùm Collectionis partes explicauimus. Cuius rei exempla ex D. Cypriano, Gregorio Niſſeno & Euſebio Emiſſeno adduximus. Ad hanc etiam virtutem pertinet vitare Tautologiam (cuius ſuperius mentionem fecimus) quæ eſt eiuſdem verbi vitioſa repetitio inopiæ cauſa facta: cùm is, qui dicit, adeò inops verborum eſt, vt rem eandem ſignificaturus, verbum aliud tantundem efficiens non inuenit, quo eam exprimat. qui enim copiæ ſtudet, non rerum modò, ſed verborum etiam diues eſſe debet: ne inopiæ cauſa idem verbum centies (vt multi faciunt) repetere cogatur.

Porrò autem quemadmodum liberalitatis virtuti duo vitia finitima ſunt, nempe auaritia, & prodigalitas:quorum alterum defectu, alterum redundantia virtutis mediocritatem deſerit: ita planè capiæ vtroque modo ſua vitia aduerſantur. Nam illi primùm orationis ariditas contraria eſt, commune barbarorum & imperitorum vitium, qui animi ſui ſenſus ieiuna & ſterili oratione declarant. Hi enim nõ vident hoc vel maximè (vt ante diximus) dialecticam & ſcholaſticam orationem ab oratoria diſtare: quod illa neruis & oſſibus tantùm conſtat, hæc iſtis cutẽ, & carnem, & ſanguinem, & coloris pulchritudinem addat. Per redundantiam verò illi aduerſatur vitium illud, quod Aſiatiſmum ab Aſianis appellant: qui longiſſima oratione minimèque neceſſaria vtebãtur, inaniq; verborum congerie luxuriabant. Aduerſatur etiam hoc eodem modo Macrologia, de qua mox dicemus.

De orationis varietate. III.

Eſt etiã varietas, non vulgaris orationis virtus: cui contrarium eſt vitiũ mirè tædioſum, Homilogia: quæ nulla varietatis gratia læuat tædium, eſtq; tota coloris vni⁹. Eſt igitur primùm quidẽ in rebus ipſis adhibenda varia & multiplex ſupellex, quàm varia autorum tum noſtrorum tum etiam Ethnicorum lectio præſtabit. Ad quod nõ modò ſententiæ, ſed etiam exempla, ſimilia, & apophthegmata mirè faciũt. Vtendum etiam tribus illis dicendi generibus, de quibus hactenus diximus, infimo, temperato, atque grandi, quæ magnam orationi varietatem conciliant. Cùm autem multa membra in eadem orationis ſerie coniunguntur, ne longa rerum enumeratio fa-

ſtidium pariat, varietas figurarum adhibenda eſt, quæ orationem à moleſta illa rerum continuatione vendicet. Ad quod cùm aliæ figuræ, tum præcipuè interrogatio maximè conducit. Sic Ambroſ. in eo exẽplo, quod paulò antè poſuimus, cùm multas Beatiſſimæ Virginis virtutes recto orationis ductu enumeraſſet, orationem hac interrogatione variauit. Quando illa vel nutu læſit parentes? quando vitauit inopem? quando faſtidiuit humilem? & cæt. Deinde repetitione quoque varietatem auxit: Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: nõ geſtus fractior, & cætera quæ ſequuntur. Denique omnes tam verborum, quàm ſententiarum figuræ, huic orationis varietati deſeruiunt. Vt enim perſonæ alio atque alio cultu, ita eædem ſententiæ alio atq; alio verborũ & figurarũ habitu veſtiri poſſunt. Quod vt planius fiat, exempla aliquot, quibus hanc variandi rationem Rhetores commendant, ſubijciemus. Non eſt miſerum mori: &, Vſque adeò ne mori miſerum eſt? Nihil eſt te vanius, an quicquam eſt te vanius? His per interrogationẽ variata eſt figura. Non magnam laudem aſſecutus es: egregiam verò laudẽ es aſſecutus. Nõ iſta curat populus: Id populus curat ſcilicet. Hic per Ironiam commutata eſt ſermonis facies. Vehementer amat pecuniam: Bone Deus, quàm amat pecuniam. Per admirationem verſus eſt orationis color. Tum Deum contẽnit, tum homines. Haud ſcio, magis ne Deum contemnat, an homines. Hic per dubitationem commutata eſt orationis forma. Nihil mihi charius aut antiquius fama: Diſpeream, ſi quid mihi charius fama. Hic per adiurationem variatus eſt ſermo. Eſt vir inſigni

vanitate: O ſingularem hominis vanitatem! Hic per exclamationem. Non modò virgines aliquot conſtuprauit, verùm etiam Veſtalem inceſtu polluit: Virgines complures ſtuprauit, vt interim de Veſtali inceſtu polluta ſileam. Hic per occupationem variatus eſt ſermo. Cùm & genere ſis obſcuriſſimo, & re nulla, nullis literis, nulla forma, nullo ingenio, quid eſt, cur te adeò iactes? Quid habes, cur tam ſis inſolens? Natalium ſplẽdorem? Atqui genere es obſcuriſſimo. Opes? at vel Iro ipſo pauperior es. Eruditionem? ſed bonas literas neque attigiſti vnquam: Formam? at ipſo Therſite deformior es: Ingenium? at iſtud profectò nactus es ſtupidiſſimum. Quid igitur iſta tua iactantia eſt, niſi mera inſania? Hic per ſubiectionem variatus eſt orationis habitus.

Variatur etiam oratio per æquipollentiam: de qua Dialectici quoque diſſerunt. Ea conſtat negationis additione, detractione, geminatione, & verbis contrariis. Vt, primas obtinet, non eſt in poſtremis. Vir egregiè doctus, vir minimè indoctus. Omnia fecit, nihil non fecit. Placet, non diſplicet. Accipio conditionem, non recuſo conditionem. Ad hanc formam pertinent, quæ actionem & paſſionem declarant. Ab illo graue vulnus accepit: Inflixit illi graue vulnus. In Cicerone quædam deſiderantur à doctis: In Cicerone docti quædam deſiderant.

Facilis eſt item variandi ratio per dictiones relatiuas, quæ & ipſa ad cõtrariorum genus pertinent. Vxor illius eſſe non vult? non vult illum maritum. Recuſat illius eſſe ſocer: recuſat illum generum. Pudet me huius nurus: pudet me huius ſocrum videri. Non alium mihi patrem: nullius malim eſſe filius. O me tali felicem præce-

ptore: Felicem me, qui tuus ſim diſcipulus. Hæc de Elocutionis virtutibus dicta ſufficiant: nunc ad vitia illis aduerſantia tranſeamus.

De vitijs Elocutioni ac præcipuè ornatui oppoſitis.

Cap. XXI.

QVONIAM de Elocutionis, ac præcipuè de ornatæ orationis virtutibus diximus, reliquum eſt, vt quoniam virtutibus vitia contraria ſunt, de vitiis quoque orationis nonnulla dicamus, quò ea ſtudioſè declinantes, virtutes plenius conſectari valeamus. Et quidem cùm initio huius libri quatuor præcipuas Elocutionis virtutes eſſe dictum ſit, vt videlicet oratio eſſet emendata, perſpicua, ornata, & rebus quæ dicuntur apta & accommodata: quæ eſſent emendatæ & perſpicuæ orationi contraria vitia, ſimul cum ipſis virtutibus expoſuimus. Ornatæ autem atque aptæ orationis vitia, quoniam plurima ſunt, in hunc locum reſeruauimus: propterea quòd ea niſi cognitis virtutibus haud facilè cognoſci poterant. Atque vt ſummatim rem totam perſtringamus, quæcunque aduerſus ea, quæ ad ornatè aptéque dicendum requiri diximus, pugnant, orationis vitia ſunt. Cùm igitur ornatus tria illa potiſſimum exigat, delectum verborum cum rebus ipſis cohærentium, accommodatas eiſdem verborum & ſententiarum figuras, lenem & numeroſam compoſitionem: quidquid aduerſus iſta peccat, vitium eſt. Nec minus vitium eſt, ſi oratio perſonis & rebus apta non ſit. Sed quia ſub hac communi admonitione varia vitia continentur, operæpretium erit, eadem

ſigillatim enumerare, ſuiſque nominibus, quo apertius cognoſcantur, annotare. Incipiamus ab eo vitio, quod honeſtiſſimo cuique cumprimis vitandum, nempè cacemphaton, id eſt, obſcœna pronunciatio, cùm turpe aliquod verbum, vel parum honeſtum dicimus. Cuius rei exemplum ponere non decet, ne in id vitium incidamus, quod vitãdum præcipimus. Verùm cùm aliquid huiuſmodi ſignificandum neceſſariò eſt, periphraſi aùt alio tropo vtemur.

Fab.li.8 Deformitati proximum vitium eſt Tapinoſis, qua rei magnitudo vel dignitas verbis aut ſententiis minuitur, cùm videlicet rei honeſtæ vel ſplendidæ ſordidum nomen tribuimus, parumq; rei dignitati eius accommodatum. Cui natura contrarium, ſed errore par eſt, paruis dare excedentia modum nomina: vt ſi quis parricidã appellauerit nequam hominem, aut deditum meretrici, nefarium. Illud enim parum, hoc nimiũ eſt. Debent enim verba rebus conuenire, niſi cùm aliquid augere volumus: de quo in amplificandi rationibus dictum eſt.

Tautologia, hoc eſt, vitioſa eiuſdem verbi repetitio, non nitoris, ſed inopiæ cauſa facta: id quod aridis & inexercitatis euenit, vt eadem per eadem dicant, & eandem quaſi cantilenam recãtent, cordaq; oberrẽt eadem. Vnde adagium manauit, Crambe bis poſita mors. Varietas ergo verborum adhibenda eſt, cùm res eadem ſæpius eſt dicenda, ne idem verbum pluries in eodem contextu reperatur.

Ibidem. Pleonaſmos adiectio verbi ſuperuacua: vt, Sic ore locuta eſt. Itaque non inurbanè Cicero aduerſus Panſam declamans, cùm is dixiſſet filium à matre decem menſibus in vtero latum, ille cõtrà,

trà. Quid igitur? aliæ in penula geſtare ſolent? Omne enim verbum, quod intellectum aut ornatum non adiuuat, vitioſum dici poteſt. Excuſatur tamen hoc, cùm aſſeuerationis gratia ſit: quale eſt illud: Vocémque his auribus hauſi, & Hiſce oculis vidi: ne nega.

Macrologia, id eſt, iuſto longior ſermo, quale eſt illud: Legati non impetrata pace, retro domum, vnde venerant, reuerſi ſunt. Verùm hic in breui ſententia peccatum eſt. Peius tamen eſt, cùm hoc eodē modo in tota oratione peccatur, hoc eſt, quando quæ breuiter & dici & intelligi poterant, longa & perplexa oratione tractantur, quæ res prudentem auditorem obtundit enecátque.

Cacozelon, id eſt, mala affectio, per omne dicendi genus peccat. Nam & tumida, & exilia, & prædulcia, & abundantia, & arceſſita, & exultantia ſub idem nomen cadunt. Denique Cacozelon vocatur, quicquid eſt vltra virtutem, quoties ingenium iudicio caret & ſpecie boni fallitur, omnium in eloquentia vitiorum peſſimum. Nam cętera parum vitantur, hoc petitur. In hoc autem vitium incidit, quiſquis eam orationem affectat, cui non eſt par neque aſſuetus. *Idē ibid.*

Brachilogia, id eſt, conciſum, cùm de re graui nimis breuiter & anguſtè loquimur: quæ longiorem & apertiorem requirebat ſermonem. Quòd ſi is, qui dicit, aliò properans hoc ipſum præſtare non poterit, cauſam reddere conueniet, cur rem amplam anguſtis terminis comprehenderit.

Mioſis, id eſt, diminutio ſuperiori vitio affinis, niſi quòd pluribus verbis fit, vbi de re magna & ardua eſt iuſto tenuior & ſimplicior oratio,

quàm eius dignitas, & natura poſtulat: vt ſi quis materiam grandem & ſplendidam ſermone quotidiano & iacente, ſeruilique proferat. Hoc enim eloquentiæ proprium eſt, ſermonem dignitati rerum parem adhibere.

Bõphiologia, hoc eſt, tumiditas, contraria Mioſi, vbi res tenues & leuiculæ efferuntur affectata, tumida, & ſpecioſa, nimíſque magnifica oratione: vt ſi quis ad amicum in epiſtolio, vel ad ruſticos & indoctos ſplendidis nugetur periodis. Quod vitium ſic irridet Horatius in Arte:

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Fab. lib. 11. cap. 1 Hoc idem Fabius reprehendit his verbis: Vt orantem pro capite ſolicitudo doceat, & cura, & omnes ad amplificandam orationem quaſi machinæ: ita in paruis rebus iudiciíſq; vana ſint eadem: rideatúrque meritò, qui apud diſceptatorẽ de re leuiſſima ſedens dicturus, vtatur illa Cic. confeſſiõne, non modò ſe animo commoueri, ſed etiam corpore ipſo perhorreſcere.

Aſiatiſmus, id eſt, Aſianum genus orationis, immodicum verbis & figuris, ſed rebus inane. Hoc enim orationis genere Aſiani vtebantur: à quibus huius vitij nomen deſumptum eſt, vt paulò antè diximus.

Idē lib. 8 cap. 3. Homœologia, mirè tædioſum vitium, quod nulla varietatis gratia leuat tædium, éſtque tota coloris vnius: quæ maximè deprehenditur carens arte oratoria. Eodem quippe ducitur ſemper tenore, ſic cantilena aliqua tædioſior, neque numeris, neque ſonis probè diſtincta & variata: ideóque non animis ſolùm, ſed etiam auribus eſt ingratiſſima. Eſtque hoc vitium ſu-

periori finitimum, & ſequenti contrarium.

Picilogia, coloratum, ſuperiori contrarium vitium, vbi nihil in oratione rectum, aut proprium eſt, ſed omnia immodicè figurata, & ſicut verſicolor veſtis ſcurriliter picturata & conſuta ſunt: Talis eſt ferè ſermo Apulianus: atque hoc quidem vocatur aliàs immodicè floridum, eò quòd pueriliter & effœminatè floſculis figurarum abutatur.

Periergia, id eſt, curioſitas, & ſuperuacua, vt ſi dixerim, operoſitas: vt à diligenti curioſus, & à religione ſuperſtitio diſtat. Ea verò eſt, cùm de re nihili, & in ſententia leuicula multum verborum abſumimus, nimíſque futiliter immoramur. Quod vitium copiam malè affectantibus eſt valdè familiare.

Cacophonia, id eſt, abſurditas, vel abſonum: cùm duriter & confragosè inter ſe cohærent, & colliduntur, ſtridéntque literæ & ſyllabæ. Eſt autem hoc vitium in verſu maximè cauendum, niſi vbi res tumultuoſior requirit talem aſperitatē. Peccat autem hoc vitium contra compoſitionis lenitatem & concinnitatem.

Arithmon, id eſt, ſine numeris, eſt oratio carens numeris & compoſitione tolerabili: vt ſi quis merè breuibus breuia, aut merè longis longa continuet, aut perpetuis commatibus tinniat, vel continuatis membris abundet, vel perpetuis periodis incedat pomposè. De quo vitio Fabius lib. 9. cap. 4. & Cicero in Oratore perfectò præcipit. Etenim quædam temperatura ſyllabarum eſt facienda, quam & aures mediocriter purgatæ ſentiant, & probent: vt Pontus ſcribit in opere de Euphonia.

Oniconomiton, id eſt, indiſtinctum, ſuperiori

affine vitium,peccans contra decorum orationis & diſpoſitionis, in qua nulla eſt œconomia, ſed omnia confuſa ſurſum deorſumque miſcentur: & fit plerunque verbis pluribus in oratione longa,quæ caret arte & ordine, neque habet diſpoſitionem artificialem, neque naturalem. Verùm hoc vitium non contra elocutionem, ſed contra orationis diſpoſitionem eſt, de qua ſuperius diximus: in quod tamen non rarò multi concionatores incidunt: præſertim cùm parum meditati ſuggeſtum conſcendunt.

Præter hæc autem vitia numerantur breuiter à Fabio alia. Eſt enim oratio hebes, in qua nihil eſt acuminis. Eſt item ſordida, in qua nullus eſt nitor, nullus ſermonis cultus & elegantia. Eſt ſterilis & ieiuna, quam nulla dicendi vbertas & copia orationis ornat atque dilatat, qualis imperitorum eſt,& arte carentium. Eſt item ſubtriſtis, quæ nihil habet lætum, nihil floridum, quo capiat auditorem. Eſt & ingrata, quæ nihil habet ſuauitatis & iucunditatis. Eſt & vilis, ſordidæ affinis,in qua nihil accuratè dicitur. Vt igitur hæc vitia fugienda, ita contrariæ virtutes captandæ ſunt: quas quidem facilè conſequetur quiſquis ea, quæ de orationis ornatu hactenus dicta ſunt, ſeruare conabitur. Hæc de elocutionis virtutibus ſimul ac vitiis dicta ſufficiant.

ECCLESIASTICÆ RHETORICÆ, SIVE DE RATIONE concionandi,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

LIBER SEXTVS,

In quo de actione, ſiue pronunciatione, & quibuſdam aliis ad concionandum adiumentis diſſeritur.

PRÆFATIO.

SVpereſt vtiliſſima eadémq; ad ſcribendum difficillima huius operis pars, quam Rhetores pronunciationem, ſiue actionem nuncupant: ſed illud nomen ad figuram vocis, hoc ad corporis geſtum & motum pertinet. De hac virtute Fabius & Cornificius copioſius, quã cæteri Rhetores ſcripſerunt. Cui quidem facultati tantũ idem Cornificius tribuit, vt non magis inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem & memoriam ſine pronunciatione ad agendum conferre dicat, quàm ſolam ſine his omnibus pronunciationem. Quàm ſit verò difficile de hac re præcepta tradere, idem etiam declarat his verbis: Quia nemo de pronunciandi ratione diligenter ſcripſit, (nam omnes vix putarunt poſſe de voce, vultu & geſtu dilucidè ſcribi, cùm hæ res ad ſenſus noſtros pertinerent) & quia magnopere ea pars à nobis ad dicendum comparanda eſt, non negligenter videtur tota res conſideranda. Hæc ille. Idem etiam, vbi de geſtu corpo-

ris præcepta dediſſet, hæc verba ſubiecit: Non ſum neſcius, quantum ſuſceperim negotij, qui motus corporis exprimere verbis, & imitari ſcriptura conatus ſim voces. Verùm nec hoc cõfiſus ſum poſſe fieri, vt de his rebus ſatis cõmodè ſcribi poſſet: nec ſi id fieri non poſſet, hoc quod feci, fore inutile putabã: propterea quòd hic admonere voluimus, quid oporteret: reliqua tradẽmus exercitationi. Hoc ſcire tamẽ oportet, pronunciationem bonam id perficere, vt res ex animo agi videatur. Hactenus ille. Nos igitur horũ autorũ veſtigijs inſiſtentes, prætermiſſis iis, quæ illi multa ad ciuiles cauſas tractandas literis cõmiſerunt (quæ lectori faſtidium parere poſſent) ea ſolum eligemus, quæ inſtituto noſtro fuerint commodiora: ne in tradenda hac re, quæ (vt paulò poſt videbimus) eſt omnium pręſtãtiſſima, ſtudioſo concionatori defuiſſe videamur. Sed quoniam viri adeò eloquentes difficile eſſe docent, pronunciationis præcepta tradere, danda nobis venia erit (qui vix, quod ſentimus, explicare dicendo poſſumus) ſi minus plenè & apertè quæ de ea dicenda erunt, exponemus. Quanuis enim de hac virtute nec omnia tradere, nec facili & dilucida oratione tradere valeamus: quia tamen res magni momenti eſt, nullo modo ea, quæ præcipi poſſunt, negligenda ſunt. Hæc enim legẽtium ingenia ad ea, quæ deſunt, quæque verbis exprimi nequeunt, excitari poterunt. Incidi paucis antehac diebus in librum quendam Gallica linguâ ſcriptum, qui de arte atque ratione venandi diſſerebat: qui eouſq; ad ſingularis artis huius præcepta deſcendit, vt iis notis, quibus Cantores ea, quæ concinnunt, deſignare in libris ſolent, inſinuaret, qua vocis figura atque ſono canes à vena-

toribus vocandi, atque ad venandum concitandi eſſent. Demiratus certè ſum hominũ diligentiã, qui ad hanc quoque rem non modò præcepta excogitarunt, ſed etiam genus quoddam cantici & vocis, quo bruta animantia vocanda eſſent, non loquendo, ſed ſcribendo tradere tentarent. Si ergo iſti adeò ſtudioſi in re nihili fuerunt, cur nos in tradenda re omnium præſtantiſſima, maximéque concionatoribus neceſſaria, ab illis ſuperabimur? Ego itaque non modò ex his eloquentiſſimis viris (quos ſupra memoraui) huius rei obſeruationes & præcepta in medium offeram, ſed etiam quæ ipſe longo concionandi vſu conſequi potui, illis adiungam, eáque variis exemplis illuſtranda atque exponenda curabo.

Pronunciationis neceßitas & commendatio.

Caput primum.

Qvanta ſit rectæ pronunciationis neceſſitas & vtilitas, non video qua ratione magis explicare poſſim, quàm quòd non raro mihi videre contigit, imò verò nemo nõ paſſim videt, concionatores plurimos, quibus neque eruditio in diſputando, nec eloquentia in ſcribendo, nec pietas & religio in vita deeſt, quorum tamen cõciones vix vllæ aures patienter ferre poſſunt, cuius rei non alia profectò cauſa eſt, quàm quod hac vna pronunciãdi virtute deſtituti ſunt. Hos autem auditorum vulgus eruditos quidem viros, dicendi tamen gratia carere ait: gratiæ videlicet nomine hanc agendi & pronunciandi virtutem deſignans. Hæc igitur vna pars maximè in dicendo dominatur: ſine qua ſummus etiam concionator eſſe in numero nullo poteſt:

mediocris verò hac inſtructus ſummos ſæpè ſuperare. Nam & infantes actionis dignitate eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt: & diſerti multi deformitate agendi infantes putati ſunt. Cuius rei ea vel præcipua cauſa eſſe videtur, quòd auditores ita afficiuntur, vt ad eorum oculos & aures, vultus, ſermóque peruenit. Hinc D. Bernard. Epi. 66. Solet, inquit, acceptior eſſe ſermo viuus, quàm ſcriptus, & efficacior lingua, quàm litera: nec tam affectũ exprimit ſcribens digitus, quàm vultus. Nõ tam enim quid dicas, aut quibus verbis dicas, quàm quo vultu & actione dicas, attendere homines ſolent. Id adeò verum eſt, vt ſi rem indigniſſimam lenta & languida voce pronuncies, ita ipſi quoque eandem concipiant, neque pro rei indignitate moueantur. Contra verò ſi leuem alioqui iniuriam acri voce & vultu enunciaueris, ſimilem motum auditorum animis incuties. Eſt enim pronunciatio (vt in priori libro diximus) velut extrema orationis forma, quæ tales in auditorum animis motus & affectus ingenerat, qualis dicentis vox, vultus, & geſtus præ ſe ferunt. Nec ad motus animorum tantùm, ſed ad fidem etiam faciendam apta pronunciatio plurimum valet. Quam rem aduerſus Callidium oſtendit Cicero. Callidius nanque Gallum accuſauit, M. Tullio defendente: cumque accuſator affirmaret, ſe teſtibus, chirographis, quæſtionibus probaturum, ſibi à reo fuiſſe præparatum venenum: ſed interim, rem tam atrocem remiſſo vultu, languida voce, ac reliquo geſtu parum concitato pronunciaret, M. Tullius: An iſta, inquit, ſi vera eſſent, ſic à te dicerentur? Tantum abeſt, vt inflammares noſtros animos, vt ſomnum iſto loco vix teneremus. Sed commodius

erit, Fabium huius virtutis laudes commemorantem audire. Is igitur 11. oratoriarum inſtitutionum libro ſic ait.

Habet pronunciatio miram quandam in oratione vim ac poteſtatem. Neque enim tã refert qualia ſint, quæ intra noſmetipſos compoſuimus, quàm quo modo efferantur. Nã ita quiſq; vt audit, mouetur. Qua re neque probatio vlla, quæ modò venit ab oratore, tam firma eſt, vt nõ perdat vires ſuas, niſi adiuuetur aſſeueratione dicẽtis. Affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi voce, vultu, & totius propè habitu corporis inardeſcant. Nam cùm hæc omnia fecerimus, felices tamen ſi noſtrum illum ignem iudex conceperit, ne dum eum ſupini ſecurique moueamus, ac non & ipſe noſtra oſcitatione ſoluatur. Documẽto ſunt vel ſcenici actores, qui & optimis Poëtarum tantum adijciunt gratiæ, vt nos infinitè magis eadem illa audita, quàm lecta delectent, & viliſſimis etiam quibuſdam impetrẽt aures, vt quibus nullus eſt in bibliothecis locus, ſit etiam frequens in theatris. Quòd ſi in rebus quas fictas eſſe ſcimus & inanes, tantum pronũciatio poteſt, vt iram, lachrymas, ſolicitudinem afferat, quantò plus valeat neceſſè eſt, vbi & credimus? Equidẽ vel mediocrem orationem commendatam viribus actionis affirmauerim plus habituram eſſe momenti, quàm optimam, eadem illa deſtitutam. Siquidem & Demoſthenes quid eſſet in toto genere dicendi ſummum, interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemque ſecundum ac tertium locum: donec ab eo quæri deſierit: vt eam videri poſſit non præcipuam, ſed ſolam iudicaſſe. Ideóque ipſe tam diligenter apud Andronicum Hipocritem ſtu-

duit, vt admirantibus etiam eius orationem Rhodijs, nou immeritò Aeſchines dixiſſe videatur: Quid ſi ipſum audiſſetis? Et M. Cicero vnã in dicendo actionem dominari putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis conſecutum, quàm eloquentia, tradit. Eadem C. Gracchum in deflẽda fratris nece, totius populi Rom. lachrymas concitaſſe, Antonium & Craſſum multũ valuiſſe, plurimum verò Q. Hortenſium: cuius rei fides eſt, quòd eius ſcripta tantum infra famam ſunt, qui diu princeps oratorum, aliquãdo æmulus Ciceronis exiſtimatus eſt, nouiſſimè quoad vixit, ſecundus: vt appareat placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non inuenimus. Et hercle cùm valeant multũ verba per ſe, & vox propriam vim adijciat rebus, & geſtus, motuſque ſignificet aliquid, profectò perfectum quiddam fieri, cùm omnia coierint, neceſſe eſt. Sunt tamẽ qui rudem illam, & qualem impetus cuiuſque animi tulit, actionem iudicent fortiorem, & ſolã viris dignam, ſed non alij ferè, quàm qui etiam in dicendo curam, & artem, & nitorem, & quicquid ſtudio paratur, vt affectata, & parum naturalia ſolent improbare, vel qui verborum atque ipſius etiam ſoni ruſticitate (vt L. Cottam dicit Cic. feciſſe) imitationem antiquitatis affectant. Verùm illi perſuaſione ſua fruantur, qui hominibus, vt ſint oratores, ſatis putant naſci: noſtro labori dent veniam, qui nihil credimus eſſe perfectum, niſi vbi natura cura iuuetur: in hoc igitur non contumaciter conſentio, primas partes eſſe naturæ. Nam certè bene pronũciare nõ poterit, cui aut in ſcriptis memoria, aut in his quæ ſubitò dicenda erunt, facilitas prompta defuerit, nec ſi inemendabilia oris incommoda obſta-

unt. Corpori etiam poteſt eſſe aliqua tanta deformitas, vt nulla arte vincatur. Sed ne vox quidem niſi liberalis, actionem habere optimã poteſt. Bona enim firmaque, vt volumus, vti licet: mala, vel imbecilla, & inhibet multa: vt inſurgere, exclamare & aliqua cogit, vt ſummittere, deflectere, & raucas fauces, ac latus fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loquamur, cui non fruſtra præcipitur. Hactenus Fabius.

Cùm ſit autem omnis actio in duas diuiſa partes, vocem ſcilicet & geſtũ: quorum alter oculos, altera aures mouet (per quos duos ſenſus omnis ad animam penetrat affectus) prius quidẽ de voce, deinde de guſtu, qui voci accommodatur, dicendum eſt. Sed antequam ſingulares huius partis obſeruationes & præcepta tradamus, quem ad finem ea omnia referantur, explicandum: vt fine rei cognito, facilius ea quæ ad finem deſtinata ſunt, percipiamus.

In quem finem ſiue ſcopum omnia huius partis præcepta referenda ſint. Cap. II.

QVamuis multa ac varia de rectè pronunciandi ratione à Rhetoribus ſint tradita, tamen omnia ad vnum duntaxat finem referuntur: hoc eſt, vt ita dicamus, quemadmodum natura ipſa, & communis ac naturalis loquendi modus dictat eſſe loquendum: à quo declinare, vt contra naturam, ita contra decorum eſt. Neque enim aliud tota artis obſeruatio agit, quàm vt hunc naturalem loquendi modum exprimat. Qua in re vehementer errant, qui aliam putant eſſe debere vocis figuram, cùm

concionantur, quàm cùm loquuntur: cùm eadem rerum natura eandem vtrobique agendi & pronunciandi rationem exigat: niſi quod cùm loquimur, vox quidē ſubmiſſior, cùm verò concionamur, propter loci amplitudinem auditorumq; frequentiam, eadem attollenda ſit, vt ab omnibus audiatur. Quo magis mirandum eſt, tam paucos eſſe concionatores, qui in hac parte naturam ducem ſequantur, cùm nihil facilius eſſe prima fronte videatur, quàm illius ductum & motum, qui natura omnibus inſitus eſt, ſequi. Vt autem quid in hac parte ſentiam, apertius ſignificare valeam, quid mihi & cuidam nouitio concionatori acciderit, indicabo. Is igitur rogauit me, vt concionantem audirē, quo illum poſtea, ſi quid mihi animaduerſione dignum videretur, admonerem. At is cōcionem omnem (quā ad verbum edidicerat) ſine vlla vocis varietate ita pronuntiauit, ac ſi aliquem Dauidis pſalmū memoriter recitaret: Cùm autem finita concione domum repeterem, vidi in itinere duas mulierculas acriter inter ſe contendentes atque rixantes. Quæ vt veris animi affectibus concitatæ loquebantur, ita varias quoque vocis figuras & flexus, pro ipſorum affectuum varietate ſubinde commutabant. Tunc ego ſocio, qui mihi aderat: Si ille inquam concionator has mulierculas audiſſet, & hanc ipſam pronunciandi rationem imitaretur, nihil ei ad perfectam actionem (qua prorſus deſtitutus eſt) deeſſet. Qua ex re colligitur, quòd quēadmodum pictores cùm vel arborum, vel auium, vel aliorum animantium corpora effingunt, dant operam, vt quàm maximè poſſint, ad viuum ea exprimant: vt qui illa cernit, nō tam picta, quàm vera ſe corpora cernere

putet: ita concionator naturalem loquendi cunctorum hominum modum diligenter obſeruet, atque eorum præcipuè, qui hoc aptius & elegãtius, & cum quadam dignitate faciunt: & hac vna obſeruatione, quicquid hic longa oratione præcipimus, erit aſſequutus. Animaduerti aliquando pictorem quendam paruulum Ieſum in tabula exprimẽtem, qui paſſerculum manu prehenſum teneret: is autem, vt probè auiculam exprimeret, eandem in manu viuam contemplabatur, vt ita demum effigies auis veram eius formam repræſentaret. Idem ergo nobis agendum, vt diligenter & attentè naturalem pronunciandi rationem, qua viri eleganti ingenio præditi in familiaribus colloquijs vtuntur, obſeruemus, vt eãdem nos dum concionamur, pro virili noſtra referre valeamus. Verùm hoc, quãlibet facile ac naturale eſſe videatur, multi, vt iam diximus, minimè aſſequuntur, ac multo minus illi, qui cùm verborum inopes ſint, & ex temporali dicendi facultate careant, ad verbum conciones ediſcunt: & ita illas eodem vocis tenore, cæcorũ mendicantium more pronunciant. Hæc ideo à me dicta ſunt, vt ſtudioſus cõcionator intelligeret; in quem finem omnia huius partis præcepta referenda ſint. Omnia enim eò tendunt, vt illam pronunciandi rationem ſequamur, quam mortalibus cunctis natura ipſa nullo docente præſcripſit. Quam qui probè fuerit aſſequutus, non admodum his noſtris præceptionibus indigebit.

Quatuor eſſe præcipuas pronunciationis virtutes, quarum prima eſt, vt ſit emendata, hoc eſt, vt careat omni vitio.

Cap. III.

EST autem commodiſſima maximéque naturalis illa Fabij partitio, qua dicit eaſdem in pronunciatione virtutes, quas in elocutione poſuimus, ſpectandas eſſe. Sic enim ait: Non eſt alia ratio pronunciationis, quàm ipſius orationis. Nam vt illa emendata, dilucida, ornata, & apta eſſe debet: ita hæc quoque primùm emendata erit, ideſt, vitio carebit, ſi fuerit os facile, explanatum, iucundum, vrbanum, ideſt, in quo nulla neque ruſticitas, neque peregrinitas reſonet. Non enim ſine cauſa dicitur, Barbarum Græcúmue. Nam ſonis homines, vt æra tinnitu dignoſcimus. Ita fiet illud quod Ennius probat, cùm dicit, ſuaui loquenti ore Cethegum fuiſſe: non quòd Cic. in his reprehēdit, quos ait latrare, non agere. Curabit etiam, ne ſimplicē vocis naturam pleniori quodam ſono (quod quidam faciunt) circumliniat. Itaque ſi ipſa vox primùm fuerit, vt ſic dicam, ſana, ideſt, nullum eorum, de quibus nūc dixi, patietur incommodum: deinde non abſurda, rudis, immanis, dura, rigida, varia, præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, puſilla, mollis, effœminata: ſpiritus, nec breuis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis. Et quoniam in geſtu quoque & motu corporis ſua vitia ſunt, de his quoque hoc in loco breuiter dicendum eſt, quòd ea ſint cum vitijs pronunciationis cōiuncta: quamuis hac de re copioſius ſuo loco (vt polliciti ſumus) diſſeremus. Curandum

Fab. lib. 11. cap. 3.

ergo eſt,vt quoties exclamandum erit , laterum conatus ſit ille, non capitis: vt geſtus ad vocem, vultus ad geſtum accommodetur. Obſeruãdum erit etiam,vt recta ſit facies dicentis,ne labra detorqueantur,ne immodicus hiatus rictum diſtẽdat,ne ſupinus vultus,ne deiecti in terram oculi, nec inclinata vtrolibet ceruix. Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos,quorum ſupercilia ad ſingulos vocis conatus alleuarentur aliorum conſtricta , aliorum etiam diſſidentia, cùm altero in verticem tenderent , altero penè oculus ipſe premeretur. Infinitũ autem , vt mox dicemus , in his quoque rebus momentum eſt. Et nihil poteſt placere , quod non decet.

Secunda pronunciationis virtus, vt ſit dilucida.

I.

Dilucida verò erit pronunciatio , primùm , ſi verba tota exegerit, quorum pars deuorari,pars deſtitui ſolet , pleriſque extremas ſyllabas non proferentibus,dum priorum ſono indulgẽt : expreſſa enim debent eſſe verba. Vt autem eſt neceſſaria verborum explanatio , ita omnes computare,& velut annumerare literas moleſtum & odioſum. Nam & vocales frequẽtiſſimè coëũt, & conſonantium quædam in ſequente vocali diſſimulantur. Præcipuè verò ad hanc virtutem parãdam adiuuat diſtinctio, hoc eſt, vt oratio velut ipſa corporis mẽbra , articulis ſuis diſtincta ſit: hoc eſt, vt qui dicit , & incipiat vbi oportet,& deſinat. In ipſis tamẽ diſtinctionibus tẽpus aliâs breuius,aliâs longius dabimus. Inter eſt enim, ſermonem finiat,an ſenſum. Vbi enim orationis ſenſus perfectè finitur , deponã & morabor, & nouum rurſus exordium faciam. Sunt

aliquãdo & ſine reſpiratione quædam moræ etiã in periodis, vt in illa: In cœtu verò pop. Roman. negotium publicum gerens magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, & cætera, multa habent membra: ſenſus enim ſunt alij atque alij: & ſicut vna circunductio eſt, ita paulum morandum in his interuallis, non interrumpendus eſt contextus: & è contrariò ſpiritum interim recipere ſine intellectu moræ neceſſe eſt: quo loco quaſi ſurripiendus eſt, alioqui ſi inſcitè recipiatur, non minus afferat obſcuritatis, quàm vitioſa diſtinctio. Virtus autem diſtinguendi fortaſſe ſit parua, ſine qua tamē eſſe nulla alia in agēdo poteſt. Hæc omnia ex Fab. qui paucis ſanè verbis hanc virtutem ita commendauit, vt ſine ea nullam aliam eſſe cēſeat. Qua ex re liquet, grauiter eos delinquere, qui ſumma celeritate tota ferè concione ita dicunt, vt nullo in loco ſiſtant, nihil diſtinctè dicant, ſed vno ſpiritu, atq; vno impetu omnia percurrant. Aut enim memoriæ diffidentes ita dicunt, ne ſi aliter dixerint, aliquid è memoria excidat, aut ita metu & trepidatione eorum animus obſeſſus eſt, vt ſui iuris eſſe non ſinantur, quòd metus ille omnem animi ſenſum quodāmodo ebibat, & vix quid dicant, aut quo modo dicant, attendere permittat. Quod quidem vitium inter maxima computandum eſt: in quod tamen plerique concionatores incidunt, atque ij maximè, qui huius officij rudes & velut tyrones ſunt, vel magno oppreſſi metu dicunt. Hinc idem Fabius. Nec volubilitate nimia confundēda quæ dicimus, qua & diſtinctio perit, & affectus, & nonnūquam etiam verba aliqua ſui parte fraudantur. Cui contrarium eſt vitium nimiæ tarditatis. Nam & difficultatem inueniendi fate-

tur, & ſegnitia ſoluit animos. Promptum ergo ſit os, non præceps: moderatum, non lętum. Spiritus quoque nec crebrò receptus, concidet ſententiam, nec eouſq; trahatur, donec deficiat. quare longiorem dicturis periodum, colligendus eſt ſpiritus: ita tamen vt id neq; diu, neq; cum ſono faciamus, neq; omnino vt manifeſtum ſit reliquis partibus, optimè inter iuncturas ſermonis reuocabitur. Exercendus autem eſt, vt ſit quàm longiſſimus: quod Demoſthenes vt efficeret, ſcandens in aduerſum continuabat quàm poſſet plurimos verſus.

Tertia pronunciationis virtus, vt ſit ornata.

II.

Ornata eſt pronunciatio, cui ſuffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, ſecans aëra, auribus ſedens. Eſt enim quædam ad auditum accommodata, nō magnitudine, ſed proprietate ad hoc velut tractabilis, vtique habens omnes in ſe qui deſiderantur ſonos, ſiue intētiones, quæ toto (vt aiunt) organo inſtructa, cui aderit lateris firmitas, ſpiritus, cum ſpatio pertinax, tum labori non facilè ceſſurus. Nec grauiſſimus vt in muſica ſonus, nec acutiſſimus orationibus conuenit. Nam & ille parum clarus, nimiumque plenus, nullum afferre animis motum poteſt: & hic prætenuis, & immodicæ claritatis, cùm eſt vltra verum, tum neque pronunciatione flecti, nec diutius ferre intentionem poteſt. Nam vox, vt nerui, quò remiſſior, hoc grauior & plenior: quò tenſior, hoc tenuis & acuta magis eſt. Sic ima vim non habet, ſumma rumpi periclitatur. Medijs igitur vtendum ſonis, hique, cùm augenda in-

tentio eſt, excitandi; cùm ſummittenda, ſunt temperandi.

Ad hunc etiam ornatum pertinet, vt vox quatenus fieri poſſit, cum ſuauitate quadam non quidem fœminea, aut etiam affecta, ſed virili & naturali prodeat: quæ quidem res, vt in cantu, ita etiam in dicendo aures mulcet ac detinet. Quod vt præſtare poſſimus, curandum, nec cùm ſermo in contentione eſt, ita vocem vltra vires vrgeamus, vt arteriæ lædantur. Sic enim velut exaſperatur vox, & inſuauem quandem raucedinē contrahit, quæ ipſas etiam auditorum aures exaſperat. Hinc Fab. Vox, inquit, vltra vires vrgenda non eſt: nam & ſuffocata ſæpe, & maiore niſu, minus clara eſt. Moderandus ergo eſt ille impetus, nex ex toto ſic effundendus, vt & vox lædatur, & ſequentibus non ſufficiat. Hoc autem efficere ſingularis cuiuſdam dexteritatis eſt. Impetus enim ille animi ſæpe ita mentem obruit, vt hoc animaduertere non ſinat. Quid autē ad hanc vocis ſuauitatem, & firmitatem conducat, paulò fuſius Herenniana Rhetorica docet. Cuius ſententiam hoc in loco attexere libuit.

Primùm enim admonet, vt quàm maximè ſedata & depreſſa voce principia dicamus. Nam læduntur arteriæ ſi antequàm leni voce permulſæ ſint, acri clamore complentur. Etiam interuallis longioribus vti cōueniet. Recreatur enim vox ſpiritu, & arteriæ reticendo acquieſcunt. Et continuum clamorem remittere, & ad ſermonem tranſire oportet. Commutationes enim faciunt, vt nullo genere vocis effuſo, in omni voce integri ſimus. Et acutas vocis exclamationes vitare debemus. Ictus enim fit, & vulnerātur arteriæ acuta atque attenuata nimis acclamatione: &

ſi quis ſplendor eſt vocis, conſumitur clamore vniuerſus. Et vno ſpiritu continenter multa dicere in extrema conuenit oratione. Fauces enim calefiunt,& arteriæ complentur, & vox quæ variè tractata eſt, reducitur in quendam ſonum æquabilem atque conſtantem. Quod ergo ad vocis integritatem vtile ſit, id eſt, etiam auditoribus gratum. Sæpe rerum naturæ gratia quædam iure debetur,velut accidit hac in re. Nam quæ diximus ad vocem ſeruandam prodeſſe, eadem attinent ad ſuauitatem pronunciationis: vt quod noſtræ voci proſit, idem voluptate auditoris probetur. Vtilis eſt ad firmitudinem vocis ſedata vox in principio. Quid verò inſuauius, quàm clamor in exordio cauſæ. Interualla vocem confirmant: eadem ſententias concinniores diuiſione reddunt, & auditori ſpatium cogitandi relinquunt. Conſeruat vocem continui clamoris remiſſio: & auditorem quidem varietas maximè delectat, cùm ſermone animum eius retinet, aut exuſcitat clamore. Acuta exclamatio vocem & fauces vulnerat, eadẽ lædit auditorem, habet enim quiddam illiberale, & ad muliebrem potius vociferationem, quàm ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum. In extrema oratione continens vox remedio eſt voci. Quid? Hæc eadem nonne animum vehementiſſimè calefacit auditoris in totius concluſione cauſæ? Hactenus Herenniana Rheto.

Ornatam quoque facit pronunciationem vocis varietas rebus ipſis commodata: de qua tamen mox dicemus: quòd hoc ad rationem aptè pronunciandi magis pertineat: id quod non minus ad eius ornatum facit. Ars enim variandi cũ gratiam præbet, ac renouat aures, & dicẽtem

ipſa laboris mutatione reficit: vt ſtandi, ambulandi, ſedendi, iacendi vices ſunt, nihilq; horum pati vnum diu poſſumus.

Quarta pronunciationis virtus, vt ſit apta.

Cap. IV.

HActenus de tribus pronunciationis virtutibus, hoc eſt, de ratione emendatè, dilucidè & ornatè pronunciandi diximus: ſupereſt quarta, & ea quidem præcipua ac ſumma aptè pronunciandi virtus, quæ rebus ipſis quas dicimus, pro ipſarum natura, vocis figuram accommodat. Quæ res ad attentionem auditorum excitandam, faſtidiumque vitandum miro modo adiuuat. Ad ſingulas quippe vocis mutationes & flexus, auditoris animus, qui ex loquẽtis ore pendet, tot intra ſe concipit motus, quot ille ſonos ſubinde mutat. Intelligit enim, non fruſtra illum rectam pronunciandi formam in aliam atque aliam vocis figuram flectere: atque ita frequenter & attentionem renouat, & ſatietatem varietate vitat. Qua de re ſic Fabius ait: Iam tempus eſt dicendi, quæ ſit apta pronunciatio, quæ certè ea eſt, quæ his, de quibus dicimus, accommodatur: quod quidem maxima ex parte præſtant ipſi motus animorum, ſonatque vox vt feritur. Sed cùm ſint alij veri affectus, alij ficti & imitati, veri naturaliter erumpunt, vt dolentium, iraſcentium, indignantium, ſed carent arte: ideóque non ſunt diſciplinæ traditione formandi. Contrà qui effinguntur imitatione, artem habent, ſed hi carent natura: ideoque in his primum eſt bene affici, & concipere imagines rerum, & tanquam veris moueri: ſic velut media

vox, quem habitum à nobis acceperit, hunc auditorum animis dabit. Eſt enim mentis index, & velut exemplar, ac totidem quot illa mutationes habet. Itaque lætis in rebus plena, ſimplex, & ipſa quodammodo hilaris fuit. Ac in certamine erecta, totis viribus, & velut omnibus neruis intenditur. At in blandiendo, fatendo, ſatisfaciendo, rogando, lenis & ſubmiſſa. Suadentium & monentium, & pollicentium & conſolantium grauis: in metu & verecundia contracta: adhortationibus fortis, diſputationibus teres, miſeratione flexa & flebilis, & conſulto quaſi obſcurior; in expoſitione ac ſermonibus recta, & inter acutum ſonũ & grauem media. Attollitur autem concitatis affectibus, compoſitis & ſedatis deſcendit, pro vtriuſque rei modo altius vel inferius. Hactenus Fabius. Ex cuius verbis haud obſcurè quænam ſit apta pronuntiatio colligitur. Ea namque eſt, quæ nõ vno & eodem tenore decurrit, ſed quæ (vt aptè diximus) pro rerum varietate & natura ſubinde vocem commutat: quæ grandia grauiter, mediocria temperatè, ſubmiſſa leniter, atrocia vehementer atque acriter afferat, vt & verbis & rebus, quas dicimus, atque animo vox ipſa reſpõdeat. Qua de re ſic idem Fab. ait Vitemus illam quæ Græcè monotonia vocatur, vna quædam ſpiritus ac ſoni intentio, non ſolùm ne dicamus omnia clamoſè, quod inſanum eſt, aut intra loquendi modũ, quod motu careat, aut ſubmiſſo murmure, quo etiã debilitatur omnis intentio: ſed vt in ijſdem partibus, ijſdemque affectibus, ſint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut ſententiarum natura, aut depoſitio, aut inceptio, aut trãſitus poſtu-

labit: vt qui ſingulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt: ſine quo ne membris quidem ſuas lineas dediſſent. Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratione nobiliſſima pro Milone principium, nõne ad ſingulas penè diſtinctiones, quamuis in eadem facie, tamen quaſi vultus mutandus eſt? Et ſi vereor iudices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere. Etiam ſi eſt toto propoſito contractum atque ſubmiſſum, quia & exordium eſt, & ſoliciti exordium, tamen fuerit, neceſſe eſt, aliquid plenius & erectius, dum dicit: Pro fortiſſimo viro dicere, quàm, & ſi vereor, & turpe ſit, & timere. Iam ſecunda reſpiratio increſcat oportet, & naturali quodam conatu, quo minus pauidè dicimus quæ ſequuntur, & quo magnitudo animi Milonis oſtenditur: Miniméque deceat, cum T. Annius ipſe magis de Reipub. ſalute quàm de ſua perturbetur. Deinde quaſi obiurgatio ſui eſt: Me ad eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe. Tum inuidioſiora: Tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos. Illa vero iam penè apertis, vt aiunt, tibijs: Qui quocunque inciderunt, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum requirunt. Nam ſequens latum etiam atque fuſum eſt. Non enim corona cõſeſſus veſter cinctus eſt, vt ſolebat. Quod notaui, vt appareret non ſolùm in membris cauſæ, ſed etiam in articulis eſſe aliquam pronunciandi varietatem, ſine qua nihil nec minus nec maius eſt.

Verùm hæc in genere de communibus pronunciandi virtutibus dicta ſunt: reliquum eſt, vt cuius modi pronunciatio ſingulis orationis par-

ibus adhibenda ſit, diligenter inſpiciamus. Atq; t ordine hanc partem plenius tractemus, neque uicquam à nobis prætermiſſum eſſe videatur, am methodum ſequemur, quam Dialectici cæ-eræq; diſciplinæ obſeruare ſolent: quæ rem to-am & partes eius ad prima vſque elemēta reuo-ant. Itaq; Dialectici, quibus de ſyllogiſmo tra-tare propoſitum eſt, prius quàm ad hoc venia-ır, de ſyllogiſmi partibus, nempè de propoſitio-ibus, ex quibus ſyllogiſmus conficitur, diſſe-ınt. Quia verò propoſitiones ſingularibus vo-bus conſtant, de illis etiam in libris Prædica-nentorum tractãt: atq; ijs omnibus prælibatis, d ſyllogiſmorum rationem explicandam ve-iũt. Hãc igitur methodum nos quoque in pro-unciandi facultate tradēda ſequemur: niſi quod rimo loco de præcipuis orationis partibus, cundo verò de varijs ſententijs, quæ in eiſdem artibus continentur, ac poſtremò de ſingulis erbis, ex quibus ſententiæ conſtant, quomodo ronuncianda ſint, diſſeremus.

uiuſmodi pronunciatio tribus præcipuis orationis partibus, hoc eſt, expoſitioni, argumentationi, & amplificationi conueniat.

Cap. V.

VT igitur quod primo loco poſuimus, ex-pediamus, meminiſſe debemus, quid in ius, operis initio à nobis dictum ſit: nempè ationem omnem aut in expoſitione, aut in gumentatione, aut in amplificatione verſari. onſtat autem vel rudibus etiam, aliam pro-nciandi rationem in expoſitione, aliam

in argumentatione, aliam in amplificatione requiri. Hæ autem tres partes aliis etiam ſub ſe continent. Expoſitioni namque exordiũ, narratio, propoſitio atque diuiſio finitima ſunt. In argumentatione verò aliquãdo probamus, aliquãdo improbamus, & cõfutamus: & interdũ quidem ſedatius atque ſubtilius, interdum verò acrius, & concitatius, & vehemẽtius diſputamus. In amplificatione autem maior varietas eſt. In hac enim diuerſarum rerum magnitudinem attollimus & amplificamus, & varios itẽ affectus; nempe amorem, odiũ, admirationem, dolorem & metũ, alióſque ſimiles animi motus excitare nitimur: inter quos indignatio & commiſeratio à rhetoribus præcipuè numerantur. In his ergò affectibus tractandis tam varia eſſe actio debet; quàm affectus ipſi varij ſunt, vt ſuo loco monſtrabimus. Nunc quid vnaquæque harum partium exigat, conſideremus.

I.

Expoſitioni igitur (quam ex tribus orationis partibus primam fecimus) finitima eſt (vt diximus) exordij & narrationis actio: hæc enim tria non acrem & concitatam, ſed ſedatam actionem poſtulant. In expoſitione ergo cùm citra argumentationem rem aliquam, aut obſcurum locum exponimus, ſedata pronunciatione opus eſt, interuallis tamen diſtincta, vocéque paululum pro ſententiarum natura variata: vt ipſa pronunciatione eas res, quas demonſtrabimus, animis auditorum inſerere videamur.

De exordio verò ſic Fabius ait: Exordio frequentiſſimè lenis conuenit pronunciatio. Nihil enim ad conciliandum gratius verecundia. Itaq;

& vox

& vox temperata, ac geſtus modeſtus, & ſedens humero toga, & laterum lenis in vtranq; partem motus, eodem ſpectantibus oculis decebit. Hactenus Fabius. Qua in re non leuiter concionatores quidam peccare ſolent, qui vel oſtentandæ eruditionis, vel ingenij, vel libertatis cuiuſdam gratia ita dicere incipiunt, vt quadam arrogãtiæ ſuſpicione non careant. Quin & auditores hac agendi libertate quodammodo ſe contemni arbitrantur. Alij verò in ipſo etiam exordio acti actione vtuntur. Quod tunc maximè faciunt, cùm frequentiſſimus ad audiendum populus confluxit, Tunc enim partim maiori ad dicendum calore atq; impetu concepto, partim vt vox ab omnibus audiatur, eam plus quàm par eſt, vrgent atq; attollunt. Quò fit, vt eos nõ modò vox, ſed vires etiam in medio orationis curſu deſtituant: atque ita qui acriter cœperunt, lentè & languidè viribus fatiſcentibus ſermonem finiant. Hi autem non aduertũt, quod vulgò dici ſolet, non ex flamma fumum, ſed ex fumo flammam excitari debere. Hoc ergo tempore peritus concionator prudenter animi ſui impetum cohibeat, & ad maiora illum magiſque neceſſaria reſeruet.

Sequitur narratio. Ea verò (vt Fab. ait) magis prolatam manum, geſtum diſtinctum, & vocem ſermoni proximam, Sonum autem ſimplicem frequentiſſimè poſtulabit in his, quæ nullos cõtinent animorum motus, aut quid ſimile, quod variam agendi rationem exigat. Eſt autem difficilior narrationis quàm argumentationis, aut amplificationis actio. In his enim partibus diſputandi aut amplificandi ardor & motus animi actionem inſtruunt & adiuuant. At cùm narratio minus actuoſa, miniméq; ardens & concitata *Narratio.*

eſſe debeat, ſola dicentis arte atq; prudentia moderanda eſt. Quamuis non inficior eſſe narrationes aliquas, quæ hoc affectus recipiant: quarum actio non perinde difficilis eſt. In omni igitur narratione vocum varietate opus eſt, vt quo pacto quidque geſtum ſit, ita narrari videatur. Strenuè quod volumus oſtendere factum, celeriuſculè dicemus: Deinde modo acriter, tum clemẽter, mœſtè, hilariter in omnes partes commutabimus, vt verba, ita pronunciationem. Si qua inciderint in narratione dicta, rogata, reſponſa, ſi quæ admirationes, de quibus nos narrabimus, diligenter aduertemus, vt omnium perſonarum ſenſus atque animos voce exprimamus.

Argumentatio. Maximè varia eſt actio probationum: nã proponere quæ ſis dicturus, atq; in partes diuidere, & explicare quid conueniat, & quid in controuerſia ſit, expoſitioni de qua modò diximus, ſimilia ſunt. At argumentatio plerunque agilior, & acrior, & inſtantior, conſentientem orationi poſtulat etiam geſtum: id eſt, fortem celeritatẽ. Inſtãdum quibuſdam in rebus & denſanda oratio. Hic oportebit augere vocem & torquere ſonum, & celeriter cum clamore verba conficere, vt vim volubilem orationis vociferatio conſequi poſſit. Aſſeueratio autem, quæ inter probandum occurrit, interdum plus ipſis probationibus valet. Fiducia igitur appareat, & conſtantia, vtique ſi autoritas ſubeſt. Cæterùm cùm rationes ac probationes difficiles ad intelligendum ſunt (vt pote ex philoſophiæ aut Theologiæ abditis petita) tunc impetus hic cohibendus eſt, & ſedata actione, acuta voce, & longioribus interuallis vtendum eſt: vt hac diſtinctione apertior ſit oratio, & auditoribus mora detur ac ſpacium cogitandi, &

percipiendi, quæ dicta ſunt. Celeritas enim & volubilitas linguæ non modò tardioribus, ſed eruditis etiam impedimento eſt, quò minus ea quæ dicuntur, intelligant. Hæc igitur argumentandi ac probandi ratio, expoſitioni, ac demonſtrationi, quàm argumentationi ſimilior eſt.

Amplificatio verò, quæ tertiã ſermonis partẽ complectitur, in affectibus præcipuè locum habet: qui (vt paulò ante diximus) tam variam vocis & actionis figuram deſiderant, quàm ſunt ipſi varij. Prima igitur ad hoc cura eſſe debet, vt affectus & motus animi in nobis ſint: tunc enim ipſi naturali vi ſua erumpent: & vt veri motus ſunt, ita verè auditores afficient. Neque aliud agit ars, quàm vt naturã imitetur: ad quam tamen ars nulla, quamlibet conſummata ſit, pertingere poteſt. Ideóque nunquam declamatores ad efficiunt, quod ſancti viri ſpiritu Dei acti, & veris affectibus concitati, efficere dicendo potuerunt. Qui ſic igitur commotus fuerit, is planè ipſo affectu docente intelliget, quàm diſſimili vocis figura affectus tractandi ſint. Aliud enim vocis genus poſtulat miſeratio ac mœror: flexibile plenũ, interruptum, flebili voce. Aliud metus: demiſſum & hæſitans, & abiectum. Aliud vis: contentum, vehemens, imminens, quadam incitatione grauitatis. Aliud voluptas: effuſum, lene, tenerum, hilaratum, ac remiſſum. Aliud iracundia: acutum, incitatum, crebrò incidens. Atrox enim vox eſſe debet in ira, aſpera ac denſa, & reſpiratione crebra: neque poteſt eſſe longus ſpiritus, vbi immoderatè effunditur.

Amplificatio.

Sequitur deinde altera pronũciationis obſeruatio, quæ ad peculiares ſententias pertinet: quæ ſub his præcipuis orationis partibus (quas ſupra

memorauimus) continentur: de qua nonnulla iam diximus, cùm de apta pronunciandi ratione diſſeruimus. Sed quoniam hæc pars præcipuam pronunciandi virtutem continet, de ea copioſius paulò poſt propoſitis variis exemplis tractabimus. Nunc ad aliam veniamus.

Supereſt enim, quod tertio loco polliciti ſumus, de ſingularium verborum pronunciatione. Non enim in ſententiis ſolùm, ſed frequenter etiam in ſingulis verbis alia atque alia vocis figura adhibenda eſt. An non hæc, inquit Fab. miſellus, & pauperculus, ſubmiſſa atq; contracta: fortis, & vehemens, & latro, erecta & concitata voce dicenda ſunt? Accedit enim vis & proprietas rebus tali aſtipulatione: quæ niſi adſit, aliud vox, aliud animus oſtendet. Quid? quod eadem verba mutata pronunciatione indicant, interrogant, irrident, eleuant? Aliter enim dicitur: Tu mihi quodcunque hoc regni. Et, Cantãdo tu illum? Et, Tu ne ille Æneas? Et, Méque timoris Argue tu Drance, Et ne morer, intra ſe quiſq; vel hoc, vel aliud quod volet, per omnes affectus verſet, verum eſſe quod dicimus, ſciet. Hactenus Fab. Plurima autem in ſcripturis ſanctis verba inuenire licet, quæ hac vocis acrimonia enuncianda ſint. Tale eſt illud: Ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit vſq; ad inferni nouiſſima, deuorabitq; terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Et inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes. Hic ſingula verba peculiarem quandam vocis amplitudinem cum acrimonia coniunctam deſiderant. Sic illud D. Chryſoſt. Vt leones ignem ſpirantes ab illa menſa diſcedimus, terribiles dæmonibus effecti. Videndum tamen in his, ne nimio boatu vo-

cem affectata quadam amplitudine à naturali ſono detorqueamus. Nihil enim affectatum, nihil à natura ipſa degenerans placere poteſt. In quo vitio ſunt, qui cùm tenuem & puſillam vocem habeant, inflatis (vt ita dixerim) buccis hanc vocis amplitudinem & acrimoniam referre voluut.

De geſtu & motu corporis.

Cap. VI.

DIximus perfectam pronunciandi & agendi rationem apta vocis figura & geſtu corporis contineri. Quia varò de vocis figura & varietate ſatis dictum eſt, proximum eſt, vt de geſtu & motu corporis pauca dicamus: atq; ea in primis, quæ à Fab. animaduerſa ſunt, qui hanc partem diligentiſſimè tractauit: vtpote qui nullam ferè corporis partem prætermiſit, cui non ſuam faciem, geſtúmque præbuerit. Geſtus ergo primùm (vt idem ait) voci conſentiat, & vtrūque vox ſcilicet & geſtus, animo ſimul pareat. Is verò quantum habeat in oratione momenti, ſatis vel ex eo patet: quòd pleraq; etiam citra varba ſignificant. quippe non manus ſolùm, ſed nutus etiam declarant noſtram voluntatem, & in mutis pro ſermone ſunt: & ſalutatio frequenter ſine voce intelligitur, atque afficit, & ex vultu ingreſſuque perſpicitur habitus animorum, & animalium quoque ſermone carētium, ira, lætitia, adulatio, & oculis, & quibuſdam alijs corporis ſignis deprehenditur. Nec mirum ſi iſta, quæ tamen in aliquo poſita ſunt motu, tantum in animis valeant, cùm pictura tacens opus & habitus ſemper eiuſdem, ſic in intimos penetret affectus, vt ipſam vim dicendi nonnunquam

ſuperare videatur. Contra ſi geſtus ac vultus ab oratione diſſentiant, triſtia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes, non autoritas modò verbis, ſed etiam fides deſit. Decorquoq; à geſtu atq; motu venit: ideóque Demoſthenes grande quoddam ſpeculum intuens, componere actionem ſolebat. Adeò quamuis fulgur ille ſiniſtras imagines reddat, ſuis demũ oculis credidit quod efficeret. Præcipuũ verò in actione, ſicut in corpore ipſo, caput eſt, cùm ad ipſum, de quo dixi, decorem, tum etiam ad ſignificationem decoris illa ſunt, vt ſit primò rectum & ſecundum naturam. Nam & deiecto humilitas, & ſuſpino arrogantia, & in latus inclinato, languor, & præduro ac rigente, barbaria quædam mentis oſtenditur. Tum accipiat aptos ex ipſa actione motus, vt cũ geſtu concordet, & manibus ac lateribus obſequatur. Aſpectus enim ſemper eodem vertitur, quò geſtus, exceptis quæ aut damnare, aut cõcedere, aut à nobis remouere oportebit, vt idem illud vultu videamur auerſari, manu repellere, quale eſt illud:

Caput

Dij talem auertite peſtem. Et.
Haud equidem tali me dignor honore.

Significat verò plurimis modis. Nam præter annuendi, renuendi, cõfirmandique motus, ſunt & verecundiæ, & dubitationis, & admirationis, & indignationis noti & cõmunes omnibus. Solo tamen eo facere geſtum ſcenici quoque doctores vitioſum putauerunt. Etiam frequens eius nutus non caret vitio, adeò iactare id, & comas excutientem rotare, phanaticum eſt. Dominatur autem maximè vultus. Hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blãdi, hoc triſtes, hoc hilares,

Vultus.

hoc erecti, hoc ſubmiſſi ſumus: hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc ſpectant etiam antequam dicamus, hoc quoſdã amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus. Hic eſt ſæpe pro omnibus verbis. Sed in ipſo vultu plurimũ valent oculi, per quos maximè animus emanat, vt citra motum quoque, & hilaritate eniteſcant, & triſtitia quoddam nubilum ducant. Quin etiam lachrymas his natura mentis indices dedit: quæ aut erumpunt dolore, aut lætitia manant. Motu verò intenti, remiſſi, ſuperbi, torui, mites, aſperi fiunt: quæ vt actus popoſcerit, fingantur. Labra & porriguntur malè, & ſcinduntur, & aſtringuntur, & diducuntur, & dentes nudant, & in latus ac penè ad aurem trahuntur. Lambere quoque ea & mordere deforme eſt, cùm etiam in efferendis verbis modicus eſſe eorum debeat motus. Ore enim magis, quàm labris loquendũ eſt. Ceruicem rectam oportet eſſe, non rigidam aut ſupinam. Manus verò, ſine quibus trunca eſſet actio ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant, cùm penè ipſam verborum copiam perſequantur. Nam cæteræ partes loquentem adiuuant, hæ (propè eſt vt dicam) ipſæ loquuntur. An non his poſcimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? ſupplicamus? abominamus? timemus? interrogamus? negamus? gaudiũ, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus oſtendimus? Non eædem concitant? inhibent? ſupplicant? probant? admirantur? verecundantur? Non in demonſtrandis locis atque perſonis aduerbiorum atque pronominum obtinent vicem? vt in tanta per omnes gentes nationeſque linguæ diuerſitate, hic mihi omnium homi-

Oculi.

Labra.

Ceruix

Manus

num communis ſermo videatur. Et hi quidem, de quibus ſum locutus, cum ipſis vocibus naturaliter exeunt geſtus. Hactenus Fabius. Idemq; multa de digitorum & manuum motu atq; compoſitione docet: quæ nos, quòd minus inſtituto noſtro conueniant, conſulto miſſa fecimus.

Illam autem manus atque digitorum figuram probamus, qua cum pollice duo ſequentes digiti coeunt: aut quando ſolus index cæteris ſub pollice compreſſis, directus & protēſus eſt. Hic autem digitorum poſitus ad omnia ferè, quæ dicimus, valet. Interdum etiam diducto pollice quatuor reliqui aptè iunguntur, quando aut pectori manum admouemus, aut etiam aliquid auerſantes ab eodem remouemus. Siniſtra verò manus nunquam ſola rectè geſtum facit, dexteræ ſe frequēter accommodat, idque præcipuè dexteræ manus indice in ſiniſtræ pollicem, aut indicem indicente, aut alternis motibus, modò pollicem, modò indicem feriente. Hic veteres artifices illud rectè adiecerunt, vt manus cum ſenſu & inciperet, & deponeret. Alioqui enim aut ante vocem erit geſtus, aut poſt vocem: quod eſt vtrūque deforme. Illud etiam aduertendum, ne vox à geſtu, vel geſtus à voce diſſentiat. Vnde Polemon ſophiſta hiſtrionem tragœdiarum, qui in Olympijs, O Iupiter! pronunciaret, oſtenſa terra: O terra! manu in cœlum proiecta, ſubmouit à præmijs (præſidebat.n.ei certamini) dicens: Hic manu commiſit ſolœciſmum. Cætera verò, quæ de corporis & membrorum geſtu præcipi poſſunt, communis prudentiæ iudicio & naturæ inſtinctui relinquimus.

De vitiis pronunciationis & actionis.

Cap. VII.

QVemadmodum in ſuperiori libro, poſtea quàm elocutionis virtutes expoſuimus, communia quædam eius vitia annotauimus: ita nunc idem facere viſum eſt, cùm de pronunciandi ratione agimus. Quamuis enim facilè ſit virtutibus cognitis, vitia cognoſcere (vitium enim eſt, quicquid virtutibus aduerſatur) apertior tamen doctrina fuerit, ſi ſeorſum vitia deſignentur. Primum autem atq; vulgariſſimum vitium eſt, vocis æqualitas (quod Græci monotoniã, hoc eſt, vnum quendam vocis ſonum appellant) cùm is, qui dicit, eodem vocis tenore ſine vllo eius flexu ac varietate, tota ferè cõcione decurrit, more eorum, qui quam orationem memoria complexi ſunt, recitare ſolent. In hoc autẽ vitium huius officij tyrones frequenter incidunt. Metu enim ac trepidatione quadam inſoliti operis preſſi, vix quicquam aliud, quàm ne quod dicturi ſunt, memoria excidat, attendunt. Nunquã autem quiſq; aptè dicet, niſi qui hoc metu & cura ſolutus, liber, & ſui ipſius compos ſit: quò & quid dicat, & quomodo dicat, prudenter inſpiciat.

Huic autem contrarium vitium eſt, vocis inæqualitas: in quo peccant, qui prius illud vitium effugere contendunt. Sic enim frequenter accidit, vt qui vitium aliquod vitare ſtudent, in alterum quod ei aduerſatur, incidant: vt ij faciunt, qui auaritiæ labem & infamiam fugiẽtes, in prodigalitatis foueam labuntur. Vt enim ſimplicem illum vocis tenorem declinent, vocem ipſam, non pro natura rerum, ſed pro ſuo arbitratu

temerè illam modò in ſublime attollunt, modò ad imum deprimunt: quæ res & grauiter auditorum aures lædit, & inſanam ac temerariam libertatem præ ſe ferre videtur. Ab hac autem pronunciandi ratione graues homines & ſana ingenia maximè abhorrent.

Eſt autem aliud æqualitatis vitium, quod vtriuſque huius naturam referre videtur. Habet enim cum inæqualitate coniunctam æqualitatem. Eſt autem vitium hoc adeò occultum, vt vix verbis iudicari poſſit. Quidam enim hunc ſimplicem vocis ſonum fugere ſtudentes, quandam pronunciationis formam captant, quæ ſuos etiam vocis flexus & varietatem habeat: & neque à communi & familiari loquendi conſuetudine abhorreat: quam tamen omnibus concionis partibus accommodant. Siue enim aliquid narrent, ſiue argumẽtentur, ſiue rem attollant, atque amplificent, eandem ferè pronunciandi figuram recinent. Quod perinde eſt, ac ſi quis omnibus corporis partibus idem veſtimenti genus aptare velit. Quod quidem vitium auditor minimè ſtupidus in nonnullis concionatoribus deprehendet. Qua quidem animaduerſione, facilius intelliget, quod nos in hoc loco vix verbis explicare poſſumus.

Eſt & aliud vitium nimiæ tarditatis, quo quidam lenta pronunciatione, longioribúſque interuallis, tota ferè concione vtuntur. Quæ res tantum abeſt, vt auditores afficiat, vt ſomnum etiam frequenter illis incutiat. Cui contrarium eſt vitiũ nimiæ celeritatis: quo multò plures laborant, ſiue quòd memoriæ diffidant, niſi ita dicant, ſiue quòd ea libertate careant, qua dicunt, qui nullo trepidationis affectu oppreſſi, ſui ipſo-

rum & eorum, quæ dicuntur, compotes ſunt. Iſti enim modò celerius, modò tardius, modò longioribus, modò breuioribus interuallis pro rerum natura & dignitate vti ſolent. Vtrunque enim vitium eſt, & celeri omnia & tarda voce pronunciare. Quocirca varietas, vt in vocis figura, ita in celeritate & tarditate abhibenda eſt. Quanuis ſi in alteram partem peccandum ſit, fortaſsè grauius peccant, qui nimia velocitate, quàm tarditate dicunt. Initio tamen concionis (quandiu dicẽtis animus nondum incaleſcet) vt ſedatæ & lenes ſententiæ, ita ſedata & lenis actio & longioribus interuallis diſtincta (quæ aliquam dicenti, ad quæ dicit, excogitanda moram præbeat) non immeritò commendatur.

Vt autem in tarditate & celeritate, ita in acrimonia, & remiſſione, atque languore ſua vitia his non admodum diſſimilia notantur. Sunt enim quidam acri & vehementi ingenio, qui tota fere concione velut quodam perciti furore dicunt. Quod quidem non rarò ex quadam animi trepidatione proficiſcitur. Vt enim arbores arboribus, ita affectus affectibus inferuntur: atque ita alij & ex aliis vim & impetum capiunt. Qui igitur ita dicunt, in hoc incommodum incidunt, vt cùm rem indignã acri pronunciatione dixerint, nequaquam tamen auditores commoueant, propterea quòd animaduertunt eos omnia quæ dicũt, ſiue leuia, ſiue grauia ſint, ſimili vocis impetu pronunciare. Quocirca delectum habere conuenit; vt ſciamus, quæ acriori, quæ leniore voce proferenda ſint, vt ſuum cuique velut ius atque habitum præbeamus. Non abnuo tamen, magis ad dicendum compoſitos eſſe, qui acres & ardentes ſunt, ſi hunc ardorem ſuum regere ſciãt, eoq;

ſuis in locis vtantur: ſic tamen, vt ne tunc quidem cùm eo vtendum eſt, totas feruori ſuo habenas permittant, ne fauces ita lædant, vt vocem exaſperent, & illiberali quadam atque incondita raucedine inficiant. Videant hi quoque non protinus ad hanc pronunciandi rationem initio ſtatim concionis veniendum eſſe. Si enim nondum præparatis auditoribus in hunc affectum irruperint, inſanire tanquam vinolenti videbuntur.

Quia verò multi concionatores ſeſe ad aliorum, qui ſunt huius artificij principes, imitationem accingunt, eorúmque non modò eloquentiam, ſed etiam agendi & pronunciandi rationem referre ſtudent, monendi ſunt, vt cautè hoc atque prudenter agant. Cùm enim in actione præcipuè ſpectetur decorum, ſciant hi non omnia omnes decere: Eſt enim in hoc (vt Fabius ait) latens quædã ratio, & inenarrabilis, & vt verè dictum eſt, caput eſſe artis decere, quod facias, ita id nec ſine arte, nec totũ arte tradi poteſt. In quibuſdam virtutes non habent gratiam, in quibuſdam vitia ipſa delectant. Maximos actores comœdiarum Demetrium & Stratoclem placere diuerſis virtutibus vidimus. Fuit enim eorum natura diuerſa. Nam vox quoque Demetrij iucundior, illius acrior erat. Quare norit ſe quiſque, nec tantùm ex communibus præceptis, ſed etiam ex natura ſua capiat conſilium formandæ actionis. Itaque quod idem Fab. in clariſſimorum autorum lectione atque imitatione docet, idem in imitanda inſignium concionatorum pronunciatione conſilium ſequi debemus. Sic enim ait: Neque verò id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quæ magni autores dixerint, vtique eſſe per-

fecta: nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animos, & nonnunquã fatigantur. cùm Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio verò etiam Homerus ipſe videatur. Summi enim ſunt, homines tamen, accidítque his, qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, vt deteriora imitentur: id enim eſt facilius, ac ſe abundè ſimiles putent, ſi vitia magnorum conſequantur. Hæc ſunt communia pronunciationis vitia: nunc ſimili ratione actionis, hoc eſt, geſtus vitia, quæ ferè contingunt, indicanda ſunt.

Geſtus vitia. I.

Vt autem à digitis & manibus ordiamur, primum vitium eſt, didũctis omnibus digitis ſupinam palmam, more eorum, qui ſtipem poſtulant, protendere. Secundum verò ab hoc diuerſum eſt, quo quidam digitos omnes ita comprimunt, vt ij faciunt, qui è fonte aquã manu haurire volunt, quod non minus indecorum eſt. Auerſo autem pollice demonſtrare aliquid, receptum magis putat Fabius, quàm oratori decorum.

Brachiis quoque nõ vno modo peccatur. Primùm enim vitiosè dextrum proferunt, & cubito pronunciant. Quod ego vitium in diſerto etiam concionatore animaduerti. Aliud verò brachiorum vitium eſt, cùm plus nimio vel in ſummum, vel in imum, vel in latera, inſtar eorũ, qui cruci affixi ſunt, protenduntur. Hinc Fab. Tolli, inquit, manum artifices ſupra oculos demitti infra pectus vetant: adeò à capite eam petere, aut ad imum ventrem demittere vitioſum eſt. Idémque palmas complodere (quod modò multi cõ-

cionatores paſſim faciũt) ſcenicũ eſſe ait. Quanuis enim hoc in re maxima nõnunquam deceat: frequenter tamen illud facere, & aures & oculos auditorũ offendit, cùm præſertim is, qui hoc facit, ardeat, illi verò ſæpè langueant; vel minus fortaſsè attenti ſint. Nec minus fœdè quidam ſuggeſtum palmis feriunt. Vitium enim hoc ſicut & illud. Fœmur autem ferire (inquit Fabius) quod Athenis primus feciſſe creditur Cleon, & vſitatum eſt, & indignantes decet, & excitat auditorẽ. Idq; in Callidio Cicero deſiderat: Non frons, inquit, percuſſa, non fœmur: quanquam ſi, licet, de fronte diſſentio. Hactenus ille. Idemque humerorum vitium his verbis deſcribit: Iactantur & humeri, quod vitiũ Demoſthenes ita dicitur emendaſſe, vt cùm anguſto quodam pulpito ſtans diceret, haſta humero dependens immineret, vt ſi calore dicendi vitare id excidiſſet; offenſione illa commoneretur.

Quid autem hic illos referam, qui & pedibus, & brachiis, & irrequieto corporis motu digladiari magis, quàm agere videntur? Modò enim medium corpus frangunt, modò ſe intra ſuggeſtum demiſſio corpore condunt, modò inde velut emergunt, & in ſublime attolluntur. Vt igitur languida actio motu caret, ita nimium actuoſa deformis & indecora eſt. Modus enim eſt rebus adhibendus: quod enim aut ſupra modum, aut infra eſt, & à recto declinat, & intuentes offendit.

Supereſt aliud vitium, cui auditorũ voluptas & ignorantia, virtutis nomen indidit: cùm videlicet partim geſtu, partim etiam voce aliorum dicta, aut facta hiſtrionum more imitatur. Geſtus autem exemplum ponit Fab. ſi videlicet

agrum tentantis venas medici ſimilitudine, aut citharœdum, formatis admodum percutientis neruos manibus offendas, quod genus quam lõgiſſimè in actione eſt fugiendũ. Abeſſe enim plurimum à ſaltatore debet orator, vt ſit geſtus ad ſenſus magis, quàm ad verba accõmodat⁹, quod etiam hiſtrionibus paulò grauiorib⁹ facere moris fuit. Ergo vt ad ſe manum referre, cum de ſeipſo loquatur, & in eum quem demonſtrat, intẽdere, & alia his ſimilia permiſerim, ita nõ effingere ſtatus quoſdam, & quidquid dicet, oſtendere. Nec id in manib⁹ ſolùm, ſed in omni geſtu ac voce ſeruãdum eſt. Non enim aut in illa periodo: Stetit ſoleatus Prætor Populi Roma. inclinatio incumbentis in mulierculam Verris effingenda eſt. Aut in illa: Cædebatur in medio foro Meſſanæ: motus laterum, qualis eſſe ad verbera ſolet, torquendus: aut vox qualis dolore exprimitur, eruenda. Cùm mihi comœdi quoque peſſimè facere videantur, qui cùm in expoſitione aut ſenis ſermo aut mulieris incidit, tremula & effœminata voce pronunciant. Adeò in illis quoque eſt aliqua vitioſa imitatio, quorum ars omnis conſtat imitatione. Hactenus Fab. qui ſi in oratore, qui de rebus ad breuis huius æui vſum pertinentibus diſputat, hanc imitationem indecoram putat, quid idem faceret in concionatore, qui de æterna vita æternóque ſupplicio diſſerit? Neque verò me mouet, quod frequenter auditores hanc imitationem laudant, laudant quippe, quod eorum aures mulcet, quodque illis voluptatis cuiuſdam & riſus materiam præbet, quemadmodum hiſtrionem laudant, qui probè voces & actus hominũ effingit. quod tamẽ graues & eruditi viri reprehendunt: quorum magis

iudicium ſequi, quàm populi plauſum captare debemus. Hi nanque indignum eſſe putant Ecclesiaſtici doctoris autoritatem ad hiſtrionum geſticulationem & leuitatem degenerare.

Sunt & alia oris vitia, quid Fab. id prima futuri rhetoris inſtitutione vitanda eſſe docet his verbis: Curabit etiam, vt quoties exclamandum erit, laterum conatus ſit ille, non capitis: vt geſtus ad vocem, vultus ad geſtum accommodetur. Obſeruandum erit etiam, vt recta ſit facies dicentis, ne labra detorqueantur, ne immodicus hiatus rictum diſtendat, ne deiecti in terram oculi, ne inclinata vtrolibet ceruix. Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos, quorum ſupercilia ad ſingulos vocis conatus alleuarentur, aliorum conſtricta, aliorum etiam diſſidentia, cùm altero in verticem tenderent, altero penè oculus ipſe premeretur. Infinitum autem in his quoque rebus momentum eſt. Et nihil poteſt placere, quod non decet. Hactenus Fabius. Cætera vel actionis vel pronunciationis vitia facilè horum, quæ breuiter expoſuimus, admonitu, prudens concionator deprehendet.

De varia pronunciandi ratione in ſententijs.

Cap. VIII.

HÆc omnia, quæ de pronunciandi atque agendi facultate dicta ſunt, ex Quintiliano huius artis principe ad verbum penè deſumpſimus: prætermiſſis tamen his, quæ minus apta inſtituto noſtro eſſent, vel quæ lectori faſtidium aut obſcuritatem parere potuiſſent. Hæc autem ſatis eſſe putamus; vt concionator minime ſtupidus his documentis inſtructus, reliqua

per

perfectè intelligere queat. Sed quoniam hæc pronunciandi virtus (vt initio diximus) ſumma eſt & multi nullum laborem inutilem putabunt, dummodo eam plenius aſſequantur, his etiam morem gerendum eſſe duxi. Itaque eadem ipſa, quæ hactenus in cõmune de vocis figura tradita ſunt, rudi (vt ita dixerim) craſſaq; Minerua explicare conſtitui. Nequaquam tamen hoc in loco abſolutum concionatorem, ſed nouitium, ac penè infantem à primis huius diſciplinæ rudimentis inſtituẽdum ſuſcipio. Vt enim ludi magiſtri, qui vel legendi, vel ſcribendi artem docẽt, ab ipſis primùm ſingularibus literarum elementis incipiẽtes, ad maiora gradum facere ſolẽt (ſic enim perficiunt, vt inoffensè poſtea vel legere, vel ſcribere ſciãt) ita ergo per plurima ſentẽtiarũ genera, ex quibus præcipuè concionis partes conſtant, decurrẽs, & qua vocis figura vnaquæque earum pronuncianda ſit, inſinuans, facilem ipſi aditum aperiã, vt quonam modo cęteræ pronunciandæ ſint, intelligat. Quæ enim Fabius in cõmune dixit, ego ad peculiares etiam & ſingulares ſententias accommodabo, propoſitiſq; varijs exemplis illuſtranda curabo. In quibus exemplis pronunciandis exerceri poterit, quiſquis hanc facultatem plenius conſequi deſiderat.

Neque verò hoc ipſum ſine eiuſdem Fabij autoritate facio, qui ediſcere inſignia autorum loca monet: in quibus variam pronunciãdi rationem exercere valeamus. Eius hæc verba ſunt: Ediſcere autem, quo exercearis, erit optimum: nã ex tempore dicenti auocatur cura vocis, ille, qui ex rebus ipſis concipitur, affectus, & ediſcere quàm maximè varia, quæ & clamorem, & diſputationem, & ſermonem, & flexus habeãt, vt *Fab lib. 11.*

ſimul in omnia paremur. Hactenus ille. Idemq;
Lib.1.c.19. rurſus Rhetoricæ artis tyronem comœdiarum actori tradi præcipit, vt ab illo hanc naturalem pronunciandi formam diſcat: quãuis & ibidem, & vbique doceat, aliam orationis, aliam verò actoris pronunciationem eſſe. Ibidem etiã præcipit, quod modò diximus, nempè eligẽdos eſſe locos aliquot inſigniores, in quorum pronũciationes tyrones exerceantur. Sic enim ait: Debet etiam docere Comœdus, quomodo narrandum, qua ſit autoritate ſuadendum, qua concitatione conſurgat ira, quis flexus deceat miſerationem. Quòd ita optimè faciet, ſi certos ex comœdijs elegerit locos, & ad hoc maximè idoneos, id eſt, actionibus ſimiles. Iidem autem ad pronunciandum non modò vtiliſſim, verùm ad augendam quoque eloquentiam maximè accommodati erunt. Et hæc dum infirma ætas maiora non capiet. Cæterùm cũ legere orationes oportebit, cũ virtutes earum iam ſentiet, tum mihi diligens aliquis ac peritus aſſiſtat, neq; ſolũ lectione formet, verùm diſcere etiã electa ex his cogat, & ea dicere ſtantem clarè: & quemadmodum agere oportebit, vt protinus pronunciatione vocem & memoriam exerceat. Hactenus ille. Quia verò nobis neque licet, neque decorum eſt, ex cõmedijs loca eligere, in quorum pronunciatione exerceamur, aliqua ex litteris ſanctis loca in medĩu proferemur, atq; ea in primis, quæ dialogorũ ſpeciem præſeferunt: quæ ad huius facultatis exercitationem commodiora videbuntur. Quòd ſi diutius in his exemplis fuerim immoratus, nemo mihi iure ſuccẽſere debet. Quia enim ſapientibus & inſipientibus debitor ſum, vbi hactenus pronunciandi rationem ſapientibus demonſtra-

ui, modò eandem rudioribus aperire contendã. Sed vt verũ ingenuè fatear, illud me ad hunc laborem magis excitauit, quòd paucos admodum concionatores videam, qui rectam hanc & naturalem pronunciandi rationem teneant. Quod eo magis dolendum eſt, quia huius rei ignoratio in nõnullos cadit, qui cæteris eloquentiæ partibus inſtructiſſimi, quoniam hac virtute deſtituũtur, omnem laboris ſui & communis vtilitate fructũ prorſus amittunt. Huic igitur publicæ vtilitatis iacturæ (ſi quid per nos præſtari poſſit) hac noua docendi ratione conſulendum putaui.

Varia ſententiarum exempla è ſanctis literis excepta. Cap. IX.

QVid autem præcipuè hoc in loco perſequi velim, paucis indicabo. Tripartitam eſſe pronunciandi rationem ſuperius diximus. Aliam enim pronunciandi rationem præcipuis concionis partibus (hoc eſt, expoſitioni, probationi, & amplificationi) aliam varijs ſententijs, quæ in has partes incurrunt, aliam verò ſingulis ſæpè verbis, quæ his ſentẽtijs continentur, conuenire diximus. Quia verò ſumma pronunciationis obſeruatio in huiuſmodi ſententijs aptè pronũciandus ſita eſt, hanc partẽ (quam ſuperiùs carptim & breuiter attingimus) huic loco reſeruauimus, vt de ea quã fieri poſſet copiosè ageremus, eamq; varijs (vt dixi) exemplis illuſtraremus. Sed prius tamen infantiam meam confitebor, quod nequaquam varios vocis flexus atque figuras ſcribendo exprimere potero. Vnum tamen illud præſtabo, vt prudentem lectorem admoneam, aliam atq; aliam vocis figu-

ram in diuerſis propoſitæ cuiuſlibet ſententiæ partibus eſſe adhibendam : quam ipſe per ſe, niſi ſtupidus admodum fuerit, facilè deprehendet. Verùm quia omnia ſententiarum genera perſequi, & variam pronunciandi rationem vnicuiq; illarum aſſignare, infiniti propemodum operis eſſet, hanc ego methodum commodiſſimam iudicaui, vt propoſitis aliquot verborũ & ſententiarum figuris, de quibus in ſecundo & quinto huius operis libro diſſeruimus, quam pronunciandi rationem vnaquæq; exigat, expendamus. Vt enim figuræ omnes peculiarem quẽdam veluti geſtum & formam elocutionis habẽt, ita peculiarem quoque pronunciandi formam requirunt. Ab his autem primùm incipiamus, quæ affectum aliquem & motum animi exprimunt : in his enim pronunciandi ratio manifeſtior eſt.

I.

Optatio. Prima igitur figura (ſic enim & hanc, & alias huic ſimiles hoc in loco appellare libet) optatio eſt, quæ ſuam quandam pronunciandi formam requirit, quæ videlicet deſiderantis animi affectum exprimat: qualis illa Sponſæ in Cant. Quis *Cant. 8.* det te fratrẽ meum ſugentem vbera matris meæ. vt inueniam te foris, & deoſculer te ? paulò tamen *Hier. 9.* acrior & magis anxia atque indignabunda illa Hieremiæ optatio. Quis dabit me in ſolitudinem diuerſorium viatorum, vt fugiam popu-*Idem ibi.* lum meum, quia omnes adulteri ſunt, & cœtus præuaricatorum. Clementior tamen, & veluti commiſerantis illa : Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Sic illa: Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderẽt. In his omnibus eadem

vocis figura cum aliqua tamen diſſimilitudine pro ſententiarum natura retinenda eſt.

Contraria huic eſt imprecatio, qualis illa: Pereat dies: in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt conceptus eſt homo. Vehemens eſt & illa Didonis apud Maronem imprecatio: *Imprecatio.* *Iob. 1.*

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat, (&c.
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Ante pudor quàm te violem, aut tua iura reſoluam.

Hæc autem imprecatio acri & horrenda voce pronuncianda eſt. Bona precatio verò ſicut huic contraria, ita longè diuerſam vocis figuram deſiderat: qualis illa Prophetæ: Dominus conſeruet eum, & viuificet eũ, & beatum faciat eum in terra, & quæ ſequuntur. Hoc autẽ vocis tenore totus ille Pſalmus pronunciandus, cuius eſt initiũ: Exaudiat te Dominus in die tribulationis: &c. Similẽ vocis figuram exigũt, & benedictiones illæ in ſacris litteris frequentes, qualis illa Iſaac ad Eſau: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Creſcere te faciat Deus meus, det tibi de rore cœli, & de pinguedine terræ, &c. quæ ſequuntur. *Bona precatio.* *Pſal. 40.* *Geneſ. 8.*

Finitima eſt huic obſecratio, quæ blandam & mollem, non tamen effœminatam vocem requirit: cuiuſmodi eſt illa Pauli: Ipſe autem, ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem Chriſti, qui in facie quidẽ humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præſens audiam, &c, Obſecrationi finitima eſt inuitatio ad iuſtitiam & pietatem, quæ ſimilem vocis mollitudinem exigit, qualis eſt illa Domini in Euangelio: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Simili vocis (vt ita dixerim) blandiloquentia illa regij vatis inuitatio profe- *Obſecratio.* *Epheſ. 4.* *2. Cor. 10.* *Matth. 11.*

Pſal.33. randa eſt: Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos, &c.

Sunt præterea multi alij animorum motus & affectus, qui quàm ſunt varij, tam variã pronũ-

Conqueſtio. ciandi formam depoſcunt. Aliter enim quærimur, & vicem noſtram lamẽtamur, vt cùm Propheta pio & mœſto animi affectu queritur, di-

Pſalm.12. cens: Vſquequò Domine obliuiſceris mei in finem? vſquequò auertis faciem tuam à me? quandiu ponã conſilia in anima mea, dolorẽ in corde meo per diem? vſquequò exaltabitur inimicus

Iob.7. ſuper me? &c. Sic ſanctus Iob: Vſquequò non parcis mihi, nec dimittis me: vt glutiam ſaliuam

Abac.1. meam? Acrius tamen Abachuc Propheta queritur, cùm ait: Vſquequò Domine clamabo, & nõ exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Heu mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedẽdum, præcoquas ficus deſiderauit anima mea: perijt ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt, &c.

Comminatio. Hac eadem interiectione, væ non modò ſortem noſtram dolemus, ſed alijs etiã mortem &

Amos 6. ſupplicium comminamur. Sic Amos: Væ vobis, qui opulenti eſtis in Sion, optimates, capita populorũ, ingredientes pompaticè domum Iſraël.

Eſaiæ 29. Sic Dominus in Euangelio: Væ, inquit, vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum.

Indignatio. Finitimus autem comminationi eſt indigna-

Ezech.5. tionis affectus. Sic Dominus apud Ezec. Et cõplebo, inquit, furorem meum in te, & dabo te in deſertum, & in opprobrium gentibus, quæ in circuitu tuo ſunt, & eris opprobriũ, & blaſphemia, exẽplum, & ſtupor in gentibus, quæ in cir-

cuitu tuo ſunt, cùm fecero in te iudicia in furore, & in indignatione, & in increpationibus: Ego Dominus locutus ſum, quādo miſero ſagittas famis peſſimas in eos, quæ erūt mortiferæ, & immittam in vos famem, & beſtias peſſimas vſque ad internecionem: peſtilentiæ & fames trāſibunt per te, & gladium inducam ſuper te, Ego Dominus locutus ſum. In his verbis apertè cōſtat, atrocitatem indignationis ſimilem in pronunciatione atrocitatem poſtulare, vt habitus vocis orationi & ſententiæ reſpondeat, Sic etiā idem Dominus apud Eſaiam: Tacui, ſemper ſilui, patiēs fui, quaſi partutiēs loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul, deſertos faciā montes & colles & omne gramen eorū exſiccabo. Sic idē Dominus in Cantico: Ignis ſucceñſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima: deuorabitque terram cum germine ſuo, & montiū fundamenta comburet. Dentes beſtiarū mittam in eos cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentem, & cætera, quæ in hanc ſentētiam ſequuntur. *Eſaia 42.* *Deut. 32.*

Incidit etiam non rarò admirationis affectus. Tale eſt illud apud Eſaiā: Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? Et, Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, &cæt. Interdum etiam affectus hic alijs admiſcetur. Sic apud eundem indignationi coniungitur: Quomodo facta es meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Dolori autem apud Hieremiam cùm ait: Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo? &c. Sic Dauid amicorum caſum lamentatur: Quomodo, inquit, ceciderunt robuſti, & perierunt arma belli? *Admiratio.* *Eſaia 14.* *Eſaia 1.* *Thren. 1.* *2. Reg. 1.*

Ironia. Ironia verò, quæ eſt in ſententijs, non vacat quodam amarulentiæ affectu, quam pronunciatio præſeferre debet. Sic Dominus in Euágelio: *Matth. 15.* Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorũ, &c. Ironiæ quoque ſpeciem habet illud Apoſtoli: Comedamus & bibamus. Cras enim moriemur. Et *Apoc. 22.* in Apoca. Dominus: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.

Præciſio. Præciſio autem, quam inter ſententiarum figuras numerauimus, ingentem ſæpe affectum non loquendo, ſed tacendo exprimit. Sic regius Vates: Anima mea turbata eſt valdè, ſed tu Do- *Pſalm. 6.* mine vſquequo? Subſtitit enim in hac voce deſiderantis affectus, & doloris magnitudine impeditus vlterius progredi non valuit. Deeſt enim verbum, Non parces mihi, vel aliud ſimile. Diuerſum autem animi affectum inſinuauit, cùm dixit: Calix meus inebrians. Præciſa enim oratio *Pſalm. 22.* eſt in Hebræo. Particula enim, Quàm præclarus eſt, ab interprete perſpicuitatis gratia addita fuit. Hac autem orationis præciſione ingentem animi affectum ſignificare poſſumus, cùm alicuius rei dignitatem, vel (quod eſt frequentius) indignitatem ad ſummum vſque extulimus. Ad quem vbi peruentum eſt, ſubſiſtit oratio, quaſi is, qui dicit, nullam ſatis dignam orationem inueniat, qua quod reliquum eſt, explicare poſſit. Itaque concionator velut attonitus hæret, ſtupet, ac ſilet: quo quidem ſilentio, cùm verè dicentis animus commotus eſt, vehementer auditorum animi concitantur. Tanta autem diuini Spiritus vis in concionatore eſſe poterit, vt concionem ipſam huiuſmodi præciſione aliquando finiat: atque ita ſuſpenſos & tremebundos auditores relinquat. Quæ quidem res vt ridicula erit,

ſi ex ſola dicentis arte fiat: ita cùm ex animo diuinæ gloriæ zelo ſaucio fit, ad permouendos animos efficaciſſima eſt.

Habent affectus aliquid hæc orationum genera, quæ mox ſubijciemus, atque in primis aſſeueratio, quæ interdũ (vt Fab. ait) plus ipſis probationibus valet. Ea enim vim quãdam & acrimoniam in voce ac vultu requirit, quæ cauſæ ſuæ fiduciam præſe ferat. Talis illa Pauli: Ecce ego Paulus dico vobis, ſi circuncidamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Teſtificor autẽ rurſus omni circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. Idémq; rurſus: Si in hoc mundo tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Et apud eundem: Nolite errare: neque fornicarij, neq; idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei poſſidebunt. *Aſſeueratio.* *Galat. 5.* *1. Cor. 6.*

Cum aſſeueratione ſimilitudinem quandam habet adiuratio: cuiuſmodi eſt illa Caiphæ Pontificis: Adiuro te per Deũ viuũ, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus. Similẽ autem acrimoniã & aſſeuerandi vim iuſiurandum requirit. Sic Dauid: Viuit Dominus Deus Iſraël, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi, niſi citò veniſſes in occurſum meum, non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem. Sic Elias trepidantem Abdiam confirmat hoc iuramento: Viuit Dominus exercituum, in cuius cõſpectu ſto, quia hodie apparebo ei (hoc eſt) Achab regi. Sic Ioab ad Dauidẽ Abſalonis filij mortem lamentantem ait: Nunc igitur ſurge, & procede, & alloquens ſatisfac ſeruis tuis. Iuro enim tibi per Dominũ, quod ſi non exieris, ne vnus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac: & *Adiurat.* *Matt. 26.* *1. Reg. 25.* *1. Reg. 18.* *2. Reg. 19.*

peius erit hoc tibi, quàm omnia mala, quæ venerunt ſuper te ab adoleſcentia tua. Quis non videt, quantam vocis acrimoniam hæc oratio poſtulet?

Adhortatio. Habet etiam adhortatio ſpeciem quandam affectus, quæ præcipientis imperium & auctoritatem voce ipſa, & quadam pronunciandi celeritate repræſentat: qualis eſt illa Domini apud *Cap. 1.* Eſaiam: Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iucicate populo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus. Sic apud eundem: Diſſolue colligationes impietatis, ſolue *Eſaia 58.* faſciculos deprimentis, dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus diſrumpe, frange eſurienti panem tuum, & cætera quæ ſequuntur.

Caſtigat. Nec longè diſtat ab adhortatione caſtigatio: qualis illa apud Salomonem: Vſquequò piger dormies: quando conſurges è ſomno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, &c. Idem- *Prou. 1.* que: Vſquequò paruuli diligis infantiam? & ſtulti ea, quæ ſunt ſibi noxia, cupient? & imprudendentes odibunt ſcientiam?

Exclamatio. Ad affectus etiam commouendos plurimum conferunt Exclamatio & Apóſtrophe, quæ non vnum aliquem affectum exprimunt, ſed ad omnes accommodantur. Ex quouis enim ingẽti affectu in exclamationem & Apoſtrophen erumpere licet. Ad commiſerationem quidem illa Hieremiæ exclamatio pertinet: O vos omnes *Thren. 10.* qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Leniorem verò *Luc. 24.* indignationem habet illa: O ſtulti & tardi corde *Ad Gal. 3.* ad credendum ea, quæ locuti ſunt Prophetæ! Acrior tamẽ illa Pauli: O inſẽſati Galathæ! quis

vos faſcinauit non obedire veritati? Sed multò tamen acrior illa: O generatio incredula & peruerſa, quouſque apud vos ero? quandiu vos patiar? Neque verò neceſſe eſt ad exclamationes omnes particula O: ſine ipſa namque & cũ alijs etiam interiectionibus, quibus vehemens affectus erumpit, exclamatio fit. Talis eſt illa Ioannis Baptiſtæ Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Similiter & illa Domini vox apud Eſaiam: Heu cõſolabor de hoſtibus meis, & vindictam ſumam de inimicis meis. Sic & Dominus in Euangelio, magno erumpente animi dolore ait, Væ mundo à ſcãdalis. Et, Væ homini illi, per quem ſcãdalum venit. Sic & Angelus in Apoc. homines ipſos inducit Babylonis caſum admirantes & lamẽtantes. Væ væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quia vna hora venit iudicium tuum. Numeratur etiam inter exclamationes illa Hieremiæ, A, a, a, Domine Deus, Prophetæ dicunt eis, Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis. Vt enim litera, o, ita etiam, a, commodiſſimè exclamationibus ſeruit. Vtraq; enim, quoniam fauces implet, ad exclamandum commodiſſima eſt. Verùm ex his, a, mihi commodior atq; facilior ad pronunciandum videtur, minúſq; dicẽtis artificium detegit, cùm ſit velut naturalis quædam erumpentis affectus ſignificatio. Qua ſi prudenter ſuis in locis Eccleſiaſtes vtatur, non parum auditorum affectus excitabit.

Luc 7ſ. *Matt. 23.* *Eſai. 1.* *Mat. 18.* *Apoc. 18* *Thren. 14.*

Exclamationi finitima eſt Apoſtrophe: vt potè, quæ illi ſemper adiũcta eſt, eademq; ſicut exclamatio, cunctis affectibus ſeruit. Vehemens illa. Audi cœlum, & auribus percipe terra, quia os Domini locutum eſt. Nec minus illa Moiſis:

Apoſtrophe. *Eſaia 1.* *Deut. 34.*

Teſtes inuoco hodie cœlũ & terram, citò perituros vos eſſe de terra quam tranſito Iordane poſſeſſuri eſtis. Nec minus vehemẽs illa: Obſtu-
Hier. 2. peſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehemẽter. Duo enim mala fecit populus meus:
Ezech. 21. &c. Sic & illa apud Ezechielem: O mucro, mucro, euagina te ad occidendum, lima te vt interficias & fulgeas. Longè autem diſſimili vocis figura pronuncianda eſt apoſtrophe illa ſuauiſſi-
Eſaya. 45. ma: Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtũ, aperiatur terra, & germinet Saluatorẽ. Sic & illa: Flecte ramos arbor alta, tenſa laxa viſcera, & cæt. Vtrobiq; enim pronunciationis vox deſiderantis animi affectũ exprimere debet. Diuerſum autem ab hoc affectum requirit illa Dauidis
2. Reg. 10. Apoſtrophe: Mõtes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum: quia ibi abiectus eſt clypeus fortium.

Interrogatio. Interrogatio quoque & omnes recipit affectus, & apertè diſſimilem à communi ſermone pronunciationem requirit, eámque cum primis pro affectuum & ſententiarum ratione variam. Simplici autem & blãda voce adoleſcẽs ille interrogat: Magiſter bone, quid faciẽdo vitã æter-
Luc 24. nam poſſidebo? Sic & illud: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes? Diſſimili autem voce optãtes inter-
Iob. 16. rogamus: Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro? &c. Omnia huius interrogationis membra ſimili voce tenore, cum quadam tamen vehementia atque inſtantia pronuncianda ſunt. Sic & illa:
AdCor. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Acrior tamen illa: Quare atteritis populum meum, & facies paupe-

rum cōmolitis. Et, Generatio praua atque peruerſa, hæccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens? Hæc interrogatio cum quadam iræ & indignationis ſignificatione proferenda eſt: Sicut etiam hæc: Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus, aut in gente tali non vlciſcetur anima mea? Hærentis autem, dubitãtis, & anxij animi voce pronuncianda eſt interrogatio illa: Cui loquar, aut quem cõteſtabor, vt audiat? Et, Quis eſt vir ſapiens, qui intelligat hoc, & ad quẽ verbum oris Domini fiat, vt annunciat iſtud, quare perierit terra, & exuſta ſit quaſi deſertum, eò quòd non ſit, qui pertranſeat? Longũ eſt ire per ſingula: huiuſmodi namque exemplorum in literis ſanctis, nuſquam non magna copia eſt, in quorũ varia ac diſſimili pronunciatione Eccleſiaſtes exerceri poterit, vt huiuſmodi exercitatione veram ac naturalem pronunciandi formam animo concipiat. *Eſaiæ 3.* *Hier. 5.* *Hier. 6.*

Sermocinatio quoque, quam inter ſententiarum figuras numerauimus, quæ varias perſonas loquẽtes inducit, varijs quoq; affectibus ſeruit. Ideoq; diſſimilem vocis figuram in eiſdem requirit. Aliter enim ſermocinationem illam pronunciamus: Et non dixerunt, Metuamus Dominum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam, plenitudinem animæ meſſis cuſtodientem nobis. Aliter illa: Ne gemas in nouiſſimis tuis, & dicas: Cur deteſtatus ſum diſciplinam? & increpationibus non acquieuit cor meum? nec audiui vocem docentem me, & magiſtris non inclinaui aurem meam? Aliter illa: Dixerunt impij cogitãtes apud ſe non rectè. Exiguum & cũ tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & cætera quæ ſequuntur. *Sermocinatio.* *Hier. 5.* *Prou. 5.*

Sapië. 2 Sapient. 2. Aliter illa, qua impij feliciſſimam iuſtorum ſortem admirantes dicunt. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſatis vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorũ ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorũ eſt. Ergo erraui-
Sapien. 5 mus à via veritatis, &c. Sapien. 5. Aliter illa: Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis regis Aſſur.
Eſaia. 10. Dixit enim, In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum: &c. Eſaiæ 10.

Sunt etiam inter figuras aliæ, quæ peculiarem quendam vocis habitum requirunt, quas non erit inutile hoc in loco exempli gratia recenſere.
Repetitio. Earum prima eſt repetitio, quæ idem nomen orationis initio repetit. Hæc autem poſtulat, vt eodem vocis tenore idem nomen repetatur. Sic apud Hieremiam: Gladius ad Chaldæos, ait Do-
Hier. 50 minus: & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad ſapientes eius: Gladius ad diuinos eius, qui ſtulti erunt: Gladius ad fortes illius, qui timebunt: Gladius ad equos eius; & ad currus eius, & ad omne vulgus, quod eſt in medio eius:
Conuerſio. Gladios ad theſauros eius, qui diripiētur. Conuerſio quoque idem poſtulat in fine, quod repetitio in principio. Sic autem pronunciamus illud Diui Pauli: Cùm eſſem paruulus, loquebar
1. Cor. 13 vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam
Cōplexio. vt paruulus, &c. Complexio verò, quæ vtriuſque figuræ naturam retinet, in qua initia inter ſe & fines conueniunt, vtriuſque etiam figuræ formam in pronunciando retinet. Cuius rei exemplum cùm de hac figura loqueremur, ſubiecimus.

Conduplicatio, quam Græci Epizeuſim vocant, quæ idem verbũ aut etiam orationem repetit, vt aſſeuerationi finitima eſt, ita ſimilē ferè pronunciãdi formam requirit. Sic apud Eſaiam Dominus, Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Et iterũ: Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Acrior illa: Tu tu faces illas incendiſti. Et in orationē: Commotus nõ es? cùm tibi mater pedes amplexaretur, commotus nõ es? Sic & illa: Tu in horum conſpectũ venire audes proditor patriæ? proditor inquam patriæ, tu in horum conſpectum venire audes? Et; Matrem tuam occidiſti: quid dicam amplius? matrem tuam occidiſti. *Conduplicatio.* *Eſaia 48.* *Eſa 43.*

Correctio quoque peculiarem quandam pronunciandi rationem petit: qualis illa D. Grego. Quid igitur miramur fratres? Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? ſuſcipientem dicam? &cæt. Sic Terentianus ille ſenex, cùm filium ſe habere dixiſſet, adiunxit: Quid dixi me habere? Imò habui Chreme? nunc habeam necne, incertum eſt. *Correctio.*

Dubitatio quoque aliam pronunciandi formam requirit: qualis illa Euſebij Emiſſ. Quid primùm mirer, quidue poſtremum? quòd ſine conceptu eſt collata fœcunditas, an quod per partum magis eſt glorificata virginitas? Sed non mirum, ſi ita peperit: talis erat ille cui nupſerat. Sic D. Cyprian. in Serm. de lapſis: Quid hoc loco faciam, dilectiſſimi fratres, fluctuãs vario mentis æſtu? Quid, aut quomodo dicam? lachrymis magis quàm verbis opus eſt. *Dubitatio.*

Verùm inter alias figuras vix vlla maiorem in pronunciando varietatē deſiderat, quàm Ra-

Ratiocinatio. Subiectio. tiocinatio atque ſubiectio: quæ ſimilem penè naturam, ſimilémque pronunciãdi formam requirunt: propterea, quòd crebris interrogatiunculis & reſponſionibus conſtant. Quo fit, vt ſubinde vocis figura varianda ſit, cùm aliter interrogemus, & aliter nobis ipſis, tanquam alteri, reſpondeamus. quocirca non erit tyronibus inutile, in harum duarum figurarum pronunciatione exerceri. Exempla verò cùm de his duabus figuris ageremus, ſubiecimus: quæ hic repetere non eſt neceſſe. Verũ de his ſatis multa: quibus facilè quiſque intelliget, qua pronunciandi ratione in cæteris quoque ſententijs, quæ ad has reuocari non poſſunt, vſurus ſit. Omnia enim, quæ hactenus præcipimus, eò pertinent, vt pronunciatio cum rerum & ſententiarum natura aptè cohæreat.

Exempla quædam è literis ſanctis deſumpta, in quorum pronunciatione rudes huius officii exerceri valeant.

CAP. VIII.

QVoniam (vt paulò ante diximus) ediſcere aliquid monet Fabius, in quo exerceri valeant, qui hanc pronunciandi facultatem conſequi deſiderant, operæ prætium me facturum putaui, ſi præter ea exempla, quæ hactenus ex ſcripturis ſanctis adduxi, alia quoque paulò longiora afferam, quæ variam pronunciandi rationem exigunt: in quibus huius artificij rudes exerceri queant, vt perfectam pronunciandi formam addiſcant. Sumamus igitur in primis *Pſal. 49* locum illum ex Pſal. 49, Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis

mis teſtamentum meum per os tuum? Hæc duplex interrogatio figura obiurgantis atque admirandis pronunciãda eſt. Sequitur deinde alio vocis flexu proferendum, quod ſubdit: Tu verò odiſti diſciplinam, profeciſti ſermones meos retrorſum: & cæt. quæ ſequuntur vſque ad illud: Aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Hæc omnia membra eodem vocis tenore atque acrimonia pronuncianda, & ſuis interuallis diſtinguenda ſunt: quoniam omnia eandem continent enumerationem ſcelerum, niſi quòd ſententia illa: Si videbas furem, currebas cum eo, nonnihil ab antecedentibus & conſequentibus membris in pronunciatione, diſtat. Sequitur deinde: Hæc feciſti & tacui. Hæc admirantis vox eſt, & velut ad tam diuturnum ſilentium obſtupeſcentis. Ideóque paululum hoc in loco ſubſiſtere pronunciatio debet. Hoc enim admirationis ratio poſtulat. Quod verò deinde ſequitur: Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis? maiorem dicentis acrimoniam & indignationem præſefert, maiorémq; adhuc, quod protinus ſubdit. Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam: hoc enim minaci geſtu atque voce pronunciandum eſt. Sequitur deinde alia pronunciandi ratio, ab his longè diſſimilis: Intelligite hæc, qui obliuiſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. Hæc. n. ſententia voce prudenter atq; opportunè admonentis, & ab imminenti periculo deterrẽtis proferenda eſt. Hoc igitur exemplo apertè liquet, quàm varia in his paucis verſiculis pronunciandi ratio adhibenda ſit.

Sumamus aliud exemplum ex prima Pauli ad Corinthios epiſtola: in qua Corinthiorum lites

reprehendit. Sic igitur ait: Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? Hæc interrogatio, tres quæ deinde ſequuntur, habitum vocis acriter obiurgantis, admirantis, & inſtantis exigunt. Quod verò ſequitur: Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandũ. Hoc maiori adhuc vehementia pronunciandum eſt. Habet quippe oratio hæc, Contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, ſpeciem quandam vel Hyperboles, vel Ironię, quam deinde corrigit, cùm infert, Ad verecundiam veſtram dico. Quæ quidem ſententia aliam vocis figuram requirit. Sequitur deinde: Sic? non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuũ? Hæc interrogatio admirantis vocem poſtulat, & apertiſſima ratione eos qui litigabant, cõuincentis. In illa verò particula, Sic, paululum immorandum eſſe videtur, Habet enim & ſilentium in pronunciatione, alias quidem longius, alias breuius, nõ vulgarem emphaſim. Quod verò protinus adijcit: Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Hæc ſententia eandem vocis acrimoniam & admirationem petit, ſic tamen vt circunſtantia illa. Et hoc apud infideles, maiore niſu atque voce proferenda ſit, quò indignitas rei magis emineat. Sequitur deinde alia pronunciãdi ratio, cùm ſubdit: Iam quidem omninò delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Verùm multò acrius vrget, vbi continuò infert. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Hæc enim duplex interrogatio maiore ſpiritu atq; impetu pronuncianda eſt, Alidam

porrò vocis figurã expoſcit quod ſequitur: Sed vos iniuram facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. In qua ſententia particula illa. Et hos fratribus, eminere debet, ſicut ſuperior illa, Et hoc apud infideles. Vtrobique enim rei indignitas ex varijs perſonarum circunſtantijs colligitur: quã pronuntiatio præ ſe ferre debet. Sequitur continuò alia vocis figura, cum addit: An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? A qua nonnihil diſtat, quod deinde ſubijcit: Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neq; adulteri, neque molles, &c. regnũ Dei non poſſidebunt. Hi omnes articuli vehemẽtius atq; clarius pronunciandi ſunt: ſic tamen, vt interuallis ſuis diſtinguantur. Aſſeueratio quippe, quæ ipſis interdum probationibus plus valere dicitur, vehementiam atque impetum in aſſeuerante requirit.

Quià verò orationes illæ, in quas perſonarum varietas incurrit, quæ inſtar dialogorum ſunt, ad facultatis huius exercitationem plurimum cõferunt, ex his etiam exempla aliquot in medium proferam, atque in primis illud Matt. 15. vbi Scribę & Phariſæi Dominũ adierunt, vt ipſum de neglecta diſcipulorum cura, ac diſciplina obiurgarent. Sic igitur aiunt: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones Seniorum? Hæc obiurgatio magna ſeueritate & ampla voce proferenda eſt, vt Scribarum & Phariſæorum perſonam referamus, qui ingentis piaculi eſſe credebant, illotis manibus cõtra Seniorum traditionẽ edere. Sed quãtò alia voce Dominica reſponſio proferenda eſt, cùm ait: Quare & vos tranſgredimini mãdatum Dei propter traditionem veſtrã? Nam Deus dixit: Honora patrẽ tuũ

& matrem, & cætera quæ ſequuntur. Omnis hæc oratio obiurgantis, & indignantis vocem deſiderat. Sed acrius tamen eſt & vehementius, quod deinde addit: Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Eſaias, cùm dixit: Popnlus hic, labijs me honorat, &c. Hoc enim eſt, velut adacto verbi Dei pugione diuinam legem adulterantes tranſfodere. Longè verò diſſimilem vocis figuram exigit, quod deinde diſcipuli ad Dominum dicunt: Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? Hoc enim ſubmiſſa voce quaſi ad aurem inſuſurrando proferendum eſt. Ad illud quod ſequitur, libera aſſeuerantis voce pronunciandum: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Diſſimili protinus voce proferendum eſt, quod ſubiecit Petrus, cùm ait: Ediſſere nobis parabolã iſtam. Sed quantò aliter pronunciãdum, quod deinde reſpondit Dominus: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur, & cætera, quæ ſequuntur.

Si quis alia exempla deſiderat, habet in Euangelica hiſtoria nonnulla, atque ea in primis, quæ dialogorum ſpeciem referunt, vt cùm Dominus longa oratione cum muliere Samaritana, vſq; ad diſcipulorum aduentum loquitur, illa interrogante & Domino reſpodẽte. Sic etiam cùm Petrus pedes à Domino ablui recuſat, Dominus verò cœpto miniſterio inſtat. Sed commodiſſimũ huius rei exemplũ extat apud D. Greg. Nazian. in funebri oratione, qua Baſil. Magn. virtutes, ac præcipuè mirabilem eius in fide cõſtantiam aduerſus Imperatoris Arriani præfectum commendat. Cuius rei hiſtoriam hoc in loco attexere li-

buit, non ſolùm quia inſtituto noſtro vtiliſſima eſt, ſed etiam quoniam hiſtoriam ſcitu digniſſimam continet. Sic igitur Greg.

Quonam autem modo vel Præfecti audaciam, vel Baſilij virtutem, & ſapientiam, cum qua ei reſtitit, ſatis digna oratione complectar? Quę tua eſt, inquit Præfectus, ratio, heus tu? nomine illum ſuo compellans (nōdum enim eum Epiſcopi nomine appellandum ducebat) vt tanto imperio obſiſtere audeas? ſolúſq; omnium præfractè, & contumaciter obluctetis? quorſum, reſpondit Baſilius, hæc oratio ſpectat, & quænam hæc eſt contumacia? Nōdum enim id ſatis intelligo. Quoniam, inquit ille, imperatoris religionem minimè profiteris, omnib. alijs iam ſubſtratis ac ſuperatis. Non enim, inquit Baſil. hæc vult imperator meus: nec creaturam vllam adorare ſuſtineo, cùm & Dei creatura ſim, & Deus eſſe iubeat. Nos verò, inquit ille, qui hæc imperamus, quid tandem tibi videmur? nihil ne? Agè verò non magnum, & honorificum exiſtimas nobiſcum adiungi, ſocioſque nos habere? Ad hæc Baſilius: Vos quidem Præfecti eſtis, & illuſtres: non inficias eo minimè tamen Deo præſtantiores. Socios autem vos habere mihi quidem amplum, & honorificum fuerit (quidni enim, cùm ipſi quoque Dei creaturæ ſitis) ſed vt alios quoſdam ex his, qui nobis ſubiecti ſunt. Non enim perſonarum dignitate, ſed fidei integritate Chriſtianiſmus dignoſcitur. Hac oratione commotus Præfectus, ac maiori ira ſuccenſus, è cathedra ſurrexit, atque aſperioribus verbis cum eo agere perrexit. quid? Poteſtatem hanc non pertimeſcis? Cur verò pertimeſcam? reſpondit Baſilius. Quid fiet? quid patiar? Quid patieris? in-

tulit ille, vnum è tam multis, quæ meæ ſunt poteſtatis. Quænam hęc? ſubiunxit Baſilius. Facito enim vt ea cognoſcamus. Bonorum, inquit ille, proſcriptionem, exilium, cruciatus, mortem. Tum Baſilius: Si quid aliud habes, id nobis minitare. Horum enim, quæ adhuc commemoraſti, nihil nos attingit. Quoniam, inquit ille, modo hæc intelligis? Quoniam, inquit Baſilius, primùm bonorum proſcriptioni obnoxius non ſum, quippè qui nihil habeam: niſi fortè laceris ac detritis hiſce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnis mihi vita ſita eſt. Nec verò exilium vllum cognoſco, qui nullo loco circunſcriptus ſum, ac neq; terram hanc, quam nũc colo, meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fuero, pro mea duco: imò vt rectiꝰ loquar, vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ego ſum, & peregrinus. Iam quid accipere queant tormẽta, cùm corpore caream? niſi fortè primam plagam dixeris: huius enim ſolius inferendæ poteſtatem habes. Mors porrò beneficij mihi loco erit: citius me ad Deum tranſmitteret, cui viuo, & munere meo fungor, maximáque ex patre obij, & ad quem iam pridem propero. Quo ſermone attonitus Præfectus, Nemo, inquit, me (noménq; ſuum adiunxit) ad hunc vſq; diem ita eſt allocutus, nec pari verborum libertate. Neq; enim, ait Baſilius, fortaſſe in Epiſcopum incidiſti. Alioqui hoc prorſus modo diſſeruiſſet, pro huiuſmodi rebus in certamẽ veniẽs. Nam cæteris quidẽ in rebus, ô præfecte clemẽtes & placidi ſumus, atque omnium abiectiſſimi, quemadmodum hoc nobis lege pręſcriptum eſt: ac non dicam aduerſus tantam potentiam, ſed ne aduerſus plebeium quẽquam & infimi or-

dinis hominem ſupercilium attollimus. Verùm vbi Deus nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur. Ignis autem & gladius, & beſtiæ, & vngulæ carnes lacerantes, voluptati nobis potius ſunt, quã terrori. Proinde contumelijs nos affice, comminare, fac quicquid collibuerit, poteſtate tua fruere: audiat hæc etiam imperator: nequaquam profectò nos vinces, eóq; adduces, vt impiæ doctrinæ aſſentiamur: ne ſi his quidem atrociora miniteris. Hactenus Gregorij Nazianzeni verba. In his igitur ſimilibúſque locis aptè pronunciandis exerceri poterunt, quicunque hanc facultatẽ perfectè conſequi deſiderant.

Qualis perfecti concionatoris vita eſſe, & quo potiſſimum tempore, quóue temperamento, & quo affectu concionandi munus exercere debeat.

Cap. IX.

ABSOLVIMVS, amice lector, quæ nobis de concionandi ratione atque officio in his libris dicenda eſſ videbantur. Reliquum eſt, vt epilogi vice documenta quædam partim ex ijs, quæ dicta ſunt, partim aliundè breuiter colligamus: quæ concionator noſter tanquam præcipua huius officij capita habere ſemper ante oculos debeat. Quæ qui diligenter obſeruauerit, non dubium, quin egregius huius diuini operis artifex euaſurus ſit. Sed antequam hoc attingamus, ad memoriam reuocãda ſunt, quæ de concionatore ipſo in primo huius

operis libro diximus. Qua de re quatuor mihi breuiter prælibanda eſſe vidētur: nempè, Quis, Quando, & Quo temperamento, & Quo fine concionator munus ſuum exercere debeat.

Quod verò ad primum attinet, ſancti illi Patres, qui deſerta Aegypti loca incolebant, eum præcipuè huic officio maturum eſſe credebant, qui ſibi iam conſuluiſſet, quique diuturna bene viuendi conſuetudine omnes animi ſui affectus motuſque compoſuiſſet: vt virtute iam in naturam quodammodo tranſeunte minima cura mores & actiones ſuas regere, & in officio continere poſſet. Qui enim deſideriorum atque affectuum ſuorum impotentia laborat, cui neceſſe adhuc eſt cum effrænatis carnis motibus continenter bellum gerere, nōdum idoneus eſt, qui ſe totum alienis cupiditatibus frænendis impendat: quandoquidē ſe toto ad ſuarum moderationem indiget. Alios nanq; erudire, & ad virtutis amorem trahere, perfectorum eſt, & eorum, qui firmas iam radices in virtute iecerunt. Quod quidem natura nos & in arboribus & in animantibus docet: neque enim arbores recenter plantatæ fructus cōtinuò ferunt, neque animantia vbi primùm in lucem edita ſunt, fœtificant: niſi cùm ad iuſtam corporis magnitudinem peruenerunt. Cumqne maximè naturale viuentibus ſit, ſimile ſibi generare, hoc tamen niſi in adulta perfectáque ætate non præſtant. Quocirca probata iam & corroborata virtus ſit oportet, quæ virtutem in alijs ingenerare debet. Rectè enim D. Bernar. cum concionatore agens: Dabis, inquit, voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, prius tibi illud perſuaſiſſe cognoueris. Efficacior enim operis, quàm oris vox eſt.

Adde etiam, quòd cùm præcipuũ concionatoris officium in virtutum atque vitiorũ natura explicanda verſetur, quis hoc aut intelligere, aut eloqui commodius poterit, quàm qui perpetuò vitijs bellum indixit, ſeque totum ad virtutum & diuinæ legis ſtudium compoſuit. Quanuis enim exquiſita doctrina atq; eruditio ad cõcionandi officium neceſſaria ſit (ſine qua temeraria & cæca eſſet omnis oratio) tamen cùm ad eam vitæ puritas & ſanctitas accedit, dictu mirum eſt, quantum eius acceſſione doctrina iuuetur. Quam quidem rem ſanctorum Patrum ſcripta facilè declarant: in quibus videre licet, quantam eorum doctrinæ vim & lucem vitæ ſanctitas & innocentia adiunxerit. Hinc regius Propheta, Super omnes, inquit, docentes me, intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Duo ſunt: quæ plurimum ad ſapientiam conferunt, ſtudium, & experientia: illud ad doctores, hæc ad ſeniores pertinet. In antiquis enim eſt ſapientia, & in multo tempore prudẽtia. Attamen diuinæ legis amor atq; ſtudiũ vſq; adeò piorum mentes illuſtrat, vt & doctoribus & ætate prouectis anteferatur. Vnde eſt illud Eccleſiaſtici: Anima viri ſancti annunciat aliquando vera, pluſquam ſeptem ſpeculatores ſedẽtes in excelſo ad ſpeculandum. Nam (vt omittam diuinæ gratiæ lumen, & egregia illa Spiritus S. dona, quę ad intellectus humani aciem illuſtrandam atq; perficiendam conferuntur) quantum quæſo ad virtutum & vitiorum cognitionem parandã adiuuat, in virtutis, & pietatis curriculo diu ſudaſſe atque laboraſſe? Vt enim qui nauigãt mare, narrãt pericula eius: ita qui per iter virtutum gradiuntur,

& latam vitiorum viam fugere ſtudent, hi planè itineris huius ingreſſum & exitum, prælia & victorias, labores, & dolores, variáſq; pugnãdi artes & vitæ pericula non ſolùm legendo, ſed multò magis pugnando didicerũt. Quis enim melius de ratione venandi, quã venator, quis de piſcandi arte quã piſcator dicet? Quis verò anfractus & cõpendia viarum exploratiùs, quàm aſſiduus viator, intelliget? Qui non eſt, inquis, tentatus, quid ſcit? qui ſpiritualia nunquã arma tractauit, qui nunquã cum inimico aperto Marte conflixit, qui ſe illi victũ atq; captiuum tradidit, qui nunquam cũ affectibus ſuis colluctatus eſt, qui nullũ propter honeſtatem atq; virtutem laborẽ ſuſcepit, qua ratione de hac ſpirituali pugna diſputare perfectè poterit? Hac enĩ de cauſa Annibal Phormionem Philoſophum de re militari diſputantẽ irriſit, quòd ſenex, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra vidiſſet, coram ſe, qui tot annos cũ pop. Ro. orbis victore bella geſſiſſet, de re militari diſputare auſus eſſet. Quo exemplo non obſcurè intelligimus, quantò aliter de ſpirituali militia loquãtur, qui in ea ſtrenuè verſati ſunt, quàm qui nunquam illã attigerunt. Iã verò de diuini Spiritus delicijs, de internis fidelis animæ cũ cęleſti Sponſo colloquijs, de charitatis ardore atq; impetu, de ſobria illa humanæ mentis ebrietate, qua ſanctorum animæ rapiuntur in Deum, quis melius dicere poterit, quàm qui hæc ipſa diu multúmq; expertus eſt? Qua ex reliquidò apparet, veriſſimè à Propheta dictum eſſe, A mandatis tuis intellexi. Hæc autẽ non eo conſilio diximus, vt doctrinæ vel neceſſitatẽ, vel dignitatem minuamus (ſine cuius luce mortales in denſiſſimis errorũ tenebris verſarẽtur, & ſine

qua nemo docendi munus vſurpare in Eccleſia debet) ſed vt oſtenderemus (quemadmodum paulò ante diximus) quantum lucis & caloris integritas & ſanctimonia vitæ ſacræ theologiæ ſtudijs atque doctrinæ adiungat.

Ex his autem intelligi facilè poterit, quod ſecundo loco poſuimus, hoc eſt, quo tẽpore cõcionator munus hoc aggredi debeã. Sic.n. hoc officium ad eos ſolũ pertinet, qui firmas in virtute radices iecerunt, conſequens eſt, vt nemo niſi ad hanc virtutis firmitatẽ peruenerit, munus hoc obire debeat. Ideoq; meritò Propheta iuſtũ virũ ligno cõparat, iuxta decurſus aquarum plãtato: quod fructũ, inquit, ſuũ dabit in tẽpore ſuo. Neq; enim omnia omnibus tẽporibus cõueniunt. Rectè enim Salomon ait, Tempus amplexandi, & tẽpus longè fieri ab amplexibus. Illud autẽ ſpectat ad priuatam iuſtorum vitam; in qua ij ſpiritualibus delicijs atq; amplexibus cæleſtis ſponſi fruuntur: hoc autem ad publicam, quæ tota in aliorum ſalute procurãda intenta eſt. Eleganter admodũ Origenes annotauit, quod magnus ille ſapientiæ amator eandem ſapientiam modò ſponſam, modò verò ſororem appellet. Quanuis diſſimilis vtriuſq; nominis ratio ſit, vtraq; tamẽ in ſapientiam cadit, quæ alio tempore ſponſa, alio ſoror eſſe debet. Et quidẽ quo tempore ſpõſa eſt, ſolius ſpõſi ſui amplexibus deſtinatur, nec alteri communicari poteſt: vbi vero ſoror eſt effecta, poteſt vtiq; alijs matrimonio copulari. Prius igitur tibi eam ſponſam aſſume cuius tu ſolus delicijs fruaris. Non enim habet amaritudinem conuictus illius, neque tædiũ conuerſatio illius, ſed lætitiam & gaudium. Deinde verò illam ſeu caſtiſſimam ſororem in publicum profer, &

aliјs fruẽdam trade. Huius autem ordinis inuerſio facit, vt concionator & ſibi ipſi noceat,& alijs prodeſſe nequeat. Non eſt enim iacentis aliũ erigere, neque alijs quiſquam dare poteſt, quod ipſe non habeat. Immaturus ſiue arborum ſiue animantium partus ad frugem minimè peruenit. Ita fit, vt concionatoris immaturus labor alijs quidem inutilis,ſibi autem damno atque detrimento ſit. quod quidem damnum D. Bernar. exponit his verbis: Quod tuum eſt, ſpargis& perdis, ſi prius quàm infundaris tu totus, ſemiplenus feſtines effundere: contra legem arãs in primogenito bouis,& ouis primogenitum tondens. Nimirum vita atque ſalute, quam alteri das, te fraudas, cùm ſana vacuus intẽtione, gloriæ inanis vento inflaris. Hactenus Bern.

Ber. ſuper Cant.

I.

Sequitur deinde, quod tertio loco poſuimus, hoc eſt, quo temperamento munere ſuo ſit concionator vſurus. Quam rem breui oratione Eccleſiaſticus docet, cùm ait. Recupera proximum ſecundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas. Hoc enim charitatis ordo exigit: de quo Sponſa in Cant. gloriatur. Hic autẽ ordo petit, vt hac ratione concionator alijs proſit, ne ſibi deſit: Sic aliorum ſaluti ſtudeat,ne ſuam deſerat: ſic in alios liberalis, ne ſibi parcus: ſic pius, ne ſibi immitis: ſic denique ſalutaris, ne ſibi inutilis & ſui negligens exiſtat. Hoc autem nos docent quinq; illæ virgines ſapientes, quæ fatuis virginibus oleum poſtulantibus prudenter reſponderunt: Ne fortè nõ ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes,& emite vobis. Hoc idem nos Apoſt. docet, cùm ad Timoth. ait: Attende tibi& doctrinæ. Hoc enim modo& te ipſum ſaluum fa-

cies, & eos qui te audiunt. Priori ergo loco ſibi cócionator proſpicere monetur: ſecúdo verò, vt tradendæ populo doctrinę vacet. Vires igitur ſuus perſpectas atque exploratas habere debet, vt quod ſibi neceſſarium fuerit, prius ſumat: deinde quod reliquũ fuerit tẽporis & officij, alijs impẽdat. Hoc eſt enim, quod Eccleſiaſtic⁹ inſinuauit, cùm dixit, Recupera proximũ ſecũdùm virtutẽ tuam: hoc eſt, ne maiora viribus tuis aggrediare, ſed par ſit virtuti atque facultati onus. Qua de re ſic Seneca: Quoties aliquid conaberis, te ſimul, & ea quæ paras, quibúſque pararis, ipſe metire. Idémq; rurſus: Vt quietus poſſit eſſe animus, non eſt iactandus, nec multarum rerum actu fatigandus, nec magnarum ſupraq; vires appetitarum. Facilè eſt leuia aptare ceruicibus, & in hanc aut in illam partem transferre ſine lapſu. Illos igitur imitari concionator debet, qui ex aluearijs fauos decerpunt: qui nequaquam ita illa exhauriunt, vt non apibus alimenta mellis in hyemem repoſita relinquant. Sic etiam paſtores, qui diſtenta lacte ouium vbera emulgent, agnorum, quos lacte nutriunt, rationem habent, ne fœtus alimenti inopia deficiat. Ad hunc igitur modum Eccleſiaſtes alios cæleſtis doctrinæ pabulo alere debet, vt ſe quoque ipſum ſpiritualibus exercitiis, & interna cum Deo vacatione paſcat. Famem quippe ipſe & inediam ſuſtinebit, ſi ſe neglecto atque eſuriente, de aliorum tantùm pabulo ſolicitus ſit. Qua in re non animantium modo, ſed arborum etiam & terrarum quoque ingenium atque naturam imitabitur. Arbores enim, quæ vno anno vberrimos prouentus ferunt, ſequenti anno à ſolito ferendi fructus labore feriantur: fertiles etiam agri, qui copioſam vno anno

meſſem tulerunt, ſequenti, quo ſe reficiant, à ſolito cultu vacare permittuntur. Si ergo terra, cuius proprium eſt, fructus germinare, hac alterna quiete indiget, quantò magis ſpiritus noſter, qui aliunde, quàm à natura vires haurit, eadem laboris & quietis viciſſitudine indigebit: ne videlicet exhauſtus deficiat, ſi ſe totum alij, cura ſui prorſus abiecta, permiſerit?

Cæterùm quoniam tantum in me autoritatis non eſt, vt mihi fides adhiberi debeat, ſanctiſſimi viri Bernardi, qui non tam humano ſtudio, quàm diuino hauſtu atque magiſterio diuina tractauit, hac de re ſententiam proferam. Is igitur ad Eugenium Pontificem Max. ſic ſcribit: Audi ergo quid redarguam, quid ſuadeam. Si quod viuis & ſapis, totum das actioni, conſiderationi nihil, laudo te, in hoc non laudo. Puto quòd & nemo, qui à Salomone audierit: Qui minoratur actu, percipiet ſapientiam. Certè nec ipſi actioni expedit conſiderationem non præueniri. Si item ſi totus vis eſſe omnium, inſtar illius, qui omnibus omnia factus eſt, laudo humanitatem, ſed ſi plena ſit. Quomodo autem plena, te excluſo? Et tu homo es. Ergo vt integra ſit & plena humanitas, colligat te intra ſe ſinus, qui omnes recipit. Alioqui quid tibi prodeſt, iuxta verbũ Domini, ſi vniuerſos lucreris, te vnum perdens? Quamobrem cùm omnes habeant, eſto etiam tu ex habentibus vnus. Quid? ſolus fraudaris munere tuo? Vſquequò vagans ſpiritus, & non rediẽs? Vſquequò non recipis te, & ipſe inter alios vice tua? Sapientibus & inſipientibus debitor es, & ſoli negas te tibi? Stultus & ſapiens, ſeruus & liber, diues & pauper, vir & fœmina, ſenex & iuuenis, clericus & laicus, iuſtus & impius, omnes pariter

participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, & tu ſeorſum ſitiens ſtabis? Si maledictus, qui partem ſuam facit deteriorem, quid ille, qui ſe penitus reddit expertem? Sane deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines, & iumenta, & pecora bibant ex ijs: quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas: ſed inter cæteros bibe tu de fonte putei tui. Alienus, inquit, non bibat ex eo. Nunquid tu alienus? Cui non alienus, ſi tibi es? Hæc omnia ad verbũ ex D. Bernar. cuius ego ſentẽtiæ nihil habeo, quod adijcere poſſim: cùm ſatis ſuperque id, quod volumus, à ſanctiſſimo viro explicatum ſit.

Quarto verò loco his, quæ hactenus diximus, illud adijciendum puto: vt qui hoc diuinum munus aggredi conſtituit, diligenter attendat, quo ſpiritu atque animi deſtinatione ad hoc ven[illegible]. Hoc eſt, videat, an per oſtium in ouile ouium ingrediatur, an aliundè aſcendat. Oſtium verò vel flagrans veræ charitatis ſtudium, vel maiorum obedientia eſt. Nemo quippe ad hunc honoris gradũ aſcendere debet, niſi vocatus à Deo tanquam Aaron. Rectè enim Apoſtolus: Quomodo, inquit, prædicabunt, niſi mittantur? Mitti verò eſt, à Deo ad hoc opus deſtinari. Neque verò ſatis eſt, vt opus ipſum ex natura ſua pium atque ſanctum ſit, vt illud protinus adoriri quiſque debeat, niſi pares oneri vires habeat: hoc eſt, niſi his virtutum ornamentis, quæ modò commemorauimus, inſtructus ſit. Tutus autem ad hoc officium aditus obedientia eſt: quæ nihil deliberare, nihil diſcutere tenetur, cùm ad hanc virtutem nõ imperata examinare, ſed diligenter exequi pertineat. Sed ne hic quidem ſecuritatis tantùm eſt, vt in vtranque aurem dormire liceat.

Nam & Saul ex imperio Domini regni curam ſuſcepit: quam ipſe quæſitis etiam latebris fugere voluit: eum tamē videmus inobedientiæ quoque portu grauiſſimum vitio ſuo feciſſe naufragium. Sic etiam non pauci munus hoc ex maiorum imperio obeunt: qui muneris ipſius occaſione elati, aut popularis fauoris auram captant, & ad plauſum populi concionantur, aut ex aliorum laudibus & prædicatione inaniter efferuntur: ita fit, vt qui ſpiritu cœperunt, carne conſumantur. Cæterùm, ſi quàm multis modis in hac parte peccetur, & in quanto ſalutis diſcrimine multi verſentur, quantumque ij bonioperis ſpecie decipiantur, explicare dicendo vellem, nullus eſſet dolorum & querelarum finis. quocirca cõſultius eſſe duxi, rem tantam ſilentio prætere, quàm leuiter ac tenuiter eandem attingere. Hactenus de concionatoris perſona & vitæ integritate diximus: nunc quod paulò antè polliciti ſumus, aggrediamur.

Quæ ſint, quæ ad concionatoris officium rectè exequendum præcipuè iuuant.

Cap. X.

Q Voniam multa in his libris ad concionatoris munus vtiliter exequendũ neceſſaria explicuimus, quę vix quiſquam ante oculos habere omnia poſſit, erit ſanè operę pretiũ, pauca quædã ſeligere, quæ in hoc opere præcipua ſunt, quæq; ambitu ſuo ea ferè omnia, quæ diximus, complectũtur. Horũ autẽ primũ, & maximum, & aliorũ pene omnium cauſa, cœlestis ſpiritus eſt: quo ſanè plen⁹ erat ille, qui dicebat: Ego autem repletus ſum fortitudine ſpiritus

Mich. 3.

tus Domini,iudicio & virtute, vt annunciem Iacob ſcelus ſuum,& Iſrael peccatum ſuum. Hic autem Spiritus vitæ integritatem atq; ſanctitatẽ donat,hic concionatoris pectus ardore charitatis inflammat, hic flagrãtiſſimam fraternæ ſalutis] ſitim accendit, mœſtiſſimum pereuntium animarum dolorem excitat, hic aſſiduas pro illis preces ad Dominum fundere compellit: quæ omnia Euãgelico concionatori neceſſaria eſſe diximus. Qua de re ſic. D. Bernard. Illius doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum,ſed mihi planctum moueat. Verè turturem te exhibes,ſi gemere doceas,& ſi perſuadere vis,gemẽdo id magis, quàm declamando ſtudeas oportebit. Verùm quoniam hac de re multa in primo huius operis libro dicta ſunt, in præſentia hoc ſolùm aſſeueranter affirmare audeo, plus hunc cœleſtem Spiritum ad bene dicendum, quàm omnia Rhetorum præcepta in vnum congeſta iuuare. Cùm autẽ hoc Dei donum, & clariſſimũ quidem donum ſit, continuis precibus ab eo flagitandum eſt, qui dat Spiritum bonum petentibus ſe. Nemo enim arte & ſimulatione huius diuini Spiritus vim exprimere ſe poſſe confidat. Rectè enim Fabius: Prodit,inquit, ſe quamlibet cuſtodiatur,ſimulatio: nec vnquam tanta fuerit eloquẽdi facultas,vt non titubet ac hæreat, quoties ab animo verba diſſentiunt.

Secundo loco poſt diuini Spiritus gratiam(cui primas partes tribuimus)pronunciandi facultas eſt:quæ incredibile dictu eſt,quantum in dicendo dominetur: de qua cùm tam multa dicta ſint, nihil eſt quod hoc in loco dicere amplius debeamus.

Tertio verò loco verborum copia paranda eſt:

quam niſi multa eorum librorum lectione, qui patria lingua (qua in concionibus vtimur) ſcripti ſunt,nullo modo ſibi quiſquã perfectè comparare potuit. Quæ res quàm ſit concionatori neceſſaria,cauſis redditis explicandum eſt. Conſtat igitur ſummam eloquentiæ in hoc ſitam eſſe,vt dignitati rerum par ſermo tribuatur: hoc eſt,vt vnãquamq; rem tantã dicendo faciamus, quanta eſt: ne ſermo rerum pondere & dignitate ſit inferior. Sicut igitur vmbra corpus:ita ſermo naturam rerum ſequi, & cum ea cohærere debet. Ad hoc autem præſtandum duo ſunt neceſſaria:alterum vt eas res, de quibus dicturi ſumus,totamq; earũ vim atque naturã pro dignitate concipiamus: alterum verò, vt hoc ipſum, quod mente concepimus,verborum atq;orationis miniſterio pleniſſimè declaremus, ipsámque mẽtem noſtram in auditorum animos quodam modo tranſmittamus. Hoc autem quàm ſit difficile præſtare, expoſito inter modum loquendi Angelorum & hominum diſcrimine intelligi poterit. Angeli enim, præſertim qui ſuperioris ordinis ſunt,quemadmodum per pauciores ſpecies plura intelligunt, ita breuiſſima temporis mora conceptus ſuos aliis patefaciunt. Cæterùm quod ad homines attinet, adeò anguſta intellectus humani vena eſt, vt & lõgiori mora ad plura intelligenda,multiſque verbis ad ea explicanda egeat. Itaque Angeli vt vaſa oris latiſſimi quicquid intra ſe habent, momẽto temporis effundunt: hominum verò mens, & lingua mentis interpres,vt vaſa oris anguſti guttatim(vt ita dixerim) & longo temporis ſpatio vnius rei naturam multis verbis exprimunt. Ad hoc igitur efficiendum, vbi res ipſas perfectè conceperi-

mus,multa verborum ſuppellex in promptu habenda eſt, vt neceſſe non ſit,dicentē ad ſingulos animi conceptus hærere, & velut oſtiatim mendicare,quonam modo illos afferre debeat. Nec multitudo ſolùm verborum tumultuaria atque promiſcua, ſed ſelectiſſima eorum copia paranda eſt,quæ ſignificantiſſimè&appoſitiſſimè mētem noſtram exprimant. Alia enim verba apertius,alia ornatius, alia ſignificantius rerum naturam explicant. Sed illud adhuc difficilius, vt verba rebus accōmodentur. Alia enim verba rebus lætis,alia triſtibus,alia grandibus, alia atrocibus ſeruiunt. Atrocibus nanque verba ipſa atrociora & auditu aſpera conueniunt.

Ad hanc ergo idoneorum verborum copiam velut in procinctu habendam,'opus eſt(vt diximus)multa eorum librorum lectione, qui ornatiſſimè patrio ſermone ſcripſerunt. Nec ſatis eſt multa tumultuariè& properanter legere,niſi diligenter & eius linguæ phraſes, & idiomata, & verba omnia,quæ vel tropo aliquo à propria ſignificatione deflexa ſunt, vel quæ ſignificātiſſimè & aptiſſimè rem exprimunt, obſeruemus. Præcipuéque inſignes metaphoræ & allegoriæ annotandæ:quæ(quoniam vnico aut paucis verbis ſimilitudinem quandam comprehendunt) incredibile dictu eſt, quantam orationi gratiam addant, quantúmq; ad res ipſas nō modò explicandas & ornādas, ſed multo magis ad amplificandas & augendas valeant: quando res magnas (quarum tamen magnitudinem nō aſſequimur) rerum maximarū tranſlatis nominibus explicamus:vt cū verbi gratia, Dæmonē appellam⁹ leonem,draconem,ſerpentem antiquū, generis humani hoſtem, principē tenebrarū, truculentam

beſtiam, &c. Qua de cauſa libri Pſalmorum & Prophetarum, metaphoris & allegoriis vbique ſcatent. Harum ergo inſignium metaphorarum magnam vim ſibi Eccleſiaſtes comparandam aſſidua lectione curabit. Quibus tamen prudenter ac ſobriè vti debet: vt videlicet neque metaphora ſit nimium frequens, nec dura, aut ſordida, aut obſcura (quales quædã ſunt ex Philoſophiæ penetralibus excerpæ) ac multo minus humilis: quales ſunt, quæ ex rebus vilibus & ſordidis ſumuntur. Nec longius etiam progrediatur, vt multi faciunt, qui accepta ſemel metaphora recedere neſciunt. Quò fit vt cùm multa & varia eodem quaſi habitu veſtire nitantur, multa duriter, impropriè, & parũ verecũdè dicant. Nam oratio magna ex parte proprio ſermone conſtare debet. Iuuabit autem memoriam, hæc eadem in libris ſubiectis virgulis aut ſignis aliquot, annotare: vt cùm eadem relegimus, horum admonitu ſignorũ ibidem pedem figamus, & memoriæ atque imitationi, quod annotauimus, commendemus.

Nec troporum gratiam ſolùm, ſed inſignes quoque figuras tam verborum quàm ſententiarum (de quibus in ſuperiori libro diximus) & quicquid poſtremò artis eſt, annotare legendo debemus. Sic enim fiet, vt artis præcepta variis exẽplis renouata, tenacius memoriæ hæreant, & velut ante oculos habeantur, atque dicendi ſeſe vel non quæſita offerant. Qui verò diligentiores in hac parte ſunt, inſignia loca, quæ legentes obſeruarunt, in albeolo ad hoc parato ſcribunt, vt frequenti lectione ad eorum imitationem, quæ ſelegerunt, promptiores fiant. Quod cùm aliàs, tum præcipuè cùm concionaturi ſunt, facere de-

bent: vt hac diligentia verborum copia illis facilè ſuppetat.

I.

Cuius verò vtilitatis huiuſmodi lectio ſit, vel ex eo patet, quòd cùm tria ſint, quæ eloquētiam pariant, nempè ars, imitatio, & exercitatio: lectio ad imitationem pertinet: quæ nobis ante oculos ponit, quid in dicēdo ſequi & imitari debeamus. Sed operæpretiū erit hæc ipſa quæ diximus, Fabij auctoritate, non ſolùm comprobare, ſed vberius etiam explicare. Is igitur quàm ſit dicenti verborum copia neceſſaria, & quonam modo paranda ſit, oſtendit his verbis.

Hæc eloquendi præcepta, ſicut cognitioni ſunt neceſſaria: ita non ſatis ad vim dicendi valent, niſi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos Exis, ideſt habitus, nominatur, acceſſerit, ad quam ſcribendo, plus, an legendo, an dicendo cōferatur, ſolere quæri ſcio. Quod eſſet diligentius nobis examinandum, ſi qualibet earum rerum poſſemus vna eſſe contenti. Verùm ita ſunt inter ſe connexa & indiſcreta omnia, vt ſi quid ex his defuerit, fruſtra ſit in cæteris laboratum. Nam neque ſolida aut robuſta fuerit vnquam eloquētia, niſi multo ſtylo vires acceperit: & citra lectionis exemplum labor ille carens rectore fluit. Qui autem ſcierit quo ſint quæque modo dicenda, niſi tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes caſus habuerit eloquentiam, velut clauſis theſauris incubabit. Et mox: Non ergo dubium eſt, quin ei velut opes ſint quædam parandæ, quibus vti vbicumque deſideratum erit, poſſit: eæ conſtant copia rerum ac verborū. Sed res propriæ ſunt cuiuſque cauſæ, aut paucis communes: verba in vniuerſa paranda: quæ ſi

rebus ſingulis eſſent ſingula, minorem curam poſtularent: nam cuncta ſeſe cum ipſis protinus rebus offerrent. Sed cum alijs ſint alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius ſonantia, debent eſſe non ſolùm nota omnia, ſed in promptu, atque (vt ita dicam) in conſpectu: cùm ſe iudicio dicentis oſtenderint, facilis ex his optimorum fit electio. Equidē ſcio quoſdam collecta, quæ idem ſignificarent vocabula, ſolitos ediſcere: quò facilius & occurreret vnū ex pluribus, & cùm eſſent vſi aliquo, ſi breue intra ſpatium rurſus deſideraretur, effugiendæ repetitionis gratia ſumerent aliud, quo idem intelligi poſſet: quòd, cùm eſt puerile, & cuiuſdam infelicis operæ, tum etiam vtile parum: turbam enim modò congregat, ex qua ſine diſcrimine occupet proximum quodq;. Nobis autem copia cum iudicio paranda eſt, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem ſpectantibus. Id autem conſequemur, optima legendo atque audiendo. Non ſolùm enim nomina eſſe rerum cognoſcemus hac cura, ſed cui quodq; loco ſit aptiſſimū: omnibus enim ferè verbis, præter pauca, quæ ſint parum verecunda, in oratione locus eſt. Et paulò poſt: Omnia verba, exceptis de quibus dixi, ſunt alicubi optima: nam & humilibus interim & vulgaribus eſt opus, & quæ nitidiore in parte videntur ſordida, vbi res poſcit, propriè dicuntur. Hæc vt ſciamus, atque eorum non ſignificationem modò, ſed formas etiam menſuraſque norimus, vt vbicumque erunt poſita, cōueniant, niſi multa lectione atque auditione aſſequi nullo modo poſſumus, cùm omnē ſermonem auribus primùm accipiamus. Propter quod infantes à mutis nutricibus iuſſu regum in ſoli-

tudine educati, etiam ſi verba quædam emiſiſſe traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. Sunt autem alia huius naturæ, vt idem pluribus vocibus declarēt, ita, vt nihil ſignificationis, quo potius vtaris, interſit, vt enſis & gladius: alia quæ etiamſi propria rerum aliquarum ſint nomina, tropicos tamen ad eūdem intellectum feruntur, vt ferrum & mucro. Nam per abuſionem ſicarios etiam omnes vocamus, qui cædē telo quocunque commiſerint: aliaq; circuitu verborum plurium oſtendimus, quale eſt.

Et preſsi copia lactis.

Plurima verò mutatione figuramus. Scio, non ignoro: &, non me fugit, non me præterit, &, quis neſcit? nemini dubium eſt. Sed etiā ex proximo mutuari licet: nam & intelligo, & ſentio, & video, ſæpè idem valent, quod ſcio, quorum nobis vbertatem ac diuitias dabit lectio, vt his nō ſolùm quomodo occurrerint, ſed etiam quomodo oportet, vtamur. Non ſemper enim hæc inter ſe idē faciunt, nec ſicut de intellectu animi rectè dixerim, video, ita de viſu oculorū, intelligo. Deinde verò cùm legendo & audiendo verborum copia paretur, lectionem auditioni idem Fabius anteponit his verbis. In lectione certius iudicium, quod audienti frequenter aut ſuus cuique fauor, aut ille laudantium clamor extorquet: pudet enim diſſentire, & velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere: cùm & interim vitioſa pluribus placeant & à corrogatis laudentur etiam, quæ non placent: ſed è contrario quoque accidit, vt optimè dictis gratiam praua iudicia non referant. Lectio libera eſt, nec actionis impetu tranſcurrit, ſed repetere ſæpius licet, ſiue dubites, ſiue memoriæ

penitus affigere velis. Repetamus autem & tractemus, & vt cibos manſos ac propè liquefactos dimittimus, quò facilius digerantur: ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita, & velut confecta, memoriæ imitationíque tradatur: ac diu non niſi optimus quiſque, & qui credentem ſibi minimè fallat, legendus eſt: ſed diligenter, & penè ad ſcribendi ſolicitudinem: nec per partes modò ſcrutãda omnia, ſed perlectus liber vtique ex integro reſumendus, præcipuéque oratio, cuius virtutes frequenter ex induſtria quoque occultantur. Hæc omnia ad verbum ex Fabio.

II.

Nunc quas vtilitates ex verborum copia concionator ſit aſſecuturus, paucis abſoluam. Primùm quiſquis copioſam idoneorum verborum ſuppellectilem ſibi comparauerit, animi ſui ſenſus pleniſſimè atque ſignificantiſſimè (quod eloquentiæ maximè proprium eſt) explicabit. Cùm enim (vt Philoſophi docent) ea quæ ſunt in voce, ſint earum, quæ in anima ſunt paſſionum notæ, qui his vocibus abundauerit, eaſque velut ad manũ aſſidua lectione habuerit, facilius, & breuius, & ſignificantius animi ſui ſenſum exprimet: Deinde etiam minori ſtudio atque labore concionem adornabit. Facilè enim, qui verborum diues eſt, mentem ſuam vel dicẽdo vel ſcribendo poterit explicare: qui ſecundus atq; præcipuus poſt rerum inuentionẽ labor eſt. Poſtremò hic idem verborum apparatus hoc etiã præſtat, vt à metu & trepidatione, qua concionatorum multi laborãt, magna ex parte liberi ſimus. Hic autem metus duo grauiſſima incommoda parit, quæ totam penè vim dicendi exhauriunt,

Primùm enim mentem dicenti eripit, quæ timoris magnitudine oppreſſa, non ſatis prouidet, neque quid dicere, neque quomodo dicere debeat. Hoc autem quid aliud eſt, quàm ſopito gubernatori clauum in tempeſtate committere? Mens enim orationis clauum moderari, & quæ dicenda ſunt, excogitare debet: ne lingua mentem, ſed mens linguam præcurrat: quæ tamen metu vrgente obruta, magna ex parte acumine ſuo, & luce deſtruitur: atque ita ægrè admodum quæ dicenda ſunt, prouidet. Idem etiam metus (vt initio diximus) pronunciationi obſtat: quæ maximam in dicente libertatem, atque (vt ita dixerim) dominium requirit: vt homo ſui compos, eodem temporis ſpatio, & quid dicat, & qua vocis figura & varietate dicat, prudenter attendat. Hanc autem in dicendo libertatem plenius aſſequitur, cui verborum copia ſuppetit. Hæc enim præſtat, vt in quauis periodo, vel temerè etiam cœpta, exitum tandem ſine vllo erroris aut hæſitationis dedecore, verborum copia ſuffragante, inuenire valeas. Quæ res magna ex parte dicenti timorem adimit, cùm ſciat facilè ſibi paratum ad omnia offendicula remedium. Quocirca non negligenter curanda res eſt, quæ tot nobis ad dicendum adiumenta præbet.

Nemo tamen arbitretur hanc verborum copiam ideò parari, vt multis nominibus idem ſignificantibus rem eandem (quod quidam nimis ineptè faciunt) exprimamus. Hoc enim niſi in loco fiat, inaniſſimum & vana oſtentatione plenum eſt: ideoque nihil magis veræ eloquentiæ contrarium. Neque etiam hoc quærimus, vt à communi ſermone recedentes, ſelectiſſimis verbis ſemper vtamur. Hoc enim & curioſitatis, &

vanitatis, & affectatæ eloquentiæ ſignificationem dat: & ita fidem dicenti abrogat. In quid ergo hanc verborum copiam paramus? Sanè vt & breuiter, & facilè, & (quod caput eſt) ſignificantiſſimè animi noſtri ſenſum (vt paulò antè diximus) exprimamus: idque ſine vlla ſermonis aut improprietate, aut ruſticitate. Ille autem verborum & orationis ornatus maximè probandus eſt, qui res ipſas ſequitur: vt ſermonis elegantia non aliundè aſcita, ſed cum rebus ipſis nata videatur. Imò verbum omne inuſitatum, quodque aliquam artis ſuſpicionem præ ſe ferat, non aliter, quàm ſcopulum in nauigando fugiendum eſſe moneo. Indigniſſimum quippe cordatis auditoribus videtur, vbi tam magna rerum momenta verſantur, de verbis magis, quàm de rebus eſſe ſolicitum. Qua de re multa iam in ſuperioris libri initio ex Fabij ſententia diximus. Hæc tam longa oratione proſequutus ſum, quod multis experimentis edoctus, quantum facultas hæc vtilitatis ad bene dicendum afferat, intellexi. Non ignoro tamen aliquos citra hanc operam, imò verò citra vllum artis ſtudium ornatiſſimè dicere: atque ij præſertim, qui frequenti vſu concionandi copioſam verborum ſegetem ſibi compararunt: ſed hi tamen (vt Fabius ait) excellentis naturæ atque ingenij ſui imitatores habent paucos, negligentiæ verò quàm plurimos. In hoc igitur arti operam damus, vt qui tam egregiam dicendi facultatem à natura non accepimus, artis beneficio conſequamur: & quod illis præclara indoles ingenij dedit, nobis ars & induſtria conferat. Nā & illi ipſi, qui à natura ad benedicēdum ficti & compoſiti ſunt, multò vberius & ornati⁹ id feciſsēt, ſi naturā arte, atq; diſciplina iuuiſſent.

Sed quoniam eorum librorum lectionem,qui patria lingua ſcripti ſunt, ad parandam verborum copiam conferre diximus, meminerit ſtudioſus concionator, eloquentiam, non in verbis tantùm,ſed multò magis in ſententiis eſſe. Quod indicant non modò figuræ ſententiarum (de quibus in ſuperiori libro diſſeruimus) ſed etiam variæ amplificandi, probandi, narrandi, deſcribendi, & exordiendi rationes, quas in cæteris libris expoſuimus: quæ non tam verbis, quàm ſententiis conſtant. Vt autem his quoque virtutibus oratio noſtra excolatur, alios nobis autores ad imitandum proponere debemus, nempe Cyprianum, Chryſoſtomũ, Baſilium, Gregor. Nazianzenum, atque Niſſenum magni Baſilij fratrem, cæteroſque ſimiles Patres;in quibus elegantiſſima oratoriæ facultatis exempla reperiemus. Vtrique igitur autores ſtudioſè legendi, vt ex illorum lectione verborum copiam comparare,horum verò cæteras eloquentiæ virtutes referre atque imitari poſſumus. Sic enim fiet, vt his exemplis adiuti, aptè atque ornatè dicere valeamus. Rectè enim Fab. Omnis,inquit, vitæ ratio ſic conſtat, vt quæ probauimus in aliis, facere ipſi velimus. Sic literarum ductus, vt ſcribendi fiat vſus,pueri ſequuntur: ſic muſici vocem docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptum formari videmus. Et herclè neceſſe eſt, vt ſimiles aut diſſimiles bonis ſimus. Similem rarò natura præſtat, frequenter imitatio. Hactenus Fabius.

III.

Vltimo loco illud admonẽdum eſt, artis præ-

cepta,atq; horum authorum lectionem ſine ſtylo & exercitatione ſcribendi (quod ad eloquendi rationem attinet) exigui admodum fructus eſſe. Hæc enim duo priora ad hoc poſtremum ceu ad finem deſtinata ſunt,quo ſublato, neceſſe eſt illa fruſtra eſſe. Quin & illa ipſa plurimum ſcribendi vſu & exercitatione iuuantur. Qua in re illud euenire videmus, quod Philoſophi aiunt, nempe cauſas ſibi inuicem eſſe cauſas,hoc eſt,mutuis ſe auxiliis iuuare. Conſtat enim, artis præcepta, & bonorum authorum lectionem magnoperè ad vſum ſcribendi atque dicendi conferre. Nam & ars dux eſt, quæ dicendi rationem, ordinémque deſcribit: & lectio præterquam quod artis præcepta confirmat, idoneorum verborum copiam ſuppeditat, & veluti exemplar nobis ante oculos ponit, quod ſcribentes intueri & referre poſſimus. Contrà verò ſtylus ipſe præterquam quòd exercitatione ipſa facultatem dicendi parat,quid ſcribenti potiſſimum deſit, hoc eſt, quibus præcipuè verborum aut ſententiarum ornamentis deſtitutus ſit, re ipſa experitur. Quò fit, vt multò attentius atque diligentius ſe in bonorum authorum lectione & artis obſeruatione gerat, vt inopiæ ſuæ lectionis opibus conſulere valeat. Qua ex re liquidò apparet, verum eſſe, quod dici ſolet,optimum dicendi magiſtrum eſſe ſtylum:ideóque illum Fab. commendat his verbis. Vt laboris, ſic vtilitatis etiam longè plurimũ affert ſtylus. Nec immeritò M. Tullius hunc optimum effectorem ac magiſtrum dicendi vocat. Scribendum ergo quàm diligentiſſimè, & quàm plurimum. Nam vt terra altius effoſſa generandis alendiſque ſeminibus fœcundior fit, ſic profectus non à ſummo petitus, ſtudiorum fructus

& fundit vberius, & fidelius continet. Nam ſine hac quidem conſcientia, illa ipſa ex tempore dicendi facultas inanem modò loquacitatem dabit, & verba in labris naſcentia. Illic radices, illic fundamenta ſunt. Illic opes velut ſanctiore quodam ærario conditæ, vnde ad ſubditos quoque caſus cùm res exigit, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quæ ſufficiant labori certaminum, & vſu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipſa natura voluit magnum effici citò, propoſuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem: quæ naſcendi quoque hanc feceris legem, vt maiora animalia diutius viſceribus parentum continerentur. Hactenus Fabius.

Quamuis autem multa ſunt argumentorum genera, in quibus eloquentiæ candidatus ſtylum exercere valeat, nulla tamen in re vtilius exerceri poterit, quàm in aliquot ſanctorum Patrum elegantiſſimis ſcriptis patriæ linguæ vertendi: quales ſunt plurimæ D. Baſilij homiliæ, atque illæ in primis, quas in laudem Gorgonij & quadraginta militum martyrum ſcripſit. Sic multa ex D. Chryſoſt. verti poſſunt: vt libri duo de ratione orandi, tres de diuina prouidentia ad Stagiritem monachum arreptitium, & ſex item de ſacerdotio: in quibus libris omnes eloquentiæ virtutes, ac præcipuè miras amplificandi rationes inueniet. In his igitur aut ſimilibus ſcriptis vertendis Eccleſiaſtes non modò ſtylum exercebit atque formidabit, ſed multa etiã & præclara orationis ornamenta deprehendet: ad quorum exemplar ipſe ſua, cùm aliis ſcripſerit, effingere curabit. Horum autem eloquentiſſimorum Patrum, aliorúmque ſimilium exemplo, vt hoc obiter admoneamus, intelligere licebit, nequaquam

Rhetoricæ artis præcepta diuino Spiritui obſiſtere: cùm vtrunq; in his viris ſanctiſſimis videmus: qui & Dei Spiritu pleni, & artis atque eloquentiæ ſtudiis inſtituti, artificioſiſſimè & elegantiſſimè ſcripſerunt. Legat qui volet D. Cyp. ſermonem de lapſis, & dubitare meritò poterit, quid in eo magis mirari debeat, an ſummam eloquentiæ vim, an flagrantiſſimum charitatis & pij doloris affectum: quo miſerandum lapſorum caſum & ruinam & mœſtiſſima oratione lamentatur. Ars enim diuturna conſuetudine in naturam quodammodo verſa, & intellectus iampridem artis præceptis imbutus, non tam ex arte, quàm ex ſeipſo, quæ dicenda ſunt, arte inconſulta prouidet: ideôque non modò diuino Spiritui mentem hominis agenti atq; inflammanti non obſiſtit, ſed illi etiam miniſterium vocis accommodat, vt flammas ſuas verborum copia ſuffragante foras emittat. Quod ideò dixi, ne me quiſquam tot præceptis tradendis diuino Spiritui aditum præcludere, aut impedimentum apponere arbitretur: præſertim cùm primum iam & ſummum locum huic Spiritui tribuerim.

IV.

Quartum inter hæc locum inuentioni damus: quæ licet prima natura ſit, quia tamē in eloquendo materiæ vicem obtinet (quæ elocutionis atq; pronunciationis virtutibus ceu formis quibuſdam, vt antè diximus, excolenda, & velut informanda eſt) poſteriorem illi locum dedimus. Nec hoc mirum videri debet, cùm paſſim cernere liceat, præclara quorundam concionatorum inuenta, ſi eloquutionis & actionis gratia deſtituātur, auditoribus parum grata, ideóque minus vtilia eſſe: vulgaria verò & quotidiana penè

conſuetudine detrita, ſi his virtutibus illuſtrentur, ab eiſdem maximè probari. Inuentionis autem prima virtus eſt electio: quàm (vt Fabius ait) multi ab inuentione tãquam nouam orationis partem ſecreuerunt: tantum in illa momenti eſſe putabant. Ad eam verò pertinet, vt non vulgaribus inuentis contenti ſimus, ſed optima, & ad id, quod efficere volumus, accommodata eligamus. Sunt enim humilia quorumdam ingenia, qui res inſigniores prætereuntes, aut earũ vim minimè aſſequentes, vulgatiſſima quæque, & rudibus etiam peruia conſectantur. Qua in re vis ingenij & acumen maximè deſideratur: quod faciat, vt inſtar periti aurificis prudenter metallorum valorem & dignitatem expendamus, & purum ab adulterino auro diſcernamus. Sunt autem multi, qui ingeniorum ſuorum inuenta, quamlibet rudia ſint (philautia communi generis humani morbo decepti) pluſquam par eſt, diligant: parentum more, qui liberos ſuos quamuis deformes, & amore ſuo digniſſimos & pulcherrimos iudicant. A quo morbo qui immunis fuerit, multò rectius de inuentis poterit iudicare. Quamuis non deſint alij, qui adeò longè ab hoc affectu abſit, vt nihil illis ſuum placeat. Vtrũque autem vitium, & omnia ſua amare, & nihil. Et neſcio (inquit Fabius) vtros peccare validius putem: an eos, quibus omnia ſua placent, an quibus nihil ſuum placet. Præclara autem inuenta & ſelectæ ſententiæ hoc etiam præſtant, quòd dicentis animum ſplendore & dignitate ſua afficiũt: qui ſic affectus, facilè & cõmodiſſima verba, & dicendi figuras rei accommodas eligit, quibus quod ipſe animo concepit, enũciet. Quid, quòd hic ipſe affectus non modò

facultatem ad eloquendum, ſed vim etiam atq; animum ad agendum confert, vt quem ipſe affe-ctum animo conceperit, in animos auditorum ipſa actionis vi atque calore transfundat? Quomodo ergo philoſophi dicũt, formas rerum corporearum ex materiæ ſinu & potentia educi: ita planè ex præclara aliqua & inſigni ſententia duplex in dicendo forma, elocutionis videlicet & actionis educitur.

Altera verò inuentionis virtus eſt, ea potiſſimum dicenda eligere, quæ & argumenti natura, & auditorum conditio, & neceſſitas poſtulat. Et his autem duobus aptè dicendi ratio præcipuè ſumitur; quamuis diligentius auditorum, quàm argumentorum cura habenda ſit: ad quorum inſtitutionem tanquam ad ſcopum tota oratió dirigenda eſt. Quod multi non attendentes, & quid argumenti natura exigat, ſolùm perſpiciẽtes, longius in ea re, quàm pro auditorum commoditate progreſſi, eoſdem pene vacuos inaneſque relinquunt. Sic nonnulli Phariſæorum aduerſus Dominum calumnias & odiũ perſequentes, cùm multa ſeſe illis loca ex Euãgelica hiſtoria in eandem ſententiam offerant, ea omnia cõgerere & accumulare ſtudent, in eaq; re vel totam, vel maximam concionis partem, auditorum inſtitutione neglecta inſumunt. Tales autẽ velut in ipſo itinere poſiti, & rerum, quæ in via ſeſe offerunt ſpecie capti, quò tenderent, obliti ſunt. Omnia enim quæ dicimus, ad bonos mores inſtituendos & malos reuellendos conferenda eſſe conſtat. Id ergo ſolùm dicendum eſt, & tantum in eo immorandum, quantum ad hunc finem cõducat. Itaque, vt fabri lignarij & cæmẽtarij ad amuſſim omnia expendũt, quæ moliuntur,

tur, neque quidquam probant, quod vel parum ab eo deflectitur: ſic Eccleſiaſtes hãc ſemper ante oculos ſiue amiſſim ſiue ſcopum proponat: neque quidquam quamlibet nouum, aut ſubtile, aut auribus populi gratum ad ſe pertinere putet, quod ad hoc inſtitutum nõ pertineat. Aliàs proditionis ſe reum exiſtimet, ſi cauſam Chriſti & animarum agens, rem ſuam magis quàm Chriſti curet, ſuiq; magis quàm ſalutis animarum rationem habeat.

Ad hanc autem obſeruationem ſpectat, vt pro auditorum varietate ſermo dicentis accommodetur. qua de re ſic Diuus Gregorius. Vt (inquit) longè ante nos reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna & eadem exhortatio cunctis congruit: quia nec cunctos parmorum qualitas aſtringit. Sæpè eamque aliis officiunt, quæ aliis proſunt: quia plerumque herbæ quæ aliis pabulum, aliis necem inferunt, & leuis ſibilus equos mitigat & catulos inſtigat: & medicamentum quod hunc morbum mitigat, alteri vires iungit: & paſtus, qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo doctorum, vt ſua ſingulis congruant, & tamen à communi ædificationis arte nuſquam diſcedat. Idemq; rurſus in eodem libro de hac virtute ſic ait: Lingua noſtra bonis fomentum ſit, prauis aculeus: tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, deſides hortatu ſuccendat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur: vt qui doctores dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus.

Vt autem Eccleſiaſtes hac ipſa commodè præſtare valeat, diligenter mores hominum, apud

omne vitiũ error aliquis in intellectu, aut praua perſuaſio antecedat, conſultiſſimum eſt, ſecurim ad radicem apponere, vt omnis plantatio, quam non plantauit Pater cæleſtis, radicitus euellatur. Harum autem ſiue opinionum, ſiue vitiorũ cognitio facit, vt & aptiſſimè dicamus, & attentiores etiam auditores habeamus: quandoquidem attentius ea homines audiunt, quæ ad ſe maximè pertinere intelligunt. Quæ autem cautio in huiuſmodi vitiis carpendis adhibenda ſit, ne pro ſalutaribus pharmacis, venena, aut alicuius grauis offenſionis materiam populo præbeamus, concionatoris prudentiæ relinquo. Illud autem admonẽdum eſſe duxi, ne facilè delatoribus fidem habeat, cùm aut præfectorum aut prælatorum ſuorum mores accuſant. Sæpè namque hi vel leuibus cauſis inducti, vel priuatis affectibus incitati, falſo in illos crimina intendunt: quibus cõcionatores fidem adhibentes, ea ſtatim in concionibus ſine vllo graui delationis teſtimonio aut examine criminantur: qua quidem re non leuem cõtra ſe maiorum ſuorum indignationem atque inuidiam cõflant: & nõ modò apud illos doctrinæ fructum, ſed fidem etiam amittunt. Quocirca nullibi magis, quàm in aliquarum perſonarum vitiis perſtringendis concionatoris prudentia deſideratur: ne vel dicenda ſileat, vel non dicenda temerè effutiat.

Diſſimili autem ratione, ſed non minori fortaſſe incommodo peccant, qui dicteriis & facetiis populum ad riſum mouent. Hi namque in ſe ipſos iniurij ſunt, quandoquidẽ ſibi in dicẽdo fidẽ abrogant: cùm nemo credat illos ex animo à vitiis deterrere, qui hac ratione aures demulcere, & plauſum atq; riſum populi captare ſtudẽt

Hinc D. Hieron. illũ Eſaiæ locum explanãs, Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te ſeducũt, ſic ait: Ille eſt doctor Eccleſiaſticus, qui lachrymas, non riſum mouet: qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit eſſe felicem. Et ad Nepotianum: Docente te, inquit, in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur: lachrymæ auditorum laudes tuæ ſint.

Illud etiam concionator admonendus eſt, vt nimium ſubtilia, & quæ populi captum excedũt, ſilentio premat: fruſtra enim dicitur, quod non intelligitur: qui verò contra faciunt, magis ſe ipſos venditare, quàm populum docere ſtudent. Hinc D. Grego. locum illum beati Iob exponẽs: Super ipſos ſtillabat eloquium meum, ſic ait: Debet prædicator inſpicere, ne plus prædicet, quàm ab audiente capi poſſit: ne dum paruis ſublimia & non profutura iungit, ſe magis curet oſtendere, quàm auditoribus prodeſſe.

Vltimo loco illud adijciendum, hæc ipſa quæ diximus, ſine pertinaci ſtudio atque labore non ita multum iuuare. Non enim hic vulgarem ac triuialem cõcionatorem, ſed ſingularem maximéque hominibus ſalutarem inſtituimus. Quòd ſi Cicero nullam iudicat eloquẽtiam, quæ admirationem non habeat, cùm in illa Ethnicorum eloquentia vix quidquam aliud præter verba, & elocutionis ornamenta ſint, quæ admirationem commoueant: quid de Chriſtiana eloquentia ſentiendum eſt, quæ tota in altiſſimis admirandíſque cæleſtis philoſophiæ ſacramentis explicandis verſantur, quæque non tam verborum, quàm rerum pondere & maieſtate, mentes hominum in admirationem rapit? Quanta ergo Euangelici concionatoris ignominia erit, ſi ſuſ-

penſos non teneat auditorum animos, qui non tam verba ſplendida, quàm admiranda myſteria illis ante oculos ponit? Ad hanc igitur tantam laudem non inerti otio atque ſegnitie, ſed pertinaci ſtudio atq; labore peruenitur. Nam & multa & varia in omni vita legiſſe opus eſt, & multo labore ac ſtudio vnaquæque concio apparanda eſt. Hoc enim ſtudio ſe Demoſthenes ad dicendum cōponebat. Vnde de eius orationibus vulgò dicebatur, quòd lucernam olerent: eius videlicet in apparanda oratione vigilias hoc verbo notantes. Quod quidem vulgi teſtimonium ipſe confirmauit, qui dictitare ſolebat, moleſtè ſe ferre, ſi quis fabrorum ferrariorum, aut aliorum opificum antelucanas eius vigilias anteuertiſſet. Idemque rogatus, qua ratione tantam eloquentiæ vim comparaſſet, Plus, inquit, olei quàm vini abſumendo. Hoc igitur ſtudio ac labore id aſſequutus eſt, vt eum in Græcos oratores locum aſſequeretur, quem inter Latinos Cicero: quin & is (vt Fabius ait) Ciceronem ipſum, quantus eſt fecit. In quem Ciceronem (vt Diuus Hieronymus in Epiſtola quadam ſcribit) pulcherrimum illud extat elogium: Demoſthenes tibi præripuit, ne eſſes primus orator, tu illi ne eſſet ſolus. Vtrumq; autē flagrātiſſimus humanæ gloriæ ardor ad hanc dicendi facultatem magno labore parandam excitauit. Nobis verò non licet hoc affectu atque animo huic ſtudio incumbere, quibus lege prohibitum eſt, ne offeramus Domino ſacrificium igne alieno. Quocirca ignem illum, quem ſuper Apoſtolus Dominus miſit, aſſiduis ab eo precibus poſtulare debemus, vt ardentiſſimo eius gloriæ & fraternæ ſalutis amore incenſi nihil non faciamus, nul-

lúmque ſtudiorum laborẽ recuſemus, quò multorum animas ſalutis noſtræ autori Chriſto lucrifaciamus. Multa quippe lectione, multa meditatione, atque agitatione animi, multáque cura & ſtudio opus eſt, vt egregiam concionem rebus & verbis inſtructiſſimam parare valeamus. Quod quidem ſtudium graui moleſtia non caret, cùm eadem ſæpè repetere, & memoriæ mandare neceſſe ſit: quæ res faſtidio & moleſtia non caret: quam tamen flagrans in Chriſtum charitas ſuperare debet.

Neque verò quiſquam ſatis ſe ad concionandum inſtructum putet, ſi præclaras inſignis alicuius viri conciones apud ſe retineat. Nemo enim munus hoc tractare pro dignitate poterit, niſi quæ aliunde congeſſit, ita cum animo ſuo verſet ac voluat, vt ex alienis multarum rerum adiectione, tractandíque ratione ſua quodammodo faciat: vt videlicet non aliunde aſcita, ſed domi ſuæ nata videantur: quod non leuis operæ atque negotij eſt. Quò autem is quem imitari ſtudet, in hac dicendi facultate præſtantior eſt, eò eſt difficilius humili ingenio ſublimia aptare. Hoc enim perinde eſt, ac ſi quis aurea Saulis arma exiguo Dauidis corpori accommodare velit.

Hęc ſunt igitur quæ ſtudio ſus ccionator prouidere ante omnia debet, quò fideliter munus ſuum adminiſtrare valeat. Reliqua paucis expediemus.

Qua ratione Eccleſiaſtes concionem adornare debeat.

Cap. XI.

HIs ita conſtitutis, quonam modo Eccleſiaſtes concionem adornare & ſcribere debeat, breuiter iudicandum eſt. Meminiſſe igitur ad hoc oportet, ex quinque Rhetoricæ partibus, quas in 2. huius operis libro numerauimus, tres eſſe ad ſcribendum neceſſarias, inuentionem, diſpoſitionem, & eloquutionem. Primus ergo labor eſt inuenire quid dicas. Hanc autem inuẽtionem dabit primùm quidem parata antè facultas & ſententiarum theſaurus: deinde inueniendi ars, de qua in ſuperioribus libris diſſeruimus: tum præterea diligens & ſtudioſa lectio, quæ præſenti labore inuentionis opes augere ſolet. Sed quoniam de inueniendi ratione modò diximus, nihil hic addere opus eſt, niſi hoc ſolùm, quòd Eccleſiaſtes pium mentis affectum, quatenus fieri poſſit, huic præſenti lectioni adiungat: vt quem ipſe pium affectum intra ſe legendo conceperit, in auditorum animos dicendo tranſmittat. Si quid autem inter legendum offenderit, quod ipſum magis afficiat, ibi pedem figat, & cum animo ſuo verſet atq; retractet, nec oblatam pij affectus occaſionẽ vacuam abire ſinat. Ea verò omnia quæ vel legendo, vel meditando inuenerit, breuiſſimè in chartula deſcribat: quo videlicet in proſpectu cuncta, quæ inuenerit, habeat: vt commodiora ex illis eligere, & in ordinem redigere poſſit.

Poſt inuentionem, proxima diſpoſitionis cura eſt: Vbi enim ex tumultuaria illa rerum congerie, & veluti ſylua, aptiſſima elegerit, ea in or-

dinem diſponere, & ſuis in locis collocare neceſſe eſt. Quod ita facere debet, vt nihil in ſententiis aut ſcripturarum teſtimoniis afferendis detortum, nihil ſit violentum: ſed omnia ſuis in locis aptè collocentur, & velut ad numerum cadant: vt non aliũde aſcita, ſed cum rebus ipſis nata videantur. Quam rem D. Chryſ. diligentiſſimè obſeruare ſolet. Hanc autem orationis partem prudentia maximè & iudicio conſtare, autor eſt Cicero. Quæ verò arte tradi poſſunt, in 4. huius operis libro expoſuimus: ad quem locum ſtudioſum concionatorem remittimus.

Vbi verò inuenta diſpoſuerimus, poſtremus ac maximus eloquutionis labor ſequitur: quæ eſt velut vltima inuẽtionis forma. Prior enim forma eſt diſpoſitio: quę velut corporis oſſa iunƈturis diſtinƈta, ſuis locis aptat: poſterior verò eloquutio eſt: quæ (vt ſuo loco diximus) carnem & ſanguinem, & colorem ſuum ac ſpeciem oſſibus ac neruis addit. Huius autem eloquutionis velut parens quædam cogitatio eſt: à qua omnis eloquutionis vis ornatuſque procedit. Vt enim piƈtores, quam imaginem effingere volunt, mẽte prius concipiunt, cuius exemplar manus ſequitur: ſic concionator res primum concipere pro dignitate debet, vt deinde calamus propoſiti exemplaris duƈtum ordinémque ſequatur. Qua quidem ſimilitudine intelligimus, talia eſſe quæ propoſito exemplari fiunt, quale exemplar ipſum eſt. Quid enim ex deprauato exemplari, niſi deprauatum opus conſequi poteſt? Quò fit, vt quiſquis res optimè conceperit, ſit etiam eas optimè diƈturus. Veriſſimè enim diƈtum eſt: Si rem potenter conceperis, nec facundia dicẽdi, nec ſermo te deſeret vllus. Huic ergo,

cogitationi ſe totũ Eccleſiaſtes tradat. Hæc enim (vt Fab. ait) paucis admodum horis magnas etiam cauſas complectitur. Hæc quoties intermiſſus eſt ſomnus, ipſis noctis tenebris adiuuatur. Hæc inter medios rerum actus aliquid inueni vacui, nec otium patitur. Neque verò rerum ordinem modò, quod ipſum ſatis erat, intra ſe ipſum diſponit, ſed verba etiam copulat, totámque ita cõtexit orationem, vt ei nihil præter manum deſit. Nam memoriæ quoque plerunque inhæret fidelius, quod nulla ſcribendi ſecuritate laxatur. Hactenus Fabius.

Ad hanc igitur cogitationem & tempora & loca idonea captanda ſunt. Tempus autem vel antelucanum vel nocturnum, cùm nec familia perſtrepit, nec tumultus vllus partem nobis mentis eripit, commodiſſimum eſt. Loci quoque ſolitudo & obſcuritas aciem mentis ad cogitandum efficit clariorem. Sacer verò locus, & is in primis, in quo ſacra Euchariſtia adſeruatur, ſuper omnes alios aptiſſimus eſt. Sacramentalis enim Chriſti Domini præſentia miro modo pij hominis mentem & componit & afficit, & ad ſalutaria atque vtilia magis quàm curioſa & ſubtilia cogitanda inducit. Hoc tamen admonendum, vt cùm primùm ea quæ parauimus, cogitare cum animo noſtro cœperimus, ab iis præcipuè cogitandi initium faciamus, quæ animum noſtrum maximè cùm legerentur, commouerunt, quæque auditoribus maximè ſalutaria eſſe intelleximus. Hæc namque facilè pectus noſtrum, vt ante fecerunt, incendent: quo affectu incenſa mens ad reliqua ab initio vſque ad finem cogitanda magis apta erit. In hac autem cogitatione danda nobis opera eſt, vt quoties

argumentationem aliquam fuerimus perſequuti, aut myſterium aliquod explicuerimus, ad officij noſtri ſcopum, hoc eſt, ad Chriſtianæ vitæ inſtitutionem, aut pium animorum motum hæc ipſa quæ diximus, quatenus fieri poſſit, conuertamus. Illa etiam quæ grandis figuræ materiam eſſe in ſuperiori libro diximus, vbi locus poſtulauerit, tractanda erunt. Hæc enim ad flectendos auditorum animos potentiſſima ſunt. Flectere autem, eſſe intra tria concionatoris officia præcipuum, ex D. Auguſtin. ſententia ſuperius diximus. Ad hoc autem, orationis curſum aſſiduè vertere, & vtiliſſimum, & laudatiſſimum, & cordatis auditoribus populoque gratiſſimum eſt, cùm omnibus ferè natura docente perſuaſum ſit, concionatoris officium ad Chriſtianæ vitæ inſtitutionem & morum correctionem inſtitutum eſſe.

Hanc porrò cogitationem ſtylus deinde feliciter & facilè ſequetur. Vt enim D. Hierony. ait, Quæ bene ſcimus, bene & loquimur. Ea autem bene ſcimus, quæ diu multúmque cum animo noſtro retractauimus, in eiſque penetrandis aciem mentis infiximus. Ea initio quidem, quandiu ſtylus formatus non eſt, expediet ſanè totam concionem patria lingua ad verbum ſcribere, quanquam hic nonnihil periculi eſt (niſi diligenter pronunciandi leges attendamus) ne omnia vno vocis tenore pronunciamus: vt ij faciũt, qui ea, quæ memoria complexi ſunt, recitare ſolent. Vbi verò ſtylus ipſe aſſidua exercitatione vires collegerit, tunc ſcribendi laborem moderari oportebit. Quæ enim plana atq; facilia ſunt, breuiter ſiue latino ſiue patrio ſermone ſcribenda erunt. Poterit enim ea ex tempore cõ-

cionator commodè explicare. Loca verò difficiliora oportebit eo modo ſcribere, quo dicenda ſunt. In quo genere ponimus membra illa atque comparia, quibus D. Cyprianus frequentiſſimè & elegantiſſimè vtitur, qualia ſunt illa: Euangelica præcepta, fratres dilectiſſimi, nihil ſunt aliud quàm magiſteria diuina, fundamenta ædificandæ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris inſtruunt, ad cæleſtia regna perducunt. Idémque rurſus ad Donatum: Tenacibus ſemper illecebris neceſſe eſt (vt ſolebat) vinolentia inuitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hactenus illic. Huiuſmodi ergo orationes, ſi quando inciderint (incidere autem aliquando, quoniam ſunt venuſtiſſimæ, debent) prius quidem ad verbum ſcribendæ, & memoriæ etiam, ne nos ſermo deſtituat, fideliter ſunt commendandæ.

Quomodo Eccleſiaſtes præparare animum ſuum debeat, quando concionem habiturus eſt.

Cap. XII.

VT huic inſtitutioni noſtræ finem apponamus, illud etiam ſcribendum eſſe iudicaui, quonam modo Eccleſiaſtes præparare animum ſuum debeat, cùm iamiam concionaturus eſt. Vt enim diſciplina venatoribus eſt, accipitres ad inuadẽdam prædam inedia præparare, ita nos ad hanc ſpiritualem animarum venationem (de qua Dominus apud Hieremiam *Hier. 10.*

meminit) compoſitis animi affectibus præparari debemus. Ad hoc autem primum eſt, vt ea nocte quæ concionis diem antecedit, in oratione perſeueremus, ſuppliciter illum obſecrantes, qui ſapientiæ author & gubernator eſt: in cuius manu ſumus & nos, & ſermones noſtri: illum, inquam, qui linguas infantium diſertas facit, vt feliciter ſermonis noſtri curſum ad nominis ſui gloriam dirigat, & nobis quidem puritatem intentionis, auditoribus autem proficiendi ſtudium clementer impartiatur. Noui piiſſimum quendam concionatorem, qui non modò fuſis lachrymis, ſed cæſo etiam verberibus corpore, hæc ipſa à Domino poſtulabat. Sequenti verò die ſacra dominici corporis & ſanguinis myſteria quanta poterit animi ſubmiſſione atq; deuotione celebret: détque operam, vt deuotionis calorem, quem ex ſacra celebratione Domino aſpirāte conceperit, ſecum ad ſuggeſtum deferat. Plurimum enim hoc ipſum ad bene dicendum iuuabit. Vbi verò ſuggeſtum conſcenderit, priuſquam dicendi initium faciat, quæ dicturus eſt, omnia ad communis Domini gloriam & animarum ſalutem dirigat, ſupplicitérque ab eodem miſericordiæ parente poſcat, vt nihil ante oculos ſuos, niſi ſola eius gloria obuerſetur. Indigniſſimum enim eſt, vbi tam magna rerum momenta verſantur, vbi Deus ipſe, cuius cauſa agitur, præſens adeſt, ad inanē popularis auræ plauſum, poſthabito mūdi iudice Deo, oculos deflectere. Hac igitur in parte Eccleſiaſtes Armeniæ inclitæ fœminæ fidem atq; pudorem imitari ſtudeat, quæ à Cyri conuiuio domum rediēs, Cyri pulchritudinem omnibus laudantibus, interrogata à viro, quid de Cyri dignitate ſentiret, ait: A te mi vir oculos nun-

Ex. l. 4. Franciſ. Senē. de inſt. reip.

quam deflexi. Itaque qualis alieni viri forma ſit, prorſus ignoro. Si igitur fœmina hæc præſente viro, ne in Cyrum quidem & regē & forma præſtantē oculos conijcere auſa eſt, quis ferat præſente ſeculorum rege ad inanes vulgi rumuſculos mentem conuertere. Et quoniam ſæpe hoſtis antiquus velut ex inſidiis occupatum concionatorem adoritur, dum inter dicendum latenter vanas ingerit cogitationes, ipſe antequam dicere incipiat, quidquid dicenti ſibi vanitatis obreperit, initio adiuret atque deteſtetur, Deóque mentem ſuam puram caſtámq; exhibeat. Quod vt præſtare rectius valeat, Chriſtum Dominum ad iudicium ſanctorum millibus ſtipatum venientem, ſéque ante illum tumulo conditū in aduerſo pariete cogitatione depingat, vt hinc ſuperni iudicis timor, inde mortis paulò poſt futuræ metus concionatoris mentem à periculoſiſſimo & occultiſſimo inanis gloriæ flatu incolumem ſeruet: quæ (vt D. Bernar. ait) leuiter quidem volat, leuitérque penetrat: ſed non leue vulnus ingerit.

Vt autem & alacrius & purius munus ſuū aggrediatur, mirabilem eius fructum atque vtilitatem, quam in primo huius operis libro expoſuimus, ad mentem reuocet: quam nouo hoc exemplo vtcunque explicare tentabo. Fingamus eſſe principem aliquem pietate & virtute præſtantem, eundémq; non ſolùm opibus, ſed etiam miſericordia & benignitate diuitem: qui inter cætera virtutum inſignia, hoc etiam habeat, vt ſeptimo quoque die mille pauperes in domum ſuam conuocet, certámque pecuniæ ſummam in vniuſcuiuſque ſinu ad inopis vitæ ſuſtentationem condat. Quis non hunc principem ſummis laudibus efferret? quis non hoc opus & Deo pau-

perum amatori gratiſſimum, & principi maximè ſalurare eſſe nō videat? Si hoc igitur opus eximiis laudibus digniſſimũ eſt, quibus quæſo laudibus pij concionatoris opus dignum putabimus, qui omnibus diebus Dominicis propoſita ante ſe frequenti hominum turba, nō pecuniam perituris corporibus profuturam, ſed animabus ſpiritualem alimoniam, vitæ pabulum, & ſalutis æternæ poculum ſubminiſtrat. Vnico enim vocis miniſterio omnes aſtantiũ animas reficit, erudit, conſolatur, & ita illuminat, vt cùm ad omnes doctrinæ lumen pertingat, non minus vnicuique luceat, quàm ſi ſolus ille beneficio frueretur.

Hoc etiam tempore duo illi antequam dicere incipiat, prouidenda ſunt, eloquutio & pronunciatio: hoc eſt, quonam modo animi ſui ſenſa verbis explicare, & qua vocis figura eadem pronunciare debeat. At illud autem hoc præcipuè ſpectat, ne lingua mentem pręcurrat, ne verba in labris tantùm naſcantur, ſed ab imo pectore cum iudicio progrediantur. Vt enim muſices periti mente prius dictant, quod manus pulſando exequitur (mens enim magiſtra, manus verò miniſtra obſequens eſt) ita vir eloquens ſolicito & prudenti iudicio prouidet, quæ deinceps lingua prolatura eſt. Qua ex re liquet, quàm libera ab omni metu & perturbatione mēs eſſe debeat, quæ vno atque eodem temporis ſpatio ſermonis velocitatem & linguæ volubilitatem anteuertere, & regere, & actionem etiam moderari debet. Alioqui niſi dicendi magiſtra mens omnia præueniat, nihil neque prudenter dici, neque aptè pronunciari poterit. Qua de cauſa concionis exordia, quandiu dicentis animus non inca-

luit, ſubmiſſa, & interuallis longioribus diſtincta eſſe debent, quò ad prouidenda quæ dicimus, detur aliqua cogitationi mora. Paulatim enim animus dicendo inualeſcet, quo tempore facilius omnia ſeſe dicenti offerent. Hic enim mentis ardor ſi rectorem habeat, magnus dicendi magiſter eſt.

Maius autem eſt moderandæ actionis negotium. Eloquutio enim antecedẽtis labore ac ſtudio iuuatur: ac pronunciatio tota præſentis temporis eſt. Ex vniuerſa autem illa pronunciandi ratione, quam ſuperius tradidimus, hæc ſibi tunc ante oculos ponat. Primùm quidem frequentiſſima illa æqualitatis & inæqualitatis vitia, quæ ibidem perſtrinximus, fugiat. Deinde verò curet, vt diſtinctè, aptè, atq; ornatè, quæ dicenda ſunt, pronunciet. His enim virtutibus tota rectè pronunciandi facultas continetur. Sic enim fiet, vt pronunciatio, quemadmodum eloquutio, emendata, dilucida, apta, & ornata ſit. Et quidem diſtinctè dicimus, cùm interuallis ſuis orationis partes & membra, articulóſq; diſtinguimus. Aptè verò cùm & ſententiis & verbis ſuam vocis figuram, & corporis geſtũ accommodamus: quã rem paulò ante copiosè tractauimus. Ornatè verò pronunciamus, cũ damus operam, vt vocem ipſam cum naturali quadam ſuauitate fundamus: quæ videlicet nulla aſperitate auditorum aures lædat, quas ſi non demulceat, certè non exaſperet. Hoc autem præſtare facilius poterunt, qui clara & ſuaui voce à natura donati ſunt: ſi hanc in pronunciando curam non neglexerint. Vocis autem acrimonia non ſemper, ſed cùm res poſtulat, vtendum eſt: quæ ne langueſcat oratio, non infrequens eſſe debet. Qua in re impetus

hic & ardor animi (vt ante diximus) ſic regendus & moderandus eſt, ne arteriæ lædantur, & vox incondita quadam & inſuaui aſperitate aures offendat. Has igitur præcipuas agēdi virtutes Eccleſiaſtes in proſpectu ſēper habeat. Quas vt vno ſimpliciq; intuitu contempletur, nō erit inutile, ſi fortè inſignē aliquem ætatis ſuæ concionatorem audierit, aut quemuis alium, citra concionem hac pronunciandi virtute præſtantem, eum ſibi ante oculos ponat: imò & eius effigiē in aduerſo pariete depingat. Sic enim fiet, vt ſola hac imagine ante oculos poſita, tota pronunciandi ratio (quæ multis, vt ante vidimus, pręceptis cōnſtat) hoc vno intuitu ſibi offeratur. Quod ſi duos etiam, varijs inter ſe dicendi pronunciandique virtutibus inſignes audierit, eos etiam ante ſe ſimili ratione ſtatuat: vt multæ virtutes multaque agendi præcepta ſub hac ſpecie ſeſe illi obijciant. Illud autem prouidere diligentiſſimè debet, vt cùm dicit, totamque vim cogitationis ad bene dicendum confert, partem etiam cogitationis pronuntiationi tribuat. Dantur enim in interuallis morulæ quædam, in quibus citra elocutionis iacturam hoc etiam prouideri poſſit. Mens enim, quæ magno diuinitatis beneficio mortalibus data eſt, tātam habet vim, vt eodē temporis ſpatio, & quid dicere, & quomodo dicere, & quemadmodum rebus, quas dicit, vocis figuram & corporis geſtū accommodet, animaduertere poſſit. Si enim ea rectè prius fuerit inſtituta, hæc omnia prouidere ita poteſt, vt prima illa dicendi cura alios non excludat.

PER-

PERORATIO.

HÆc habui, candide lector, quæ de rade racione concionandi dicerem, plura quæ mihi ſeſe ingerebant, dicturus, ſi per alias occupationes & impedimenta licuiſſet. Sed hæc tamen (vt arbitror) ſtudioſo concionatori ſatis erunt, vt cætera ipſe per ſe inuenire atq; obſeruare queat. Verè enim à Salomone dictũ eſt, Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia. Audio etiam inſignes aliquot viros hac noſtra ætate præclara volumina de concionandi ratione edidiſſe, quæ nondum ad manus meas peruenerunt: quæ moneo diligenter euolui. Sic enim fiet, vt hæc diuina facultas multorum inuentis & acceſſionibus aucta, numeris omnibus abſoluta ſit. Hac enim ratione diſciplinas omnes creuiſſe, & ad perfectionis culmen perueniſſe, Ariſtot. autor eſt. Multorum autem inuenta, atque obſeruationes ad concionandi officium eſſe neceſſarias, officij huius excellentia declarat: cuius neſcias æſtimare, maior ne vtilitas, an difficultas ſit. Quam rem inſignium concionatorum raritas, quam in omnibus ſeculis ætatibúſque videmus, non obſcurè declarat. Ne maior olim oratorum copia, quàm ſęculo noſtro inſignium concionatorum fuit. Ipſe enim eloquentiæ parens. Cicero in primo de orat. l. plurimos & Philoſophos, & Mathematicos, & iuriſperitos, & Muſicos, & Poëtas, & belli duces, in ſua quoque facultate præſtantiſſimos, in ſola vrbe Roma fuiſſe memorat: cum tamen ſingulis ætatibus vix ſingulos tolerabiles oratores extitiſſe dicat. Cuius rei cauſam eſſe docet multiplicem

genij & naturæ dotes, quæ ad orandi munus feliciter obeundum requiruntur: inter quas pronunciandi & agendi gratiam numerat: quæ ſola ipſa (vt idem ait) quanta ſit, hiſtrionum leuis ars & ſcena declarat: in qua cùm omnes in oris, & vocis, & motus moderatione elaborent, quis ignorat, quàm pauci ſint, fuerintque, quos animo æquo ſpectare poſſimus? Hæc igitur omnia ad perfectam huius muneris functionem ita requiruntur, vt ſi vnum aliquod eorum deſit, facultas dicendi mutila & manca, ſi verò ſola pronunciationis gratia deſit, nulla futura ſit. Deeſt enim inſtrumentum & organum, quod animi noſtri ſenſus atque conceptus ad auditorum aures cōmodè perferat. Cùm ſint autem tres præcipuè concionatoris partes, inuētio, eloquutio, & pronunciatio, & de inueniendi ratione multi multa dixerint, nos omiſſas ab aliis partes, eloquutionem & pronuntiationem copioſius perſequi voluimus: quòd hę ab aliis neglectæ ad concionandum maximè neceſſariæ ſint. Boni ergo cādidus lector operam noſtram conſulat: quæ ſi parum vtilis viſa fuerit, hoc tamen præſtabit, quòd eruditorum ingenia ad vtiliora & meliora inuenienda exacuet: quòd abeundè magnum laboris noſtri præmium exiſtimabimus.

MODVS CONCIONANDI.

De bonitate concionatoris.

CAP. I.

SVPERVACANEVM quidem eſſet, prædicationis munus commendare, cùm ſatjs, ſuperque à Chriſto Domino fuerit commendatum, vt aliis omiſſis in illo duntaxat ſe exercuerit. Hoc egregium & penè diuinum munus prædicandi commiſit Deus Diſcipulis ſuis, præcipiens illis, vt vbique gentium verbum Domini prædicarent. Et ad hoc potiſſimè fuêre vocati, vt hominum piſcatores, & prædicatores fierent. Qui igitur ad tantum, tamque ſublime munus (Dei beneficio) vocatur, primum omniũ obſeruet oportet, ſe magiſtrum virtutum & exemplar omnibus propoſitum, vt alij boni efficiantur. Vnde iure primo omnium in concionatore bonitas & integritas vitæ eſt ſpectanda. Abſonum enim eſſet & ab omni ratione alienũ, vt qui ſe magiſtrum virtutum autumat, in eiſdem inſtrui indigeat. Sutor enim aut quiuis alius mechanicus artifex ſuam artem non exercet, donec eam callet. Non ſecus verbi Dei cõcionator, cuius muneris eſt alios docere, debet munus hoc exercere ſi virtutum inops & vacuus ſit. Suggeſtum enim aſcendens virtutum opulentam officinam aperit, & arma ad vitia opprimenda ſumit. Vnde D. Hieronymus ad Nepotianum de vita clericorum, & D. Grego. de cura paſtorali, icunt, ad hoc officium minimè idoneos eſſe qui

Marc. 16.

Matt. 4

virtutibus non ſunt inſtructi. Et licet virtus multis nominibus ab omnibus ſit amplectanda: peculiariter tamen eam debet habere concionator, tribus de cauſis.

Rom. 2. Prima ne ſibi aſcribatur illud Pauli: Qui alios doces, te ipſum non doces? qui prædicas non furandum furaris? Verbi namque Dei auditores irrident prædicatorum doctrinam, quæ vitæ nõ conſonat, cùm aliud docent, aliud verò præſtant. Iuxta illud Gregorij. Cuius vitia deſpicitur, reſtat vt prædicatio contemnatur, Iudas Iacobi filius nimis audacter. Thamar nurum ſuam *Geneſ. 38.* igni tradi iuſſit: verùm poſtquam illa baculum & armillam (quæ erant peccati ſigna) ad illum miſit, miratus confusúſque dixit: Iuſtior me eſt. Et ſtatim conſilium mutauit, rigidámque ſententiam reuocauit. Ioab etiam cùm nuncium ad Dauid regem miſiſſet, vt illi aduerſum belli euentum renunciaret, & militum in accedendo ad murum temeritatem ſignificaret, eum ſic eſt allocutus: Si eum videris indignari, & di- *2. Re. 11.* xerit, Quare acceſſiſti ad murum? Dices: Seruus tuus Vrias mortuus eſt. Cuius dilecti memoria fuit in cauſa, vt Dauid animi impetum moderaret, & iram cohiberet. Ignominioſum enim & minus honeſtum erat, vt qui tale ac tantum facinus patrauerat, Vriam præclarum ac nobilem ducem occidendo, ſeruorum leues culpas puniret. Adhibenda igitur cautio eſt, ne dum aliorum vitia reprehendis, ipſe eiſdem vitiis incuſandus venias, ſicut Ioab & Thamar fecêre. Carere enim debet omni vitio, qui in al- *Ioan. 18* terum dicere paratus eſt. Et ſi Chriſtus Dominus illis, qui mulierem de adulterio arguebant, dixit. Qui ſine peccato eſt, mittat in

eam primum lapidem. In templo Salomonis 3.Reg.6.
emunctoria erant auri puriſſimi: ſic concionator, qui aliorum vitia reprehendit omni vitio & reprehenſione carere debet, & inſtar electri puriſſimi eſſe. Vnde Paulus: Caſtigo corpus meũ, 1.Cor.9.
& in ſeruitutem redigo: ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Cùm Redemptor noſter doctrinæ ſuæ veritatem Iudæis oſtendere vellet, prius de ſe fatur: quis ex vobis Ioan.8.
arguet me de peccato? qui cùm nihil inueniſſent, dixit eis? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Nullam ſanè poterant excuſationem afferre, illum non audiendo? cùm ipſius doctrinæ veritatem & vitæ ſanctitatem, conuicti fateri cogerentur. Vt igitur hoc miniſterium aptius exercere poſſis, te virum probum & virtutibus inſignitum præbeas oportet: vitia nempe extirpando, & virtutes hominum animis imprimendo, ne quis eadem tibi vitia obijciat. Quòd ſi talem te geſſeris, maximos & vberrimos ex ea re fructus percipies. Magni autem refert ad hoc præſtandum, vt concionator bene erga populum audiat.

Secunda ratio eſt, quoniam præcipuus Euangelicæ promulgationis finis & ſcopus, & qui maximè concionatore debet eſſe intentus, eſt animarum ſalus: quod quidem fit ſi animos alioqui confractos & languentes commoueat, excitet & inflammet, dum eos ab inueterata conſuetudine peccandi euellit, & ad pœnitentiam allicit, & ad veram compunctionem & lacrymarum effuſionem eos trahit. Nefas enim eſt alios vt moueas, niſi te prius ipſum moueas. Gallus prius ſe expergefacit, alis corpus concutiendo, quàm ſublimi cantu alios excitet. Ignis etiam

prius in propinquiora agit, quàm in longè diſtantia. Eiuſmodi ſpiritus & animi affectus prius debet te inflammare & commouere: quàm audientium animos incendas. Vocis quidem ſubiectum auditus eſt, & verba quæ non ex animo, ſed ex ore dumtaxat prodeunt, ibi ſiſtunt, neque amplius progrediuntur. Quapropter ſi cupis vt verba tua vim & energiam habeant, & non ſolùm aures, ſed & audientium animos pertingant: oportet vt ex animo proferantur, & vt intrinſecus ſentias, quæ alios doces. Cor enim cor alloquitur, & audientes mox coniectant & ſentiunt, quod ex animo loquaris. Tunc enim concionator mouet, cùm ipſius verba quaſi iaculum cor audientis feriunt & excitāt. Num carbonem niſi ignitum prętes, aduret? Nequaquam. Expedit te, dum alijs prædicas, à peccati noxa ſolutū eſſe. Grauiter enim peccant, qui hoc concionandi munus in mortali exercent. Nam licet recta conſcientia ſufficiat ad prædicandum ſine nouo crimine, ad audientium tamen affectus excitandos plus requiritur. Proptereaq; tibi expedit ſpiritualem deuotumq; virum eſſe, & feruidum, & orationis, contemplationíque ſtudio vacare: vt ea quæ dicis, ſpiritu proferantur, & audientium corda incendas.

Tertia ratio eſt, ne vincaris à tentationibus & à perſecutionibus quæ à perfidis & detractoribus hominibus infliguntur: vtpote inuidis, obtrectatoribus, & improbæ mentis, qui oblatrant, & petulanti lingua omnes inſectātur. Obſerua igitur tui muneris eſſe, animas quæ Diabolo inſeruiunt, & quæ ſub eius vexillo militant, in viam ſalutis reducere. Et inſuper, quod militas non aduerſus imbelles & inermes quoſ-

que homines, ſed aduerſus eos, de quibus ſigni-
fer Apoſtolici miniſterij ad Epheſios ſcribens *Epheſ.6*
dicit: Non eſt nobis colluctatio aduerſus car-
nem & ſanguinem: ſed aduerſus principes, &
poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum
harum. Vndequaque ergo oppugnaberis, hinc
Infernus, hinc deprauatorum & obſtinatorum
adſtat caterua, qui maledictis & petulantiſſi-
mis ſuis inſectantur linguis. Ideoque ſtatim A-
poſtolus ſubdidit: Propterea accipite armatu-
ram Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo. Virtu-
tum armis indiges, quibus aduerſarij ſunt pro-
fligendi: quibus muniri debes, ne ab eis vin-
caris. Præſtantiſſimus omnium concionator
Paulus fuit; & inter omnes Apoſtolos maximè
exagitatus, & à meledicis quidem oppreſſus.
Comitatur itaque Euangelicum concionatorem
aſſidua perſecutio. Sed Beatus Apoſtolus ſicut
in hoc munere reliquos antecelluit, ita oppreſ-
ſus & tentatus eſt. Vnde ad Corinthios ſcribens
de ſe dicit: Abundantius illis laboraui. Et alibi *1 Cor.15.*
eiſdem dixit. Noluimus vos ignorare fratres de *2. Cor.1.*
tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia: quo-
niam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtu-
tem, ita vt tæderet nos viuere. Et in Dominica ſe-
xageſima, in qua Eccleſia de prædicationis mu-
nere mentionem facit in Euangelio, ipſo die le- *Luc.8.*
gitur Epiſtola, in qua longè latéq; labores & af- *2. Cor.*
flictiones ipſius Euangelicæ doctrinæ principis *11.*
Pauli enarrantur. Familiare enim eſt & maxi-
mè conſuetum, vt quo quis in hoc munere præ-
ſtantior eſt, eo plures illi æmulentur. Nec ad hũc
viſus eſt concionator egregius atque peculiaris,
quin durè agitatus fuerit. Hoc licet perſpicere
in Eſaia, Ieremia, Ezechiele, Elia, Michæa, Amos,

Athanaſio, Origene, Chryſoſtomo, & diuo Bernardino, & aliis huius nominis, qui primis atrociter fuere perſecuti. Hic vltimus fuit coram Martino Quinto Pontifice Maximo falſo crimine accuſatus, quòd faceret populum idolatrare. Prædicti etiam Prophetæ pro veritate tuenda duriſſimam mortem adierunt. Athanaſius verò, Origenes, & Chryſtomus in exilium miſſi ſunt, & pleraque alia opprobria pro ipſa veritate tuēda perpeſſi ſunt. Hæc etiam noſtra tempeſtate poſſumus quidem adducere quoſdam in hoc munere illuſtres, quos mundus deiecit, illorum nomini perpetuas tenebras offundendo: ea eſt rerum viciſſitudo. Quod ſi ita ſe res habet, ingens temeritas eſt cum talibus ac tantis aduerſariis bellum gerere: ſi nullis neque patientiæ, neque fortitudinis, aut aliarum virtutum præſidiis munitus ſis. Periculoſum ſanè concionatoris munus eſt, maximiſque periculis obnoxium: ideóque oportet, vt ad Deū confugiat, & illi ſemper adhæreat: quandoquidem ad eum ſpectat ſolidas populo veritates prædicare, quas mundus odio proſequitur. Sibíque perſuadeat tunc ſuum munus non rectè exercere, cùm detractores & æmuli deſunt. Diuina tamen aſpirante gratia hæc omnia ſuperabit. Nam licet virtus per aliquod tempus depreſſa iaceat, tandem caput erigit. Tempus enim omnium rerum medicus eſt: interim tamen ſpem & fiduciam in Deo habeto. Reliquum eſt, vt receptui canamus, dum illud Diui Gregorij retulerim in hæc verba dicentis. Ne immoderatis laudibus erigamur, plerumque ſummo redēptoris noſtri moderamine detractionibus lacerari permittimur: vt cùm vox laudantis eleuat, lingua detra-

hentis humiliter. Prouidntia namquediuina factum eſt, nec non & ineffabili eius miſericordia ordinatum, vt dum ex vna parte ſunt noſtræ doctrinæ, & prædicationis laudatores, ex alia ſint detractores & inuidi: vt, ſic oppreſſi, animi elationem fugiamus. Debilis quidem natura eſt, quam ſic ſubleuare decet

De ſcientia & ſtudio Concionatoris.

Cap. II.

VT recta ſerie procedamus, poſtquam de bonitate concionatoris diximus; ſubſequitur, vt de ipſius ſtudio, & ſcientia nonnihil dicamus. Pſaltes ille Dauid, vt bene notat Diuus Ambroſius, poſtquam dixit. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: poſtquam locutus eſt de virtute, ſubiunxit dicens: Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius. Prius enim de ipſa bonitate, mox de ipſa ſcientia locutus eſt. Idémq; in Pſalmo centeſimo decimo octauo dixit: Bonitatem & ſcientiam doce me. Quo loci quamuis Dauid ipſe à Deo maximo petit, vt illum doceat ſcientiam: (ſiquidem nihil omnino ſine eo haberi poteſt,) ad hæc tamen & literis vacare, & ſub præceptorum doctrina ſuſtinui, & libros euoluere, inſuper egregiis quibuſque concionatoribus ſubijci oportet. Deo namque placet, vt viciſſim quidam aliis ſubijciantur, & quòd literis incumbant, & libros inſuper euoluant. Decet ergo ſtudere & laborare: nec omnia ad orationis auxilium remittere. Vt quidam temerarij,

tentantes Deum faciunt, quorum quidem iactantiam & inſolentiam egregiè ſatis Diuus Auguſtinus in præfatione librorum de doctrina Chriſtiana confutat. Expedit itaque concionatori variis ſcientiis delibutum eſſe. Namque Eſther reginam pediſſequæ comitabantur, & vni innitebatur, altera verò procidentia in humum indumenta geſtabat. Sacra ſcriptura eſt quaſi quædam regina, quæ aliis inſuper ſcientiis comitari debet. Concionatori itaque expedit (ſiquidem ſacræ ſcripturæ interpres eſt) vt ſcientiis aliis præditus ſit, atque perdoctus. Nam illi qui liberalibus artibus aut ſcholaſtica Theologia exuti intrepidè ſacram ſcripturam aggreſſi ſunt enodare, in pleroſque lapſos errores cernimus. Igitur tam liberalium diſciplinarũ, quàm Theologiæ concionatori cuique expedit non ignarum eſſe. Inſuper & hiſtoriarum notionem habeat oportet. Et quia orator erga populum extat, Rhetoricam & eloquentiam vtpotè natiuam & acquiſitam teneat oportet: & plerumque inſuper rerum humanarum calleat, vt rerum fabrilium varia nomina, etiam horum inſtrumenta, denique rerum vniuerſitatem tenere ſtudeat: vt cùm inueniendæ fuerint comparationes, ne impropria & abſona applicet. Nimium acturus de præda, venatione, bello, nauigatione, aut de aliis quibuſque mechanicis artibus & de inſtrumentis earum & hiſce ſimilibus. Ad hoc enim vt cõgruus de rebus iſtis ſermo fiat, oportet quidem eas noſſe, ne earum artium fabri, impropria ſuis aptari artibus videntes, irrideant. Verùm quonam pacto aſſiduum Apoſtolorum naufragium ſignificabis, cùm tamen quidnam carchehum, & rudens, quid ſentina, & clauus ſit, prorſus

ignores? Et ſicut dicere cœpimus ſcholaſticam Theologiam ſcire tenetur, non vt arduas & acutas nimis in eo loco quæſtiones diſputet: ſed ea opus eſt duntaxat vt abſcondita ſacræ ſcripturæ myſteria cognoſcat, & indagando ea penetret: & inſuper vt quam prædicat doctrinam, pro viribus defendat, & deinde vt modeſtè, caſtéque loquatur. Sine cuius fundamento non poterit ſe ſuſtinere. Et propè quidem eſt vt erroneas, falſas, diſſonáſue aut ſubobſcuras propoſitiones doceat, aut vt eiuſmodi terminis ſcandalum pariant. At concionatori cùm expediat, in quacunque ſcientia peculiarem ſibi comparet doctorē, cuius dictis & aſſertis alludat: præſtat inter ſcholaſticos Diuus Thomas, & inter Eccleſiaſticos D. Chryſoſtomus. Hi nanque duo doctores ſint concionatori præ omnibus aliis tanquam familiares & ſodales. Ille namque variis & acutis diſceptationibus indagando veri culmen attingit, vt eſt mos ſcholaſticorum: & inter omnes Diuus Thomas morales conceptus ad pulpitum ſpectantes melius excitat. Nam ſi illud de quo habet concionator pertractare de vitiis, aut de virtutibus ſit, & concionatoris munus ſit & vitia taxare, & virtutibus alios inſtruere (ſicut & Beatus P. Franciſcus in viuendi formula tradidit loquens de prædicatoribus dixit, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam) quis inter ſcholaſticos hoc idem pertractat ſicut Thomas in prima ſecundæ? Hunc quidem librum inter reliquos Diui Thomæ præ oculis ſemper habeto. Nam ſi aduerſus peccatum & eius malitiam inſurgas, quæ materia triſtiſſima eſt, & quæ paſſim ſe offert pertractãda: quis præſtantius & luculentius idipſum peragit! quàm

D. Thomas prima ſecundæ, à quæſtione ſeptuageſima prima, vſque ad nonageſimam quæſtionem? Verùm ſi de admirabili Redemptoris noſtri vita habes pertractare, quis tam longè, latéq; quàm ipſe Diuus Thomas in tertia parte ſermonem facit: vtpotè de Chriſti incarnatione, & eius Natali, Circunciſione, Baptiſmate, Tentatione, Cõuerſatione, Miraculis, Transfiguratione, paſſione, & Glorioſa Reſurrectione? Hæc omnia ſæpiſſimè ſe offerũt prædicanda: & inter omnes Diuus Thomas planè idipſum diſcutit, & optima ſerie, vtpotè lucidiſſimis aſſertionib. in quolibet voluminis articulo diſponit. At verò inter Eccleſiaſticos Doctores ſufficit Chryſoſtomi nomen audire, eum vt quiſque concionator maximi pendat. Qui quidem pro ſua ſingulari eruditione & dicendi lepore tale nomen ſortitus eſt. Ipſe namq; inter omnes diuino quaſi numine adiutus doctrinam ſuam optimè conditam & aptatam nobis proponit: Ex Euangelij contextu moralem doctrinam deducendo, & plerumque mirificè digrediendo, & congruentiſſimè ſcripturæ loca aptando, purè, & gratis comparationibus, per modum ſimilitudinis. De quo nonnihil vt prædicem, libenter quidem fateor inter ipſos Eccleſiaſticos tam priſcos, quàm neotericos Doctores primas tenere. Præter ipſam ſcholaſticam Theologiam (quam vt fundamẽtum noſtræ prædicationis ſuppoſuimus) Euangelicus concionator in euoluendis ſacræ ſcripturæ voluminibus maximè debet eſſe verſatus, iterum ac iterum ſacra Biblia euoluendo. Hos tamen ſi placet ſimul euoluere licet, Nicolaum de Lyra, Abulenſem, Dionyſium Carthuſianum, vel Caietanum, literæ contextum probè intelligendo: nec non &

eius dubia. Hugonis tamen Cardinalis & Lyræ morale abhorreat & fugiat: quorum quidẽ moraliter ad placitum depingunt. Ad literæ tamen intelligentiam præſtabit Catena aurea Sancti Thomæ in Euangelia. Et Caietanus in eadem, Claudius Guillardus, & Ioannes Senius, Regulæ intelligendi ſcripturam ſacram per fratrem Franciſcum Ruyz Valliſoletanum, Abbatem S. Facundi etiam iuuabunt. Ad literam autem enodandam, & ad moralitates deducendas omnes doctores ſancti conferunt. Hi ſunt, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Bernardus, Gregorius, Bonauentura, Baſilius, Athanaſius, & cum his Origenes, Beda, & quæ nos nuper edidimus de vanitate ſæculi, & ſuper ſanctum Lucam. Hugo de ſancto Victore, Laurentius Iuſtinianus, ſi tamen ſit correctus & à plurimis erroribus expurgatus. Ioannes Ferus in Pentateuchum, & in Matthæũ, & Ioannem, inſuper & reliqui doctores. Veruntamen cùm ſupra dictum ſit quod materia concionatoris eſt de vitiis & virtutibus agere, præſtat Guillelmi Peraldi, de vitiis & virtutibus quædam ſummula: quamuis tractatus de vitiis præſtantior eſt, quàm ille: quem de virtutibus edidit; qua quidem ſummula non debet carere concionator, quin ſinu geſtanda eſt & lineis vbique ſignanda: & inſuper ſancti Euangelij loca adnotare, quæ ſuis materiis congruenter aptari poſſunt. Valet etiam ad hiſtoriarum notitiam Ioſephus, quia tractat de ſcriptura in libro de bello Iudaico. Et Textoris officina ad varias hiſtorias iuuabit. Interim tamen non poſſum non aduerſus eos inſurgere, qui perſtant adhuc dicentes, verbi Dei concionatores libris abundare non debere, qui ſcandalizantur, & obtre-

ctant, cùm librorum ſarcinas deportari cernunt. Quaſi verò prædicationis hoc munus abiectiùs & minoris momenti eſſet, quàm fabri ferrarij, aut lignarij ars: & ſic de aliis ſordidis artibus: quibus quidem exercendis pluſquam inſtrumentorum ſarcinas baiulare cernimus. Huiuſmodi libri prædicationis miniſterij huius quaſi quædam inſtrumenta ſunt, quomodo eis carere licebit? Qui ergo tantum munus exercere debet, eum non ignarum eſſe oportet. Scire autem non poterit niſi aſſiduis lucubrationibus diu, noctúque literis incumbat, quibus cum maximam familaritatem habeat oportet: public, forenſiáue loca abhorrens.

De materia prædicationis.

Cap. III.

OMnes quatuor ſacræ ſcripturæ ſenſus, vtpote Literalis, Moralis, Allegoricus, Anagogicus; omnes, inquam, probatiſſimos, & egregios eſſe fateor. Verùm concionator illis duobus literali, ſcilicet, & morali, plerumque vti debet. Quãuis antiqui Doctores, vt ſunt Auguſt. Ambroſ. & Origenes, & huius nominis alij, tam Græci, quàm Latini, allegoricis, anagogicíſue vſi fuerint. Inſuper & Apoſtolus in ſuis epiſtolis, peculiariter ad Galatas, & ad Hebræos. Nec idipſum aſſertis noſtris obſtat. Nam in principio, & coadunatione ſacroſanctæ militantis Eccleſiæ, Ethnicis, & Iudæis maximè congruebat ſermo allegoricus: vt lex Euangelica magis, ac magis ſtabiliri & confirmari poſſet, & nouella fidelium germina creſcerent: At verò cùm his noſtris temporibus Eccleſiæ

plantæ vberrimos fructus edidêre, modò noſtra concio non Ethnicis, quin potius ad fidelium conuertitur animos: qui quidem fideles, quamuis ſint piaculis debilitati, & criminibus cooperti, & languoribus delibuti, modò concionator maiorem fructum faciet, ſi moralem doctrinam prædicauerit, qua quidem & crimina taxantur, & virtutes docentur. Verùm moralibus doctrinis vt abundés, albeolum, ſeu quaternionem habeto, alphabeticis characteribus ordine ſignatum, & manu tento calamo, in euoluendis ſacris, & Eccleſiaſticis Doctoribus, ex eis quæcunque notatu digna ſunt excipito, ſerie iam alphabeti dicta, vt quæ ad auaritiam ſpectant, in verbo (Auaritia) & quæcunque ad charitatem faciunt, in verbo (Charitas) & ſic de aliis. Præſtiterit etiam alium inſuper habere codicem, ſeu albeolum, in quo quidem per totius anni Euangelia diſcurrens, quæque literæ conſentanea tibi videbuntur, percipies, & ad propoſitum applicabis. Omne ſtudium omníſque opera non ſufficit, niſi Euangelicus concionator natiuam habeat prudentiam, & conſilium, quamuis maximus Theologus ſit. Hactenus tamen neminem in ſacra ſcriptura illuſtrem, & præclarum vidimus, & in hoc prædicationis munere inſignem, quin ſingulari viguerit iudicio, & ſubtili ingenio excelluerit. Et ſic non debet ad prædicandum mitti ille, qui iudicij inops, & conſilij expers, diſceruiculo priuatus exiſtit. Cæterùm de ſe hoc intelligat, ad tantum, támque præclarum munus non propriis meritis fuiſſe volatum. Certum enim eſt quòd ille qui mutilum, & diſperſum habet iudicium (quãuis literis delibutus ſit, & ſanctitate præditus,

propè eſt, vt in varios, plurimóſque incidat errores, riſúmque moneat: & tandem ſcandalum tumultúmque oriri faciet. Itaque diſcerniculum & verborum delectum habere debet, vt quæ in voluminibus habentur congruentia eligat, & in ſignatum locum excepta reponat. Cęterum qui minus idoneus eſt, quàm vt hæc ipſa re efficiat, & diſcernat, aut eo ſit ingenio, vt ſuis locis applicare neſciat, id quod optimè quadret, ita vt ipſa iactura optimè conſuta maneat, incongruentiſſimum ſibi erit tantum munus adire.

De ſenſu literali. CAP. IIII.

ID verò, quod concionator tenetur facere, primum quidē eſt, Euangelij literam probè callere, quam nimirū habet prædicare, ſecundùm illud D. Hieronymi in cap. 4. Prophetæ Amos. Debemus ſcripturam ſanctam primum, ſecundum verò literam intelligere. Nec eo duntaxat contentus ſit, ſi per Miſſale viderit Euangelium, veruntamen Biblia conſulat in ſuo originali, nec non & ante habita verba perlegat. Nam, vt idem ipſe Diuus Hieronymus ait, ex antecedentibus, ſubſequentibus, colligitur verus ſcripturæ ſenſus. Nec ſatis eſt, ſi ipſum originale textus Euangeli ci viderit, ſed alium inſuper Euangeliſtam, ſi idem pertractat, conſulat: quia (vt Auguſtinus ait) in vnius Euangeliſtæ expoſitione videndum eſt, quid alij Euangeliſtæ dicant, cùm ille locus exponitur. Vnus namque Euangeliſta, eſt quaſi alterius commentum, & cum luculenter exponit. Quod ſi Petri negationes noſſe deſideras, quas S. Matth. ſcribit Marcum

Sup. ca. 25. Mat

Aug. li. de adulterinis coniugii, cap. 11. & 12.

cum conſulito. Mox ſi ciuitatem illam, de qua Matthæus ait: Aſcendens Ieſus nauiculam venit in ciuitatem ſuam: quænam ciuitas ſit, ſcire ſtudes, conſule S. Marcum, qui eam Capharnaum appellat Et ſic de reliquis. Videre tamen maximè licet, quorſum parabolæ tendant, & ad quem nam finem dictæ ſint. Inſuper & doctrinam, quam habet prædicare, quò tendat præuideat oportet. Defectu cuius, pleroſque aberraſſe periculo compertum eſt, peculiariter in parabolarum dilucidatione: ob cuius etiam defectum totidem offenderunt in illius Prodigi filij parabolæ expoſitione Cuius quidem parabolæ initium ſi probè conſpexeris, Phariſæorum calumniis, & detrectationibus innititur, cùm Chriſto Domino obtrectabant, dicentes: Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Vbi illud pronomen demonſtratiuum, hic Chriſtum demõſtrat, qui peccatores illos recipiebat. Modò in illa parabola, quæ eſt huius obtrectationis reſponſio, pater ille, qui recipit filium prodigum, Chriſtus eſt, qui peccatores vt clementiſſimus pater recipit, hi ſunt qui à Chriſto paſcuntur, & Chriſtus qui paſcit eos. Maior autem filius, ſignificat Phariſæos, qui murmurabant. Et reſponſum patris, cùm dixit: Fili tu ſemper mecum es, eſt Chriſti reſponſum ad Phariſæos, quo cũ concludens, probè colligit factum eſſe, & ſe peccatores recipere, & cum eis manducare. Veruntamen quoniam longè, latéq; hanc eandem parabolam in noſtris enarrationibus ſuper Lucam perſtrinximus, nolumus hic moram facere. Vnum ſi poſſim adnotauerim duntaxat, nempè quorundam væcordiam, qui huius parabolæ verba, exactúmque finem quò tendit, non penſantes, nec

Mat. 5

vnde habeat ortum, in eam plerique venerunt ſententiam, vt dicerent, maioris filij obtrectationem & patris reſponſum, ad ornatum parabolæ poni duntaxat. In hoc hæſitantes, qui putabant filium maiorem, verè iuſtum eſſe. Cùm tamen ſecundum æſtimationem ſuam & populi reputationem, ſolum inſtar Phariſæorum extitiſſet. Plores alij dixerunt, vitulum illum ſaginatum, Chriſtum Dominum eſſe, in ara crucis torridum, & pro nobis liuore confectum. Quos interrogo, ſi Chriſtus, pater ille eſt, vti vitulus ſaginatus erit? Hi verò iuxta hoc nomen patris hæſitantes, quod quidem æterno duntaxat, cæleſtique patri aſcribunt præſentem parabolam de patris æterni erga peccatores miſericordia, debere intelligi affirmant. Cùm Chriſti Domini intẽtum in hac parabola nequaquam eiuſmodi ſit. Phariſæi namq; non murmurabant de Deo, propterea quod miſericors, & pius eſſet: ſed de Chriſto duntaxat, quem Deum eſſe non credebant, ſiquidem cum improbis & peccatoribus incedebat. Quòd ſi obiter Redemptor noſter ſuam nobis pietatem, & miſericordiam vult oſtendere, quoniam ſupra modũ peccatores diligebat. Verùm quòd Chriſtus eis probare intendebat, nimirum erat, quòd bene faceret, ſi cum peccatoribus incederet, & manducaret, quemadmodum ille pater probè fecit, qui filium prodigum ſuſcepit, & pauit, Et conſequenter eos arguendos fore, qui de optimè facto murmurabãt. Nonnulli verò in Dominica tertia poſt Pentecoſten in ea parabola de illo, qui centum poſſidebat oues ad hunc modum exponunt, dicentes, quod Chriſtus paſtor omnium, relictis nouem Angelorum Choris, venit in mundum, vt errantem ouem

tempe hominem in gremium reduceret. Si Phariſæi Chriſto quicquam imponerent, eò quòd reliquit Angelos, vt cum hominibus communicaret, bene quidem iſtorum ratio habuiſſet: modò Phariſæi ex eo murmurabant, quod peccatores reciperet, eos contemneret. Vnde liquet ab hominibus ad homines, non autem ab Angelis ad homines, comparationem fieri. Ioannes verò Eckius in Homiliis in hanc Dominicam pleraque nimis irrationabil a congerit: quæ omnia ex quibuſque iam priſcis nec infimæ notæ Doctoribus traxit, quos ſui honoris gratia prætermitto. Hæc omnia, & huiuſmodi alia emanant ex nimia inconſideratione eorum, quæ maximam poſtulant attentionem, nec quò verba Chriſti pergant intelligentes, nec dictorum cauſam examinantes: quæ omnia maxima cum vigilantia ſunt penſanda, & oculatius inſpicienda, & maximè parabolarum interpretationes. Reliquum eſt, in varios prolabi errores, qui hæc non conſiderant, & pleraque irrationabilia fari, vt audiſſe me fateor quoſdam de ſe nonnihil exiſtimantes, qui egregios ſanè concionatores ſe prædicant, dum magnam populi turbam ſibi aſtare cernunt. Nequit inſuper illius vineæ parabola in Dominica ſeptuageſimæ intelligi, niſi videris prius capitulum, quod antea Sanctus Matthæus ſcribit, cùm iuuenis ille Chriſtum interrogauit, quid ſibi faciendum foret, vt vitam æternam conſequeretur, collatis illis cum D. Petri verbis plana erit hæc parabola, aliàs ſubobſcura erit. Nec illud facilè intelligetur. Erunt nouiſſimi primi. Et illud: Multi ſunt vocati. Et inſuper priorum murmuratio. Abſint à nobis pleraq; concionatorũ figmẽta, quæ audiſſe

Mat. 20

Mat. 19

me fateor, & eatenus aures noſtras offenderunt, & mentem turbatam reliquerunt, vt abire protinus compulſus fuerim, miratus huiuſmodi modicæ mentis hominibus tantum munus commiſſum fuiſſe. Hoc duntaxat articulo, vltimam his manum imponam, nec plura congeram exempla. Te exhortor, ô concionator, iterúmque moneo, ne ſacra explicans verba, quicquam falſi Deo imponas, & verum, literalémq; ſenſum ne torqueas, & quæ nuſquam Spiritus ſanctus excogitauit, dixeris. Delirium enim eſt pro tuo libro ſacrã ſcripturam interpretari, & germanum ſenſum deprauare. Hoc enim audientium aures maximè offendit. Denique poſtquam malè audieris apud eos, & pro ſtulto habitus fueris, neſcio an eorum animos moueas, cùm adhuc eis moleſtus fueris, & pene ſcandalizati remanſerint.

Secundò notandum eſt iuxta hunc literalem ſenſum, & in parabolis peculiariter, in quibus maior extat difficultas, quod ſemper attendat concionator præcipuum parabolæ intentum, & finem, & quò Chriſti verba tendant, relictis eiſdemmet verbis, quæ ad ornatum parabolæ adduntur, ſecundum regulam, & ſententiam Diui Chryſoſtomi, à quo nonnulli videntur deuiare, *Ho. 48. in Mat.* qui quidem pleraque inepta congerunt, & nullius momenti puerilia penſitant. Fingunt enim cùm dicitur in illa parabola: Commoda mihi *Luc. 11.* tres panes, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum ſignificari: Et alij, Fidem, Spem, & Charitatem oſtendi. Hi verò qui huiuſmodi non offenduntur, cognoſcant ſe conſilij vacuos eſſe, & omnino expertes rationis. Plerique verò alij in illa parabola de decem virginibus, quare quinque *Mat. 25.* fatuæ, & quinque prudentes, dicunt? quas quin-

que ſenſus nuncupant. Alij verò cur nonaginta oues in deſerto relictæ ſunt, quæritant: tandem in verba hæſitantes (vtpotè in nouenario numero) dixerunt nouem Angelorum choros eſſe. At verò quò illa parabola de quinque virginibus fatuis, & quinque prudentibus tendat? Illud quidem eſt vt nos ad bene, honeſtéque viuendum excitet: & hoc vbique, & ſemper, ſiquidem diem neque horam neſcimus. Haud tamẽ tẽporis iacturam faciamus, in poſterum pœnitentiam differentes, ne forſan præter ſpem iudex adueniens à nobis ſtrictiſſimam exigat rationem. Quod ſi præter hanc ipſam doctrinã, quæ præcipua eſt, nonnulla alia documẽta ex hac parabola licet deducere. Cæterùm diſceptare, cur quinque & quinque dixerit, nimirum hoc eſt temporis iacturam facere. Chriſtus namque Redemptor noſter, verborum vrbanitatem obſeruauit: ſat enim erat decem virgines ſignare, vt nuptias cum iubilo celebrarent, & quinque, & quinque ordinatam ducerent choream. Qui ſi centum dixiſſet, non ita vrbanè, ſed incongruè locutus eſſet. Idémq; in parabola de illis tribus panibus. Inhoneſtũ enim foret quinquaginta mutuaſſe panes. Et ſanè ridiculum, ſi duobus ſaturandis duntaxat, quinquaginta panibus opus eſſet. Verùm dixit: Commoda mihi tres panes, vt vrbanè, congruéque loqueretur, ne fortè poſtea deficerent panes. Idem dicendum cenſeo de illis ouibus. Mille nanque oues à paucis poſſidentur, infra centum verò non faciunt gregem: veruntamen quaſi commune quidem eſt: diſſerere autem cur centum magis, minúſue non dixit, eſt tempus omnino conſumere: nec aliud in hoc latet myſterium, præterquam quòd Redem-

D. Thomas prima ſecundæ, à quæſtione ſeptuageſima prima, vſque ad nonageſimam quæſtionem? Verùm ſi de admirabili Redemptoris noſtri vita habes pertractare, quis tam longè, latéq; quàm ipſe Diuus Thomas in tertia parte ſermonem facit: vtpotè de Chriſti incarnatione, & eius Natali, Circuncisione, Baptiſmate, Tentatione, Cõuerſatione, Miraculis, Transfiguratione, paſſione, & Glorioſa Reſurrectione? Hæc omnia ſæpiſſimè ſe offerũt prædicanda: & inter omnes Diuus Thomas planè idipſum diſcutit, & optima ſerie, vtpotè lucidiſſimis aſſertionib. in quolibet voluminis articulo diſponit. At verò inter Eccleſiaſticos Doctores ſufficit Chryſoſtomi nomen audire, eum vt quiſque concionator maximi pendat. Qui quidem pro ſua ſingulari eruditione & dicendi lepore tale nomen ſortitus eſt. Ipſe namq; inter omnes diuino quaſi numine adiutus doctrinam ſuam optimè conditam & aptatam nobis proponit: Ex Euangelij contextu moralem doctrinam deducendo, & plerumque mirificè digrediendo, & congruentiſſimè ſcripturæ loca aptando, purè, & gratis comparationibus, per modum ſimilitudinis. De quo nonnihil vt prædicem, libenter quidem fateor inter ipſos Eccleſiaſticos tam priſcos, quàm neotericos Doctores primas tenere. Præter ipſam ſcholaſticam Theologiam (quam vt fundamẽtum noſtræ prædicationis ſuppoſuimus) Euangelicus concionator in euoluendis ſacræ ſcripturæ voluminibus maximè debet eſſe verſatus, iterum ac iterum ſacra Biblia euoluendo. Hos tamen ſi placet ſimul euoluere licet, Nicolaum de Lyra, Abulenſem, Dionyſium Carthuſianum, vel Caietanum, literæ contextum probè intelligendo: nec non &

ius dubia. Hugonis tamen Cardinalis & Lyræ
norale abhorreat & fugiat: quorum quidẽ mo-
aliter ad placitum depingunt. Ad literæ tamen
ntelligentiam præſtabit Catena aurea Sancti
Thomæ in Euangelia. Et Caietanus in eadem,
Claudius Guillardus,& Ioannes Senius, Regulæ
ntelligendi ſcripturam ſacram per fratrem
Franciſcum Ruyz Valliſoletanum, Abbatem S.
Facundi etiam iuuabunt. Ad literam autem eno-
andam, & ad moralitates deducendas omnes
doctores ſancti conferunt. Hi ſunt, Auguſtinus,
Chryſoſtomus, Bernardus, Gregorius, Bona-
entura, Baſilius, Athanaſius,& cum his Orige-
es, Beda, & quæ nos nuper edidimus de vani-
ate ſæculi, & ſuper ſanctum Lucam. Hugo de
ancto Victore, Laurentius Iuſtinianus, ſi tamen
it correctus & à plurimis erroribus expurgatus.
oannes Ferus in Pentateuchum, & in Matthæũ,
& Ioannem, inſuper & reliqui doctores. Ve-
untamen cùm ſupra dictum ſit quod materia
oncionatoris eſt de vitiis & virtutibus agere,
ræſtat Guillelmi Peraldi, de vitiis & virtuti-
us quædam ſummula: quamuis tractatus de vi-
is præſtantior eſt, quàm ille: quem de virtuti-
us edidit; qua quidem ſummula non debet ca-
ere concionator, quin ſinu geſtanda eſt & lineis
bique ſignanda: & inſuper ſancti Euangelij lo-
a adnotare, quæ ſuis materiis congruenter apta-
i poſſunt. Valet etiam ad hiſtoriarum notitiam
oſephus, quia tractat de ſcriptura in libro de
ello Iudaico. Et Textoris officina ad varias
iſtorias iuuabit. Interim tamen non poſſum
on aduerſus eos inſurgere, qui perſtant adhuc
icentes, verbi Dei concionatores libris abun-
are non debere, qui ſcandalizantur, & obtre-

ctant, cùm librorum ſarcinas deportari cernunt. Quaſi verò prædicationis hoc munus abiectiùs & minoris momenti eſſet, quàm fabri ferrarij, aut lignarij ars: & ſic de aliis ſordidis artibus: quibus quidem exercendis pluſquam inſtrumentorum ſarcinas baiulare cernimus. Huiuſmodi libri prædicationis miniſterij huius quaſi quædam inſtrumenta ſunt, quomodo eis carere licebit? Qui ergo tantum munus exercere debet, eum non ignarum eſſe oportet. Scire autem non poterit niſi aſſiduis lucubrationibus diu, noctúque literis incumbat, quibus cum maximam familaritatem habeat oportet: public, forenſiáue loca abhorrens.

De materia prædicationis.

Cap. III.

OMnes quatuor ſacræ ſcripturæ ſenſus, vtpote Literalis, Moralis, Allegoricus, Anagogicus; omnes, inquam, probatiſſimos, & egregios eſſe fateor. Verùm concionator illis duobus literali, ſcilicet, & morali, plerumque vti debet. Quãuis antiqui Doctores, vt ſunt Auguſt. Ambroſ. & Origenes, & huius nominis alij, tam Græci, quàm Latini, allegoricis, anagogicíſue vſi fuerint. Inſuper & Apoſtolus in ſuis epiſtolis, peculiariter ad Galatas, & ad Hebræos. Nec idipſum aſſertis noſtris obſtat. Nam in principio, & coadunatione ſacroſanctæ militantis Eccleſiæ, Ethnicis, & Iudæis maximè congruebat ſermo allegoricus: vt lex Euangelica magis, ac magis ſtabiliri & confirmari poſſet, & nouella fidelium germina creſcerent: At verò cùm his noſtris temporibus Eccleſiæ

plantæ vberrimos fructus edidêre, modò noſtra concio non Ethnicis, quin potius ad fidelium conuertitur animos: qui quidem fideles, quamuis ſint piaculis debilitati, & criminibus cooperti, & languoribus delibuti, modò concionator maiorem fructum faciet, ſi moralem doctrinam prædicauerit, qua quidem & crimina taxantur, & virtutes docentur. Verùm moralibus doctrinis vt abundés, albeolum, ſeu quaternionem habeto, alphabeticis characteribus ordine ſignatum, & manu tento calamo, in euoluendis ſacris, & Eccleſiaſticis Doctoribus, ex eis quæcunque notatu digna ſunt excipito, ſerie iam alphabeti dicta, vt quæ ad auaritiam ſpectant, in verbo (Auaritia) & quæcunque ad charitatem faciunt, in verbo (Charitas) & ſic de aliis. Præſtiterit etiam alium inſuper habere codicem, ſeu albeolum, in quo quidem per totius anni Euangelia diſcurrens, quæque literæ conſentanea tibi videbuntur, percipies, & ad propoſitum applicabis. Omne ſtudium omníſque opera non ſufficit, niſi Euangelicus concionator natiuam habeat prudentiam, & conſilium, quamuis maximus Theologus ſit. Hactenus tamen neminem in ſacra ſcriptura illuſtrem, & præclarum vidimus, & in hoc prædicationis munere inſignem, quin ſingulari viguerit iudicio, & ſubtili ingenio excelluerit. Et ſic non debet ad prædicandum mitti ille, qui iudicij inops, & conſilij expers, diſceruiculo priuatus exiſtit. Cæterùm de ſe hoc intelligat, ad tantum, ámque præclarum munus non propriis meriis fuiſſe volatum. Certum enim eſt quòd ille ui mutilum, & diſperſum habet iudicium (quāis literis delibutus ſit, & ſanctitate præditus,

propè eſt, vt in varios, plurimóſque incidat errores, riſúmque moneat: & tandem ſcandalum tumultúmque oriri faciet. Itaque diſcerniculum & verborum delectum habere debet, vt quæ in voluminibus habentur congruentia eligat, & in ſignatum locum excepta reponat. Cęterum qui minus idoneus eſt, quàm vt hæc ipſa re efficiat, & diſcernat, aut eo ſit ingenio, vt ſuis locis applicare neſciat, id quod optimè quadret, ita vt ipſa iactura optimè conſuta maneat, incongruentiſſimum ſibi erit tantum munus adire.

De ſenſu literali. CAP. IIII.

ID verò, quod concionator tenetur facere, primum quidē eſt, Euangelij literam probè callere, quam nimirū habet prædicare, ſecundùm illud D. Hieronymi in cap. 4. Prophetæ Amos: Debemus ſcripturam ſanctam primum, ſecundum verò literam intelligere. Nec eo duntaxat contentus ſit, ſi per Miſſale viderit Euangelium, veruntamen Biblia conſulat in ſuo originali, nec non & ante habita verba perlegat. Nam, vt idem ipſe Diuus Hieronymus ait, ex antecedentibus, ſubſequentibus, colligitur verus ſcripturæ ſenſus. Nec ſatis eſt, ſi ipſum originale textus Euangelici viderit, ſed alium inſuper Euangeliſtam, ſi idem pertractat, conſulat: quia (vt Auguſtinus ait) in vnius Euangeliſtæ expoſitione videndum eſt, quid alij Euangeliſtæ dicant, cùm ille locus exponitur. Vnus namque Euangeliſta, eſt quaſi alterius commentum, & cum luculenter exponit. Quod ſi Petri negationes noſſe deſideras, quas S. Matth. ſcribit Marcum

Sup. ca. 25. Mat

Aug. li. de adulterinis coniugii, cap. 11. & 12.

um conſulito. Mox ſi ciuitatem illam, de qua
Matthæus ait: Aſcendens Ieſus nauiculam venit Mat. 9
in ciuitatem ſuam: quænam ciuitas ſit, ſcire ſtu-
es, conſule S. Marcum, qui eam Capharnaum
ppellat Et ſic de reliquis. Videre tamen maxi-
mè licet, quorſum parabolæ tendant, & ad quem
am finem dictæ ſint. Inſuper & doctrinam,
uam habet prædicare, quò tendat præuideat o-
portet. Defectu cuius, pleroſque aberraſſe pe-
culo compertum eſt, peculiariter in parabola-
um dilucidatione: ob cuius etiam defectum to-
dem offenderunt in illius Prodigi filij parabo-
æ expoſitione Cuius quidem parabolæ initium
probè conſpexeris, Phariſæorum calumniis,
detrectationibus innititur, cùm Chriſto Do-
ino obtrectabant, dicentes: Hic peccatores
cipit, & manducat cum illis. Vbi illud prono-
en demonſtratiuum, hic Chriſtum demõſtrat,
i peccatores illos recipiebat. Modò in illa pa-
bola, quæ eſt huius obtrectationis reſponſio,
ter ille, qui recipit filium prodigum, Chri-
us eſt, qui peccatores vt clementiſſimus pater
cipit, hi ſunt qui à Chriſto paſcuntur, & Chri-
us qui paſcit eos. Maior autem filius, ſignificat
hariſæos, qui murmurabant. Et reſponſum
tris, cùm dixit: Fili tu ſemper mecum es, eſt
hriſti reſponſum ad Phariſæos, quo cũ conclu-
ns, probè colligit factum eſſe, & ſe peccatores
cipere, & cum eis manducare. Veruntamen
oniam longè, latéq; hanc eandem parabolam
noſtris enarrationibus ſuper Lucam perſtrin-
mus, nolumus hic moram facere. Vnum ſi poſ-
n adnotauerim duntaxat, nempè quorun-
m væcordiam, qui huius parabolæ verba, ex-
túmque finem quò tendit, non penſantes, nec

vnde habeat ortum, in eam plerique venerunt ſententiam, vt dicerent, maioris filij obtrectationem & patris reſponſum, ad ornatum parabolæ poni duntaxat. In hoc hæſitantes, qui putabant filium maiorem, verè iuſtum eſſe. Cùm tamen ſecundum æſtimationem ſuam & populi reputationem, ſolum inſtar Phariſæorum extitiſſet. Plures alij dixerunt, vitulum illum ſaginatum, Chriſtum Dominum eſſe, in ara crucis torridum, & pro nobis liuore confectum. Quos interrogo, ſi Chriſtus, pater ille eſt, vti vitulus ſaginatus erit? Hi verò iuxta hoc nomen patris hæſitantes, quod quidem æterno duntaxat, cæleſtique patri aſcribunt præſentem parabolam de patris æterni erga peccatores miſericordia, debere intelligi affirmant. Cùm Chriſti Domini intētum in hac parabola nequaquam eiuſmodi ſit. Phariſæi namq; non murmurabant de Deo, propterea quod miſericors, & pius eſſet: ſed de Chriſto duntaxat, quem Deum eſſe non credebant, ſiquidem cum improbis & peccatoribus incedebat. Quòd ſi obiter Redemptor noſter ſuam nobis pietatem, & miſericordiam vult oſtendere, quoniam ſupra modū peccatores diligebat. Verùm quòd Chriſtus eis probare intendebat, nimirum erat, quòd bene faceret, ſi cum peccatoribus incederet, & manducaret, quemadmodum ille pater probè fecit, qui filium prodigum ſuſcepit, & pauit. Et conſequenter eos arguendos fore, qui de optimè facto murmurabāt. Nonnulli verò in Dominica tertia poſt Pentecoſten in ea parabola de illo, qui centum poſſidebat oues ad hunc modum exponunt, dicentes, quod Chriſtus paſtor omnium, relictis nouem Angelorum Choris, venit in mundum, vt errantem ouem

rempe hominem in gremium reduceret. Si Pha-
riſæi Chriſto quicquam imponerent, eò quòd
reliquit Angelos, vt cum hominibus communi-
caret, bene quidem iſtorum ratio habuiſſet: mo-
dò Phariſæi ex eo murmurabant, quod peccato-
res reciperet, eos contemneret. Vnde liquet ab
hominibus ad homines, non autem ab Ange-
lis ad homines, comparationem fieri. Ioannes
verò Eckius in Homiliis in hanc Dominicam
pleraque nimis irrationabilia congerit: quæ o-
mnia ex quibuſque iam priſcis nec infimæ notæ
Doctoribus traxit, quos ſui honoris gratia præ-
termitto. Hæc omnia, & huiuſmodi alia ema-
nant ex nimia inconſideratione eorum, quæ ma-
ximam poſtulant attentionem, nec quò verba
Chriſti pergant intelligentes, nec dictorum cau-
ſam examinantes: quæ omnia maxima cùm vi-
gilantia ſunt penſanda, & oculatius inſpicien-
da, & maximè parabolarum interpretationes.
Reliquum eſt, in varios prolabi errores, qui hæc
non conſiderant, & pleraque irrationabilia fa-
, vt audiſſe me fateor quoſdam de ſe non-
hil exiſtimantes, qui egregios ſanè concio-
natores ſe prædicant, dum magnam populi
turbam ſibi aſtare cernunt. Nequit inſuper illius
vineæ parabola in Dominica ſeptuageſimæ in- *Mat. 20*
telligi, niſi videris prius capitulum, quod antea
ſanctus Matthæus ſcribit, cùm iuuenis ille Chri-
ſtum interrogauit, quid ſibi faciendum foret, *Mat. 19*
vt vitam æternam conſequeretur, collatis illis
cum D. Petri verbis plana erit hæc parabola, aliàs
obſcura erit. Nec illud facilè intelligetur.
Erunt nouiſſimi primi. Et illud: Multi ſunt vo-
cati. Et inſuper priorum murmuratio. Abſint à
vobis pleraq; concionatorũ figmẽta, quæ audiſſe

que ſenſus nuncupant. Alij verò cur nonaginta oues in deſerto relictæ ſunt, quæritant: tandem in verba hæſitantes (vtpotè in nouenario numero) dixerunt nouem Angelorum choros eſſe. At verò quò illa parabola de quinque virginibus fatuis, & quinque prudentibus tendat? Illud quidem eſt vt nos ad bene, honeſtéque viuendum excitet: & hoc vbique, & ſemper, ſiquidem diem neque horam neſcimus. Haud tamẽ tẽporis iacturam faciamus, in poſterum pœnitentiam differentes, ne forſan præter ſpem iudex adueniens à nobis ſtrictiſſimam exigat rationem. Quod ſi præter hanc ipſam doctrinã, quæ præcipua eſt, nonnulla alia documẽta ex hac parabola licet deducere. Cæterùm diſceptare, cur quinque & quinque dixerit, nimirum hoc eſt temporis iacturam facere. Chriſtus namque Redemptor noſter, verborum vrbanitatem obſeruauit: ſat enim erat decem virgines ſignare, vt nuptias cum iubilo celebrarent, & quinque, & quinque ordinatam ducerent choream. Qui ſi centum dixiſſet, non ita vrbanè, ſed incongruè locutus eſſet. Idémq; in parabola de illis tribus panibus. Inhoneſtũ enim foret quinquaginta mutuaſſe panes. Et ſanè ridiculum, ſi duobus ſaturandis duntaxat, quinquaginta panibus opus eſſet. Verùm dixit: Commoda mihi tres panes, vt vrbanè, congruéque loqueretur, ne fortè poſtea deficerent panes. Idem dicendum cenſeo de illis ouibus. Mille nanque oues à paucis poſſidentur, infra centum verò non faciunt gregem: veruntamen quaſi commune quidem eſt: diſſerere autem cur centum magis, minúſue non dixit, eſt tempus omnino conſumere: nec aliud in hoc latet myſterium, præterquam quòd Redem-

ptor noſter, vt ſolet, vrbanè & politicè loquitur, & prudenter illud ſanè intendens in ea parabola. Nam vt probè factum fuiſſe conſtat, quòd paſtor ille relictis in deſerto ouibus, errantem quæreret ouem, & inuentam in humeris baiularet: ſiue illæ fuerint nonaginta, ſeu quinquaginta, quid ad rẽ? Eiuſmodi ſatis ſupérq; probè facere, ſi peccatores hos recipit & cum eis manducat & incedit. In parabola autem de tribus panibus, aſſiduum nobis orationis ſtudium commendat, & perſeuerantiam nobis in eamet ſuadet. Nam ſicut ille, qui panes mutuauit, qui tempus opportunum non ſpectauit, ſed media conſurgens noctis quiete, quo tempore omnes dormientes iacent, & quieſcunt, ad hæc tamen quia moleſtus iam fuit aſſiduè ianuam pulſans, ille motus ſurrexit, & dedit illi panes, quotquot poſtulauerat. Non ſecus tecum agetur ſi moleſtus fueris, & in orationis ſtudio continuus. Alias inſuper parabolas referre poſſem, ſed prædicta ad omnium exemplar ſufficiãt, vt probè concionator videat, quibus cura adhibenda ſit, & quænam intacta relinquenda. His duobus notabilibus ſatis intelliget concionator tam parabolicum, quàm literalem ſcripturæ ſenſum.

De morali ſenſu.

CAP. V.

RELIQVVM eſt modò (vt enim ſuperius tertio tetigimus capite, gemino ſenſu, vtpotè literali, & morali, quiſque concionator vti debet) poſtquam præcedenti capite plane literalem ſenſum prælibauimus, aggrediamur modò pertractare nonnulla, quæ ad Da-

ctrinam moralem facere videntur: quam quidem prædicare habet concionator, & congerie habita ſermonem ipſum adimplere, ſi audientium cœtui prodeſſe ſtudeat, & muneris ſui debitum perſoluere, quod maximè concionatorem mouere debet. Moralis itaq; ſenſus ſic habet. Eſt vtique doctrina illa, quæ ex viſceribus, & medulla contextus literæ deducitur, ad mores componendos; abſque eo quod ſibi contradicat. Dixerim abſque eo, quod ſibi contradicat: nam dum moralizat, nihil contrarium ſumet ei, quod in literali dixerit ſenſu. Exempli cauſa. Si prædicet Euangelium feriæ ſextæ, Dominicæ ſecundæ quadrageſimæ. In literali ſenſu, per vineam illam populus Iudæorum figuratur: & agricolæ, quibus vinea illa commiſſa fuit, ſunt quidem ſacerdotes templi, quibus Chriſtus loquebatur, Petierunt igitur ab eo: In cuius poteſtate hæc facis? Nam ementes, & vendentes è templo eiecerat. In illa autem parabola vult eis ſignificare, quod pro ſuis maximis demeritis priuati eſſent authoritate illa, quæ quidem gentibus tradenda foret, Modò vineam illam regnum Dei nuncupauit, dicens: Auferatur à vobis regnum Dei. Si literam ipſam explicando dixeris: vineam iſtam Eccleſiam eſſe, & volens moralizare hanc eandem vineam, animam dixeris: iam tibi ipſi imponis, & quod inficias eas planè conſtat: nam quod modò ais, negas. In ſenſu literali dicis Eccleſiam, & in morali animam. Morale quippe optimum, literali ſenſui non debet aduerſari: quin potius in ipſo fundari, & ab eo deduci neceſſum eſt. Et ita abſque eo quod longè petamus, morale quidem & doctrina illius parabolæ huiuſmodi haberet. Vide tibi, ò Epiſcope,

& qui animarum curam ſuſcepiſti. Tibi namque Eccleſia data eſt, vt vberrimos feras fructus Domino ipſius. Non vtique dominus eius creatus es: ſed duntaxat cultor, & rector extas, & cuſtos illius. Inſuper aduerte quod hæc vinea non quibuſcunque, ſed agricolis ſolummodo locatur, & quibus miniſterij huius ratio ſuggerit. Hæc Eccleſia non eſt tradenda aliis quàm ſapientibus & ſtudioſis viris, prudentibus, & benemeritis. Ad hoc autem vt epiſcopus, vel animarum curam ſubeas, non ſufficit te ſacerdotem eſſe, verùm quòd ſis agricola, neceſſum eſt. Non ſufficit presbyterum eſſe, ſed literis inſignitũ: & inſuper quod ſis præceptor & magiſter virtutib. delibutus. Cũ tempus fructus appropinquaſſet. Hic rationem bonorum ſuorum, quæ receperunt, cùm tempus appropinquauit exegit. At tu quod alij non receperunt, exigere ſtudes, ſi quidem infœcunditas temporis in cauſa fuit. Aduerte maximè Dei pietatem, & miſericordiam, qui tot, tantiſque affectus contumeliis, & à perſecutoribus iniuriis illatis, tamen nos tot, tantíſque viis aduocat. Humana malitia cõtra Dei bonitatem certabat, inquit Chryſoſtomus. Hæc duo, ſcilicet ineffabilem Dei miſericordiam, ſimul & humanam ingratitúdinem poteris intelligere, ac ſumma verborum copia ampliare: quæ quidem miſericordia, noſtra radicitus crimina exhauſit. Quinmò dona, & beneficia Dei in iis eò magis concreuerant, quò magis in eis demerita pullulabant: Siquidem filium ſuum ad eos miſit. Caue ergo tibi, ô Chriſtiane, ne his ipſis inuoluaris peccatis, &c. Cogitauerunt intra ſe, inquit S. Luc. Dic de peccatis cogitationum. Habebimus hæreditatem. O cupiditas inordinata, ó auiditas, ignis

inextinguibilis quot mala ſuggeris? Hi ſunt qui dixerunt: Si dimittimus eum ſic, venient Romani, &c. Adeſt hic latiſſimus campus auaritiam, & ambitionem taxandi. Inſuper aduerte quàm recta Dei iudicia ſint. Nam ipſimet peccatores in ſe inferunt ſententiam. Cuius quidem Chriſti Domini cauſa eò comprobata erat, vt in obtrectantium, & detrahentium manus eam tradiderit. *Ioan.11.*

Verùm quia in hac morali doctrina ſtat omne concionatoris fundamentum, atque materia, vt planius procedam, aliud inſuper addam exemplum: Cùm ſe obtulerit prædicandum Euangeliũ illud ſextæ Dominic poſt Pentecoſten, quod ſic habet. Miſereor ſuper turbam iſtam, & cet. In quo quidem videre licet quanta cum frequentia ac diligentia verbum Domini nobis audire expediat. Quippe cùm diuina voluntas in eo innoteſcit, ac palam nobis fit, quam & ſummo ſtudio inſectari nos decet, ſi perẽne optamus præmium conſequi: vt turba iſta faciebat, quæ irruebat anhelans, vt verbum Domini audiret. Vbi quidem præſto eſt correptio aduerſus eos, qui maxima cum væcordia ad audiendum verbum Dei excitantur. In eo autem: Nec habent quod manducent: nobis oſtẽditur, quanto maiore ſtudio ſpiritualia proſequebantur: & quanto minus pro his temporalibus angebantur, ſi quidem vt verbum Dei audirent, de victu non curabant. Et in Oratione Dominica, prius quidem poſtulamus: Adueniat regnum tuum: paulò tamen inferius. Panem noſtrum quotidianum. Ideo Dominus ac Redemptor noſter ait, Primùm quærite regnum Dei, &c. Liquet ex dictis correptionem in eos ferendam eſſe, qui pro ſalute animarum *Marc.8* *Matt.6.*

non laborantes, ardenti, nimioque ſtudio hæc temporalia appetunt. In eo autem: Miſereor ſuper turbam iſtam, ſignificatur nobis miſericordia, & prouidentia Dei, & etiam quod noſtris fauet neceſſitatibus: abſque eo quòd nimiam curam nos adhibeamus. Et quòd nòbis omnibus non modò ſpiritualia, verùm & temporalia ſuggerit, & circumque in particulari: quod ſi omnibus ſuggerit, non tamen gratia omnium, ſed pro eis duntaxat, qui in ſuis præceptis perſeuerant. Et quomodo eos non deſerit, qui ipſimet connectuntur, & aſtant. Quia quidem ratione filiis Iſ-
Exod. 16 rael pluit manna ad manducandum, & Eliam pa-
3. *Reg.* 18 uit in deſerto. Hoc idem apud Euãgeliſtam Mat-
Pſa 147 thęum habetur, & per Pſalmographum nobis oſtenditur. In verbo autem: Si dimiſero eos ieiunos, deficient in via. Nobis oſtenditur ac docemur quod ex nobiſmet nihil omninò poſſumus, niſi Deus faueat nobis: nec in his temporalibus, quæ ad eius molis victum ſpectant, quanto minus in ſpiritualibus poterimus? Namq; ſi Deus manum ſuam auferat à nobis, perimus. In verbo: Quis poterit iſtos ſatiare in ſolitudine? Humana quidem fragilitas nobis depingitur, ac modica fides ſignificatur. Quapropter omnem ſpem ſitam, locatámque in Deo habere nobis conducere. Cæterùm ſi deprauatam rationem conſulamus dumtaxat, plerunque diffidimus. Hi namque qui temere in Domino confidentes adhuc ſeſe mundo tradiderunt, taxandi quidem ſunt. Vt illi ab vrbe Bethulia fecêre Deum tentantes, qui cum Aſſyriis pactum inierunt, ſeſe Holoferni
Iudit. 8. tradituros, ſi intra quinque dierum ſpatium eis Deus non opitularetur. Quod cùm audiuit Iudith, moleſtè tulit, quos & meritò increpauit,

[I]n verbo: Quot panes habetis? Licet maximam Dei pietatem conſiderare, qui non pro demeritis, aut ſecundum modicam fidem noſtram, ſed ſecundum vbertatem magnificentiæ ſuæ nobis ſuggerit. Qui tametſi moram fecerit, ne deſperemus: nam per Prophetam dictum eſt: Si moram fecerit, expecta eum: veniens enim veniet, & non tardabit: In verbo: Gratias egit, nos doceamur ne ab aſſiduis & quotidianis laudibus pro beneficiis nobis illatis ceſſemus. In verbo autem: Tulerunt de fragmentis ſeptem, & cæt. nobis quidem ſuadetur, ne prodigalitatem exerceamus, ſed bonis Dei, vt congruum eſt, vtamur: nec ea prorſus vt pereant, relinquenda abſque illa prorſus neceſſitate. Tandem in verbo: Dimiſit eos, nobis præcipitur, & aduertitur pro bonis operibus ab hominibus mercedem haud fore expectandam, nec præmium, nec gloriam, nec aliquid aliud, niſi à ſolo Deo. Hoc ſummis hucuſque labiis prælibatum manet, in hæc duo Euangelia. Hæc quidem loca facilè adimpleri dilatariue tam ſcriptura, quàm comparationibus licebit: de quibus capite nono. Morale verò huiuſmodi debet eſſe, doctrinam ex nudo meróque Euangelij contextu deducere, abſque ipſius literæ contorſione, & chimericæ fictionis machinatione. *Abac. 2.*

De morali ſenſu, quem cauere debet concionator.

CAP. VI.

VT enim egregius Pſaltes inquit, non ſolũ facere bonum, ſed etiam diuertere à malo debemus: cũ hactenus de morali ſenſu, quẽ ex literæ contextu venari licet, prelibatum ſit, *Pſal. 35.*

reliquum eſt agere modò de alio ſanè incongruo morali, quo quidem multi codices ſcatent, & fere omnes ex antiquis ſermonariis; & inſuper quàm plurima loca Carthuſienſis, & alij quidem codices, quos retuliſſe incongruum eſt. Dicere nanque nauiculam illam, quam Redemptor noſter aſcendens, venit Capharnaum, pœnitentiam, Eccleſiámve, aut Chriſti crucem eſſe, & piſcinam Bethſaidæ pœnitentiam, aut baptiſma eſſe: & in feſto Aſſumptionis Deiparæ virginis dicere, vicum illum, quem Chriſtus adiuit, arcem eſſe virginem Mariam, & propugnacula eius, virtutes: & in Euangel. Dominicæ ſeptuageſimæ vineam illam, animam dicere: & Regulum illum Chriſtianum eſſe, & eius filium, languidam animam quæ infirmatur Capharnaum, hoc eſt, in deliciis, quia Capharnaum interpretatur, villa conſolationis: & in Dominica quarta quadrageſimæ quinque panes, quinque libros Moſi, aut quinque vulnera Chriſti dicere, & duos piſces, humanitatem eius, & diuinitatem ſignificare, incongruẽtiſſimum quidem eſt. Hæc quidem & huiuſmodi alia, quæ variis codicibus (indigna ſatis vt in lucem prodeant) perlegimus, & nuper à noſtris ſenioribus audiuimus, qui aures iam noſtras offenderunt, eos tamen in ſipientes populus miro audiebat applauſu, ſtultiſſima ſunt. Tu verò optime concionator, ſi veram concionandi normam, & optimum quemque dicendi characterem venari deſideras, hæc omnia deteſteris oportet, & ab huiuſmodi ingeniis diſcedas, atque eos irrideas, qui huiuſmodi monſtra collaudant. Cæterùm hoc ſibi quiſque ſuadeat, dum hæc doctrina ſuas non læſerit aures, longè ſatis abeſſe, vt probus concionator euadat. Quod

Mat. 6.
Ioan. 5.
Luc. 10.
Ioan. 4.
Ioan. 6.

quoſdam videris hæc laudare, quid mirum? Si-
iles enim habent labra lactucas. Hi homines
odicæ mentis pro ſuis quibúſque fictionibus,
uod Euangelica verba prætendunt nõ deguſta-
ant: qui præterquàm quòd literæ contextum
dulterabant, minus vtilem prædicabant doctri-
am. Duplex itaque vitium illa ſortiebatur do-
rina: ſcilicet, contortam, & prorſus mutilam
ſſe. Si enim horam vnam conſumpſero, dunta-
at, vt Virginem Mariam caſtellum fecerim, &
rcem fidem dixerim, deinde ipſam Virginem
omœrium, & turrim fecerim, quod obſecro e-
olumenti, aut commodi ex huiuſmodi compa-
aſti doctrina? Aut, quæ morum amputatio ma-
orum inde pullulauit, dicito mihi? Hoc ſanè eſt
d libitum depingere, & machinari monſtra: &
epe (vt aiunt) cælum facere. Verùm vt dicere nõ
repidaſti, nauiculam illam, quam Chriſtus aſ-
endit, pœnitentiam eſſe: ſimiliter & ego atra-
nentum, aut pileum eſſe cur non dixerim? Qui ſi
ſſertum tuum rationibus comprobes, eiſdem
go rationibus à me dictum fulciam: interim
amen ad libitum vtrique loquentes. Doctores
ancti, vt ſunt Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ori-
enes, & Baſilius, & in ſuis Homiliis Gregorius
on ſignabant in litera prælibanda vtpotè di-
entes duo triàve in hac cõcione agam, ſicut no-
tri ſenes facere conſueuerunt: ſed tantùm per
pſius literæ contextum digredientes, verùm &
ongruum ſenſum non deprauantes, vtilem ſanè
nimabus doctrinam exhauriunt, prædocendo
k inſuper monendo, & vitia taxando, & ſecun-
lùm propoſitum, doctrinam depromentes, non
dulteratam, & contortã. Barbari quidã homines
is propè lapſis temporibus inſurrexerunt, qui

ſanè egregium priſcorum dicendi characterem, quod illi paratiſſimo calamo depinxerunt, carbonibus ſuis abolentes, & quaſi meri Grammatici literam ſummis (vt aiunt) labiis deguſtantes, explicabant: & quæ intrinſecus latebant myſteria, quaſi ſcripturæ ſacræ literis exuti, & ſpoliati, non calluerunt: tanquam ad miſerorum refugium ad ſua ſe conferebant monſtra. Et vt in Tragicis actibus fieri ſolet, vnus & idem ſolus viciſſim perſonatus incedit, nunc Regis, nunc Paſtoris, nunc militis glorioſi, tandem pulchræ fœminæ & elegantis formæ perſonam acturus. Non ſecus hi concionatores videntur facere, qui typicum Iſaac in medium trahentes, quē Chriſtum ſignificare dicunt: & in eadem forma permanentem æternum patrem faciunt. Mox quaſi perſonatus incedens, hunc Chriſtianum repræſentare dicunt: & tandem in montem eundem conuertunt. Egregia quidem monſtra & probè machinati portenta.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris: vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem, mulier formoſa ſupernè,
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Hæc niſi deteſteris figmenta, & quaſi à facie aſpidis non ſubterfugias, eo quidem longè abeſt, vt probus concionator euadas, quàm ego vt volare queam.

Verùm cùm ſcriptoribus & his, qui ſua opera in lucem edere conātur, nuſquam æmuli aut detractores deſint, eodem modo fieri poteſt, vt quis inſurgat in me, dicens, iam priſcos ac ſanctæ ſcripturæ Doctores hoc morali, quod à me

exploditur, vſos fuiſſe, & proinde quòd abſque vlla mentis ratione illud reijciam. Cui obiectioni faciam ſatis. Dico, quòd ſancti Doctores nuſquam talia monſtra finxêre, nec typis, literíſve mandarunt, aut populo huiuſmodi prædicantur: videlicet, quod liber generationis Ieſu Chriſti (de quo Sanctus Matthæus) eſt virgo mater Dei, & quod eius ſpiritus eſt membrana, & eiuſdem corpus quaterniones, & Spiritus ſanctus adunator & glutinator: quod in feſtiuitate Natalis B. Virginis à noſtris ſenioribus plerumque me audiſſe fateor, & ab inſipientibus neotericis. Et in feſto Sanctæ Claræ à quodam illius temporis concionatore non infimæ notæ memini me Salmanticæ audiſſe, & cui copioſa populi turba ſemper aſtabat: ipſius concionis thema fuit, ex Pſalm. 47. dicens. Secundum nomen eius, ita & laus eius. Et in precatione, & ſalutatione Angelica ad Virginem, dixit, ipſius Virginis nomen multis retro ſæculis in ſacris literis fuiſſe prænunciatum, videlicet, cùm ſcriptura ait, quod congregationes aquarum appellauit Maria: vbi, Maria, pro nomine, Maria, quod eſt, Virginis nomen, ſumebat, quæ eſt congregatio aquarum, id eſt virtutum, & tunc temporis hoc ſibi nomen fuiſſe inditum. Alia quamplurima ſomnia hiſce paria, ne dicam peiora, populo prædicabant, quæ breuitatis gratia miſſa facio, ne ſtudioſi lectoris animum offendam: quos & nunc etiam aliquid hebetes ingenio imitantur: Num D. Auguſtinus hæc ſomniauit? Nunquid Hieronymus, Gregorius, Origenes, aut Chryſoſto. huiuſmodi ineptias ſcripsêre? Et licet Sancti Doctores, vt Gregorius in Moralibus ſuper ſanctū Iob, & Bernard. in Cantica, & alij etiam

Mat. 1 *Geneſ. 1*

aliquando hoc Morali vtantur, eam tamen nimiam dicendi licentiam, quam noſtri ſenes ſibi ſumpſerunt, nunquam vendicarunt. Qui ſi aliquando hanc Moralem doctrinam pingentes, non ſecundùm genuinum literæ contextum deduxerunt: ſufficit tamen quòd literæ non aduerſatur Sanctorum doctrina, & ſi alicubi à litera diſcedunt; eorum ſanctitas, & vitæ integritas commendant quidquid literis mandarunt. Eccleſia etiam indies ſcientia creſcit, & nouella quotidie illuſtratione fouetur. Quapropter hic noſter concionandi modus receptiſſimus eſt, & ſecundùm omnem rationem graphicè literæ conſentaneus. Quod ſi ſecundùm illius temporis ætatem illud congruebat, nunc verò hoc Morali vti decet, quod Græci Doctores ſibi adſcripſêre. Quippe qui in prædicationis normá, & loquendi facundia Latinos ſuperarunt. Itaque optimum Morale illud eſſe affirmo, eam videlicet doctrinam, quæ ex Euangelij viſceribus hauritur, ad componendos mores, ſine ipſius ſcripturæ torſione.

Non deſunt etiam aliqui inſipientes homines, qui putant hanc deprauatam quorundam moralem doctrinam, de qua præſens vertitur ſermo, allegoriam eſſe: quam vt chimericam; quia ego deteſtor, obtrectare non ceſſant petulantiſſimis ſuis linguis dicentes, non allegoricum ſenſum abolere, & funditus deſtruere. Ego verò vt maximè in fide Catholicus, omnes quatuor ſcripturæ ſenſus, & probo & eis alludo: quibus, & Sancti Doctores probè vſi ſunt. Hunc tamen (ne dixerim) ſenſum à nobis exploſum, nec Allegoricum, aut Moralem, nec Anagogicũ, Literalémve eſſe iam diximus, quin potius omninò deprauatum,

uatum, & pene tortum cenſemus: cuius quidem fundamentum habet in beneplàcito cuiuſcunq; inſipientis. Moralis namque doctrina exacta vt ſit, fundari debet in literæ contextu: & intrinſecus, quaſi, ex viſceribus eius depromi. Cuius quidem contrarium non allegoria dicenda eſt, ſed portenta, & ſomnia modicæ mentis hominum. Etenim cùm ſapientes quique viri ſuis fictionibus non alludunt, non ſecus ac inſolentes eos reputant, & quaſi elatæ mentis, & à veri tramite deuiantes iudicant.

Quomodo concionator hoc deprauato morali vti poſſit.

CAP. VII.

IPSA quidem experientia liquidum eſt, quod morſus viperinus, quamuis ſit lethalis, nonnullis tamen ipſa vipera, ſi applicetur morbis, ſanitatem confert. Et Lactantius Firmianus in lib. de ira Dei dixit: Viperam, ferunt, exuſtam, in cinerémque dilapſam mederi eiuſdem beſtiæ morſui. Ad hunc ſanè modum iuxta ſacræ ſcripturæ commenta, & moralitates, quamuis extortis literæ ſenſibus, & incongruo dicendi charactere delibuta ſint, hoc duntaxat verbo, inſtar, vel, ad ſimilitudinem huius, concionator vti poteſt. Scriptura namq; & peculiariter vetus teſtamentum, & etiam hiſtoriæ, ad ſimilitudinis modum, & non ſecus aptandæ ſunt: quod nimirũ adnotatione dignum eſt, & maximè quidem cõſiderandum. Nequit inſuper hoc inde intelligi, quàm ſi exemplis oſtẽdatur. Erat, verbi cauſa, quidam ex ſeniorũ numero concionator de Chriſti Domini profunda humilitate

prædicans, & quomodo ad illius ſimilitudinem nos humiles eſſe deceret: in hunc ſanè modum proponebat. De hac re typũ habemus, & quandam figurã. Cùm Rebecca, veniens è Meſopotamia, vt nuberet cum Iſaac, &c. Qua enarrata hiſtoria ſubdidit: Iſaac riſus patris interpretatur, & typicè de Chriſto dicitur: de quo æternus pater; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Mox ait: Rebecca, id eſt, impinguata, & incraſſata, hæc eſt anima noſtra, quam in regeneratione baptiſmatis Deus ditauit, & lorica fidei muniuit, &cæt. Hæc cùm viderit ſuum ſponſum Ieſum incedentem & humiliter gradientem debet quidem exæquare, & cuncta huius ſæculi caduca & lutulenta reſpuere, & cæt. Hæc ad prædictũ ſi dicantur modum, nihil omninò valent. Expedit ergo vt qui ſatis congruum enarrandi characterem venari deſiderat, omiſſis vetuſtatibus, in hunc modum dicat. Sicut olim Rebecca videns Iſaac deambulantem per viam, protinus de camelo deſcendit (inhoneſtum enim illi videbatur & turpe, quod cùm ſponſus ſuus deambularet, ipſa equitaret) eodem modo tu, ô Chriſtiane, vultum cõfundere tuum deberes, qui nimis auidè ad huius ſæculi lutulenta prædia anhelas & honores: cùm filium Dei cernas eatenus pro te humilem factum eſſe, quo magis nequiuit. Ad hunc ſanè modum ſcripturam veteris legis aptare debes ad modum ſimilitudinis: & ſic in reliquis exemplis, quæ ſubijciemus, vt magis hæc doctrina eluceſcat. Quẽadmodum Pharao Ægyptiorum Rex cùm adhuc ad ſe venientes cynifes cerneret, & propterea non conuerſus eſt, maiori deinde affectus eſt plaga: nam ex omni muſcarum genere

Marginal notes: *Gen.* 24. — *Matt.* 17. — *Exod.* 8.

ictibus afflictus eſt: nō ſecus qui in varijs prouoluti iacent peccatis, & ſunt maximis ſceleribus coinquinati, & Dei viſitationibus, & flagellis in hoc ſæculo non conuertuntur, maiora quidem eos ſupplicia manent in Infernū præcipitandos, theſaurizantes iram in die iræ. Item, quēadmodum triumphales currus, & munera, quæ Ioſeph Patri ſuo Iacob miſit, hæc quidem principatum. & dominiū Ioſeph in Aegypto oſtendebant. Si quidem tam mirifica & præclara dona parenti ſuo offerebat: eodē modò ſancti Spiritus dona, quibus Chriſtus ditauit Eccleſiam, teſtimonium quidem prohibebāt Chriſtum ad dexteram Dei ſedere in gloria Patris. Ideò Ieſus loquens Diſcipulis de aduentu Spiritus ſancti dixit eis: Cùm venerit Paracletus, ſpiritus veritatis, ille teſtimonium perhibebit de me. Item: Sicut omnes quatuor ſenſus Iſaac lapſi ſunt cùm Iacob filium ſuum benedixit, & auditus duntaxat verum prædixit, cùm dixit: Vox quidem vox Iacob, ac iudicauit, ità in ſacroſancto, ac profundiſſimo Euchariſtię Sacramento omnes ſimul ſenſus deficiunt, ſola fide integra manente, nempe, auditu: aliud enim tangimus ab eo, quòd fides nobis ſuggerit, & ab eo, quòd auditus percipit. Verùm, ne, exempla petendo, prolixior ſim, quàm par eſt, hoc tibi conſilij do. Pleroſque enim ſi euólueris codices præfata doctrina, & morali contorto, & deprauató delibutos reperies. Quod ſi ſeniorum ſatis incongruum dicendi characterem ad nouum, & vſitatum reducere ſtudes, mediocri ſanè ſtudio id facies, & à ſimili, vel per modū ſimilitudinis, tibi applica. Quòd ſi in omnibus iam mutatis, & priſcis moralitatibus hoc non teneat, in pleriſq; tamen vel ferè

Gene. 45.

Ioan. 15.

in omnibus tenebit, adhibita opera, ac ingenio mediocri. Attamen ne dixeris, paſtores illos, quibus Angelus in nocte natalis Chriſti Domini vigilias noctis obſeruantibus apparuit, antiſtites, & præſu'es ſignificare: & inſuper oui le, populum ſubditũ eſſe. Quòd ſi huiuſmodi doctrina vera ſit, cæterùm nimis inuſitata eſt, propter incongruum dicendi ſtylum. Ad hunc tamen ſi applices modum, congruum quidem erit, dicendo: Angelus Domini paſtoribus noctis vigilias obſeruãtibus apparuit. Cùm præſules, & Eccleſiæ Dei præpoſiti inuigilant, curam adhibentes pro ſalute populi: hi quidem Dei viſitationibus, ac ſpiritualibus conſolationibus digni ſunt. At ſi priſcorum dicendi ſtylo vtaris, vtpote hoc, eſſe illud ſi dixeris, aut per hoc illud intelligitur, iam prorſus aberraſti. Nam pro tuo quoque libito depingis. Quæ quidem dicendi phraſis ſapit doctrinam incongruam ſeniorum. Quod ſi horum dicendi modum & ſtylum mutaueris, cuncta etſi moralis doctrinæ contortæ, quæque tibi volumina proderunt. Duo tamen obſerues oportet (ſi in euoluendis libris emolumentum percipere ſtudes.) Primum eſt, vt verborum delectum habeas, & congrua quæque eligas, cætera verò omittas. Aliud verò vt verborũ delectu habito ſuis quibúſque aptare locis ſcias, ita vt ſecundùm propoſitum congruentiſſimè applicentur. His duobus tibi comparatis, non tibi obſtabunt deprauati moralis codices. Nam ſtrenuus miles telis quibuſque vtitur. Et Samſon aſini mandibula tot, vt cernimus, inimicos ſolo æquauit. Vt tamen receptui canamus, ſit omnium concluſio, nullum adhuc librum eſſe editum, quantumuis præclarum, & egregiæ notę,

Iudic 15.

quin in eo nonnulla ſuperaddere concionatorem oporteat: aut vero eatenus contorti ſenſus, & inueteratæ, inuſitatæque doctrinæ, quæ ſi, vt prælibatum eſt, mutetur, nonnihil commodi percipiet.

Vti ſermo Euangelicus componatur, ac fiat.

Cap. VIII.

POſtqvam Euangelij contextum ſatis intellectum, & prouiſum habuerit, quàm primùm ex animo ſe offerat, & tradat Deo, qui nimirum ait: Sine me nihil poteſtis facere. Summiſque precibus ab eo contendat, vt ſibi beneplacitum oſtendere & manifeſtare dignetur. Hoc enim eſt præcipuum, & ante habendum in concionibus tam ſibi, quàm populo. Quid enim prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Non congruit Euangelico concionatori: oſtentandi gratia, maximéve vt pendatur, vel ſapientiſſimum vt ſe omnibus præbeat, concionari. Hoc enim eſſet quaſi aciem retundere gladij. Faciet Maximus Deus, vt garrulus duntaxat euadat, qui ſe ipſum, vt oſtentet, prædicat: & Chriſtum haud prędicat, nec collaudat. Concionatoris autem finis, & ſcopus is debet eſſe, fidelium animas in viam ſalutis redigere, & Dei honorem zelans (quem ſolò æquatum, & peſſundatum cernimus) erigere, & quantum poterit, efferre. Quo motus ſpiritu, quidnam prædicaturus eſt, identidem conſideret, & animo euoluat. Tunc enim pleraque dicenda ſuppeditabuntur, & conducibilia ei ſuggerentur. Euangelij igitur con-

Ioan.

Matt. 16.

textu per authenticos, & egregios (quos ſupra recitauimus) Doctores habito, mox animaduertito, de quibus ipſum Euangelium vitijs virtutibuſue loquatur, & quam inde doctrinam haurire potetis, ad laudem virtutum, aut eradicationem, increpationemque vitiorum. Quibus ſic habitis, & inuentis, exceptorium conſulito quaternionem, in quo communia loca excepta, & notata in laudem alicuius virtutis, aut contrà vitij alterius incommodum, vel ſecũdum aliam quamcunque propoſitum materiam videat, vt huiuſmodi Euangelij locus amplietur, doctrina, ſcriptura, & comparationibus, alphabetico codice deſumptis. Et peractis iam elucubrationibus, & antiquis ſtudij s, vtatur quæ labore, & vigilijs conſequutus eſt. Verum & huiuſmodi loca propagare, extenderéue licebit, ſi viciſſim ſacra euolueris Biblia. Et mox ſacra loca memoria recolens per ipſas Bibliorum Concordantias percurras. Quibus ſanè præſtiterit, ſi ex varia Doctorum lectione nonnulla in exceptorijs vtriſque libellis adnotaueris. Cæterùm quibus ſors non ita ſuggeſſit, vt eo ingenij acumine polleant, quantum maximè ad hoc requiritur, librorum tabulas conſulat, ex quibus planius doctrinam deducet: vt quos excitauit Euangelii conceptus, aut literæ ſenſus exactè impleat. Ad hæc tamen verbi Dei concionatores monitos, exoratóſque velim, vt plerumque vniuerſa Biblia euoluant, ita vt ex varia, & aſſidua lectione eorum loca memoriæ tenaciter hæreant, & quo loci quæque pertractentur, non eos fugiat: Verùm qui hoc ſtudio adhuc indiget, propè eſt vt aberret. Quos & Concordantiæ aliquantulum iuuabunt. Sed plerumque nihil videntur facere.

vt iſto liquebit exemplo. Ponamus quod prædicet Euangeliũ duodecimæ Dominicæ poſt Pẽtecoſten, quo loci quidam legiſperitus volens iuſtificari ſeipſum, dixit: Et quis eſt meus proximus? Natiuũ fere hominibus eſt, virtutibus prætextu propria crimina palliare. Plerique ſunt iudices, & præpoſiti qui in aliorum capitibus iram exercentes, iuſtitiæ prætextu ſimulant libidinis morbum. Vrbis quidem rector, qui turpis lucri cupidus eſt, vt frumentum vendat ob boni quidem publici commodum ſe autumat recondere, nec commodi ſui cauſa id prorſus facere teſtatur. Hic legiſperitus legis præcepti cùm præuaricator extitiſſet, vtpote iuxta proximi ſui amorem deficiens, ſeipſum iuſtificare intendit ſub ignorantiæ ipſius præcepti tegmine. Itaque abſque vlla honoris ſui iactura volunt homines improbi fieri, & quod deterius eſt, nõ ſolùm non mittere, verùm & comparare illum ſtudent: cùm tamẽ in officio nõ ſint. Hic ſanè cõceptus & conſideratio Scripturæ exemplis extendi debet: Vt ſi dixeris; Abſalon imperium patris vſurpare conatus, verſutè regi dixit: Vadã, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron. Vouens enim vouit ſeruus tuus, &cæt. In Hebrõ etenim Adami, Euæ, Abrahami, Iſaac, & Iacob corpora iacent. Hic verſutus ſub palliata votiuæ peregrinationis ſanctimonia tyrannidem exercere machinatus eſt, vt ita regnum patris vſurparet. Aman quoq; Aſſuero Regi dixit: Optimè noſti, quod non expediat regno tuo, & cæt. Tibi, ſi placet, decerne vt pereat, & decem millia talẽtorum appendam archarijs gazę tuæ. Creuerat enim indignatio Aman, & ſtomachatus, Iudaicam euertere gentẽ ſtudebat, eo quod

Luca 10.

2. Reg. 15.

Eſter 3.

Mardochæus genuflectens, eum non adoraſſet: & qui odij languebat ardore, vt regi ſeruitium exhibeat, & regno, vt comparet commodum, ſe ſimulat facere. Herodes Chriſtum Dominũ ab incunabulis occidere volens, qui ſub humilitatis, & ſanctimoniæ prætextu dixit Regibus: Vt ego veniens adorem eum. Iudas præuaricator, turpis lucri cupidus, & auarus: erga pauperes & egenos ſe pium & miſericordem oſtentat, dicens; Nonne vnguentum iſtud poterat venũdari multo, & dari pauperibus? Sanctus verò Ioannes ſubdit, Iudam non hoc dixiſſe, quia de egenis pertinebat ad eum: ſed quia fur erat, & loculos habens. Modò dicito mihi, precor, numquid huiuſmodi authoritates ex Bibliorum Concordãtijs hauriri poterunt? aut ſimilem huic apud eas doctrinam inueniſti, vt mentis ille conceptus adimpleri poſſit? Alludendum igitur tibi eſt ad hoc, vt concio exactè fiat, & digreſſiones authoritatibus confirmentur, quas quidem ex ſcripturæ contextu deduxiſti, præ oculis, ne dixerim ex corde Bibliorum contextum habeas. Nec te eo adſtringam, nam noſtræ forſan limites ſortis tranſcendit. Quamuis, vt coniecto, ſãcti Doctores, vt Bernardus, & alij hoc eodem modo eam tenebant vt ſcriptorum ſuorum idiomata pręſe ferũt, qui veluti quotidiano, & quaſi natiuo ſermone, ſacra ſcriptura vtuntur. Saltem verò non te lateat quonam loci vniuerſæ materiæ pertractantur, vt ſecundum tibi propoſitum eorũ congruentia loca aptes intentum. Plerique ſcriptorum, vt Iohannes Ferus, & alij, egregia ſanè nobis documenta ſuggerunt. Cæterùm ea nec authoritatibus comprobant, nec ſcripturæ ſacræ exornãt exemplis. Qui quidem cùm prædam ſo-

Matth. 2.

Ioan. 12.

lũm excitent, hanc tu inſectari debes, & ſacræ ſcripturæ authoritatibus vndique ſeptam ornare: vt in ſequenti capite videre licebit. Quapropter prædicto modo Biblia tenere debes: ſecus tamen digreſſiones ampliare, dilatare ve nullatenus poteris, quamuis Concordantias Bibliorum conſulas.

Inſuper aduertendum eſt Euangelico concionatori, vt in ipſius cõcionis digreſſionis exordio ſubtiliorum theoricam, & acutiorem doctrinam proponat, & eo modo exordiatur, vt audiẽtium excitet affectus, vt aures præbeant attentas, ac maximo dicendorum deſiderio capti, ab ipſius ore pendeant. Tunc enim ieiunis, & parcis mẽtibus cùm ſint, & minus læſis, ingenijſ ve parum onuſtis, quamlibet acutam, & ſubtilem doctrinam percipiunt. In medio tamen ipſius concionis trita, & magis communia ingerat. Dum perorat tamen, & ipſi concioni finem imponit maximè vtilia, & cordis compunctiua, deuotáq; ingerat. Itaq; in concionis exordio attentionem captet, & tandem moueat affectus, inſtar optimi Rhetoris. Quæ doctrina eſt Quintiliani in ſuo rhetorices libello. In exercitu namque probè diſpoſito, veterani, & fortiſſimi quique milites præeunt, & terminant aciem: in medio tamen tyrones, & debiliores milites vagantur. Sic debet præordinari concio.

De digreſſionibus.
CAP. IX.

OPORTET eum, qui prædicat, per Euangelij contextum paraphraſibus percurrere, atque ipſum dilucidare, & in quibuſdam eius locis, doctrinalibus digredi docu-

mētis. Digreſſus quippe dicuntur cùm ipſius E-uangelij literam enarrātes, aliquam doctrinam exinde deducimus: & mox ad ipſam Euangelij literam reuertimur, vt eius enarratio continuetur. Cuiuſmodi dicendi characterē D. Chryſoſtomus obſeruat. Sic & concionator debet facere Euangelium enarrando, doctrinam interim deducat: & mox ad ipſum reuertatur contextum, vltimam periodum ſubſumendo cum eo, vnde exiuit, puncto connectat. Vt ſi Euangelium Dominicæ quartę poſt Paſcha prędicet in illud verbum. Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos, dicet: Bone Deus, nunquid tu paracleto contrarius es, qui ſubdis, neceſſum fore vt ille mittatur, te hinc diſcedere? Nunquid ſuppetias aduerſus almum Spiritum fers? Aut verò peccatum mortale es tu, qui eius aduentui reſiſtis, & obſtas? Chriſtus Dominus ſecundum humanam naturam erat Spiritus Sancti quaſi exceptor: & ille, quaſi hoſpes erat Chriſti Redēptoris noſtri. Vt cùm princeps, aut Rex aliquam ingreditur vrbem, ei quam primùm receptacula (qui principem, aut Regem hoſpitio excipit) parat, & ſordibus mundatis, tectorumque puluiſculis excuſſis, omnem ſuppellectilem aliò comportari iubet: inſuper & eius colonos, & habitatores domus inde abire. Eodem pacto Beati Apoſtoli Dei, ſanctimonia, integritate, & probitate quāuis prædití, at corporali Redemptoris præſentia capti, pro eius abſentia maximè dolebant. Quòd ſi huiuſmodi honeſtus erat amor, terrigenis tamen ſubſapiebat puluiſculis: qui huius ſæculi præſentibus tenebantur, vt erat Chriſti humanitas. At Redemptor noſter huius amoris

labem expiare volens, & quaſi electrum examinare, hoc ita expediebat fieri modo, vt ipſius orbati præſentia, veniens patris Spiritus, in eorum viſcerum receptaculis ſeſe ingereret. Quod ſi Dei Apoſtolis vtique probis, & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatoribus, qui vt Deum diligerent, cuncta pro nihilo reputauerant: & aliquo præſentium amore adhuc cùm tenerentur, ab eis dimoueri neceſſum erat: quomodo eundem in nobis ſpiritum recipiemus, cum adhuc terrenis ſimus rebus detenti, & in profundo peccati immerſi, & in carnis ſpurcitiis volutati? Verùm qui Sancti Spiritus gratia imbui deſiderat, à cunctis abhorreat terrenis voluptatibus, neceſſum eſt. In cordibus namque ſolutis, & omnino expeditis Deus inhabitat. Fulgidi namque Solis radiis illuminari ſi velis, tergum verte ad vmbram: deſere huius ſeculi luculenta prædia, & conuertere ad Deum. *Exod.16* Ab eo namque illuminaberis. Filij Iſrael non guſtauerunt manna, nec panem Angelorum mãducauerunt, quouſque panis Ægyptius conſumptus eſt. Cuiuſmodi in nobis ſancti Spiritus gratiam non recipiemus, aut eius dulcedinem deguſtabimus, quouſque inanis, ac prophanus amor diſceſſerit. Quapropter Iacobus Dei Apo- *Iaco. 4.* ſtolus inquit: Neſcitis quomodo amicitia huius mundi, inimica eſt Dei. Quicunque ergo amicus voluerit eſſe mundi huius, inimicus Dei conſtituitur. Væ illis infeliciſſimis Samaritanis, de quibus ſacra ſcriptura ait: Qui cùm Deum colerent, Diis quoque ſeruiebant ſuis. Huiuſmodi nefandis mundus pullulat hominibus: qui ad perenne gaudium cùm anhelent, ſuas quique auidè voluptates ſectantur, & idolis ſeruiunt, & cæt. Quam correptionem extende, & amplia.

Ad hunc modum in quolibet Euangelio duas, tréſve, ad ſummum quatuor exeitet digreſſiones: háſque inſectetur, & in eiſdem moretur, vt aſtantium moueat animos. Quarum cum poſtrema digreſſione concionem abſoluet (ſi omnino Euangelij contextus ſit prædicandus) quã & maximo ſpiritus feruore terminet, & perſtringat. Quod ſi digreſſionum ſarcinam multiplicas, nullatenus ex quauis illarum ſufficientem doctrinam exhauries. Hoc enim eſſet quaſi multa apponere, & nihil omnino deguſtare, aut emolumenti quicquam capere. Et proptereà non oportet vt multas congerat digreſſiones, ſed paucas: quas ampliare debet. At in reliquo Euangelij ne moretur: ſed literam explicando citò tranſeat. Quamlibet autem digreſſionem debent comitari, & eis connectere, vtpotè in autoritate, comparatione, atque exemplo, ex veteri teſtamento deſumpto, denique vitiorum fiat taxatio vt doctrinæ ratio poſtulat: vt in prædicto exemplo liquidò cõſtat. In eo namque comparatio fuit de regis exceptore, & exemplum ſacræ ſcripturæ de farina Ægyptiaca: Et autoritas fuit D. Iacobi Apoſtoli. Denique correptione quadã completa eſt cum exemplo de Samaritanis. Verùm vt hoc planius fiat, aliud inſuper addam exemplum. Cùm ſeſe offert Euangelium Dominicæ primæ poſt Pẽtecoſten prædicãdũ: in illud quod Chriſtus Dominus ait: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Peſſimum quidem eſt aliena rimari corda, aut de proximis malè & audacter iudicare. Nam ſi aulam regiam adeas, quam adhuc nemo coluit, mox impluuium herbis conſitum cernas, araneis laquearia velata; ruinam minantes vtrinque parietes, veſpertilionum, & murium recep-

taculis & cuniculis vndique labefactatam. Quibus viſis obſtupefactus, quæris. Nunquid congruum videtur, haſce egregias ædes talem ruinā pati? Dicent tibi quàm primùm ex eo labefactatas eſſe, quia ab earum Domino non coluntur. Sic habet cor tuum: eandem ruinam, & detrimentum patitur anima tua: dum tecum non inhabitas, ſed aliena rimaris corda. Quapropter regius ille Pſaltes dixit: Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Non quod luminibus, ſeu corporeis oculis priuatus eſſet: ſed quia ſtudiū & operam, quam adhibere tenebatur, vt ſuam vitam examinaret, & corrigeret, in alienis examinandis cordibus conſumpſerat. Dum arcam fœderis Philiſthijm reſtituerēt filijs Iſrael, quam Bethſamitæ inſpexerunt, propterea Deus ſeptuaginta primates eorum occidit, & ex plebeijs quinquaginta millia hominū. Ne dum corda hominum magis quàm tabulæ illæ, aut virga, & māna, quæ in arca condita erāt, latitabunt? Pari modo quidē maximus Deus puniet, & ſtrictiſſimā ponet rationē cum his cauillatorib⁹, & alienæ vitæ ſcrutatoribus. Nunquid huius vitæ curriculum adeo longæuum eſt, & tibi, verſure, abundat tēpus, vt alios dijudices, & ſeuerè examines? Audi ergo Apoſtolū dicentē: Tu quis es, qui iudicas alienū ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit. Nunquid ſi (illotis, vt aiunt, manibus) cuipiā liberet, inuito principe, vni pręeſſe vrbi, eámq; regere, & cauſas iudicandas ſuſcipere, impunè ferret? ſiquidem læſæ maieſtatis crimen commiſit. Quare tu, ô Chriſtiane, Dei munus, vtpote alienam vitam diiudicare temerè, & audacter vſurpat? Miſerabilis te manet exitus, & inexcogitata te expectant

Pſal 37.
2 Reg. 6.
Heb. 9.
Rom. 8

ſupplicia, qui tantum dolum orditus es, & graue crimen commiſiſti. Nolite ergo iudicare, ait Dominus, & non iudicabimini: ſcilicet, iuxta hoc diiudicandi crimen. Videte, nequaquam iudicetis: quod ſi feceritis: Menſuram bonam, & confertam. Et nobiſcum probè fiat. Si ergo digreſſio fiat, & mox ad punctum Euangelij, vnde exiuit, reuertatur. Verùm ne longius eò digrediaris: vt quænam via reuertaris, aut verò vnde exiſti prorſus ignores.

Vti ampliandæ, & dicendæ ſint digreſsiones.

CAP. X.

VT autem ex Euangelij contextu digreſſiones poſſint deduci, debet ipſe concionator inter Euangelij hiſtoriam intercapedines & interualla quædam facere. Quibus in locis digreſſiones ingerere, & aptare poterit. huiuſmodi tamen digreſſiones hæ ſint, quæ ad virtutem ſectandam animos excitent, & trahant: aut vitium ſubterfugere moneant. Aliàs eſſet temporis iacturam facere, & nihil omnino emolumenti capere: ad hæc, audientium animos offendere. Noſtri namque muneris eſt, dum ſuggeſtum aſcendimus, magis vt fidelibus proſimus, quàm vt acutiſſimis quæſtionibus, & fucatis rhetorum, & poëtarum verbis eorum mentes imbuamus, quod magis ad ſcholas attinet. Itaque inter exponendum Euangelij contextum, cùm ad eum fuerit locum deuentum, à quo digrediendum eſt, axioma quaſi quoddam rei fundamentum proponat: in quo & prædicandæ virtutis commodum efferatur, & vitij illius pernicies taxetur, & ab audientium animis tollatur:

Voluntatis namque obiectum, bonum cùm ſit, atque idipſum appetit: malum ſub ratione mali, abhorret, & execratur: præſtat ad hoc prædictum introitum ſumere, & mox quadam collatione, authoritate, & ſcriptura illud corroborare. Quod in prælibato ſatis liquet exemplo. Perniciosum, & valde nociuum eſt, alienam inquirere vitam. In primis namque incultæ domus exemplo fulcitur: deinde pſalmographi authoritate fouetur, mox Bethſamitarum exemplo confirmatur, qui arcam fœderis inſpexerunt: & tandem correptione facta, perficitur; dictu Apoſtoli authoritate: dummodo correptio in finem ſeruetur. Nihilo ſecius tamen hic ordo mutari poterit: prout Euangelico concionatori videbitur. Et ita quandoque licebit, poſt ipſam propoſitionem, & fundamentale axioma, ſtatim ipſam ponere authoritatem, mox cõparationem, deniq; verò ſcripturam inſerere. Aliâs licebit intrare ſcriptura, authoritate, & tandem collatione. Hoc hucuſque prælibatum eſt, vt ſatius digreſſio dilucidari poſſit, variis inquam vtens mediis, vt ita pellecta voluntas trahatur abſque eo quod iterata verba viciſſim repetas, quæ faſtidire videntur. Hanc ſeriem Diuus Chryſoſt. plerumque obſeruat in ſuis Homiliis, in digreſſionibus, quas facit. Ad hæc licet notare, ipſam digreſſionem quocunque poſſe diuerti, aut ipſa propoſitione, & authoritate duntaxat: & mox ad ipſum Euangelium reuertatur. Hoc placuit aduertere. Nam vt exactè fiat concio, expedit nonnunquam priores digreſſiones non ita ampliare: vt vltimis latiſſimus dicendi campus, & fandi copia præbeatur. Vbi rhetorices documentum planè obſeruatur, nec non in Tragicis fit actionibus. Dum enim Rhetor,

aut Tragœdus ineunt actus, mites & ſedati exordiuntur, qui quaſi ſuccenſi perorant, & terminant actiones. Eiuſmodi cōcionator dum ſumit exordium, prius item cōtextus, & digreſſio vna duntaxat comparatione, & ea breui finiatur. Secunda autem digreſſio longiuſcula: tertia adhuc longior fiat, & magis ampla. Quarta & vltima longior fiat, & cum maximo ſpiritus feruore ad finem vſque concionis ducatur. Hos quidē obſeruabat affectus Tullius ille eloquētiſſimus, dum cauſas defendendas ſuſceperat, pleriſque in locis iam perorans Iudicum excitabat animos. Sed finis ſit (ipſe aiebat) nec enim præ lachrymis iam loqui poſſum, &c. Vos oro, & obteſtor, iudices integerrimi, &c. Inſuper aduertēdum eſt ne Euangelicus concionator in hiſce digreſſionibus eo ſit ligatus, & parcis, eoque compēdioſis vtatur verbis, vt ipſam propoſitionem ſtrictiſſimis, & ſubobſcuris terminis coarctet. Quod ſi hunc proponendi modum ſibimet liceat obſeruare, non autem erga populum: verùm expeditis, & dilucidis ſatis verbis vtatur. Quam propoſitionem ſatis, ſupérq; ſatis debet ampliare, & cum ſynonymorum copia viciſſim repetitis extēdere: & vtriq; ſe vertat circūcirca proſpiciens auditorium. Exēpli cauſa in dicta propoſitione. Turpe eſt alienam vitam dijudicare: Siquis adeſt, qui huc venit propriā ſalutem exoptans, hoc ſibi ſuadeat, terribile quidē eſſe de proximis, malè ſentire. Nefandum, & tetrū nimis eſt, & Deo odibile, alios temerè, & audacter iudicare. Quouſq; abuteris, ô Chriſtiane Dei, munere? Quamdiu hoc munus tibi adſcribis? In quē finem veſtra ſeſe effrænata iactabit audacia, qui alienam adhuc inquirere vitam nō deſiſtitis. Et

mox

mox comparationem ſumat. Idem omnino licet aduertere, iuxta comparationem, authoritatem, exemplum, & ſcripturam. Hic eſt egregius valdè, ornatuſque modus in enarrandis punctis digreſſionum: vtpotè multifariam, multis vocibus, ac varijs encomijs, vt probè ſuadeant, & aſtantium moueant affectus. Non ſecus qui cathedram prælecturi aſcendunt, parcè Diſcipulis dictant, & modicè documenta ſuadent, ſummis quaſi labijs ea pertingunt, & mox vltra gradiuntur Quibus maximè conducet ſi concionator ea polleat facundia (vernaculi, quod aiunt, ſeu Romani idiomatis) vt ſic peritè & lapidè prædicans, ab omnibus percipi valeat. Hæc ſi ſors non ſuggeſſerit, hoc ſibi refugij reliquum eſt, dumtaxat ſeſe in cubile abdat, ac mente, animoq; euoluat, quas habet digreſſiones prędicare & ſic variam excogitare ſupellectilem verborum, & artificioſè mente fabricare, vti vnum varijs nuncupetur nominibus. Adhæc tam priuatis, quàm publicis ſapientum eloquijs aſſuefactus plerumque adſit. Et in ſermonis ſtylo, & dicendi norma ſtudeat: quod ſi hoc ſibi conſilij ſumpſerit, & in hoc valdè exercitatus fuerit, ea denique pollebit facundia, vt quod breui comparauit ſtudio, in poſterum, maximum ſibi emolumentum futurum ſperet.

Vti digreßiones inueniantur.

Cap. XI.

VT longè latéque cõcionator poſſit digreſſiones venari ad modum iam dictum, aduertendum illi eſt, multis, variiſque modis poſſe vti ad hoc, vt aliquid ſuadeat, vt ex Rhetorices documentis liquet. Primò, illud fore ſecurum,

iucundum, facile, neceſſarium, vtile, iuſtum, & valde honeſtum, ſuadens. Quòd iucundum, vtile, & neceſſarium illud ſit, à contrarijs oſtendat. Nam cùm idipſum iucundum, gratum, & decens ſit: hoc difficile, acerbum, & indecens valdè eſt. Ita quidem quicunque ſuadet, hæc & ſimilia media habet ſubſumere: vt audientium moueat affectus: velut ſi diceret. Hoc fieri decet, quia valdè ſecurum eſt: & mox collatione facta, quomodo hoc ita ſit, oſtendit. Quo finito aliud medium. Quod illud ſit iucundum oſtendens: quod authoritate comprobet. Deinde in prædicta digreſſione vniuerſali, comparatione facta, licebit medium ponere, quod vtile, aut nociuum illud eſſe dicat: dummodo hæc comparatio illud medium explicet. Necnon & authoritas confert vt medio contrario illi, quod ſuaderi intenditur, applicetur. Nam ſecundum Philoſophi ſententiam, Contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Qua quidem authoritate finita, accedit ſacræ ſcripturæ exemplum iterum confirmando, quod maximè congruat id, quod in propoſitione vniuerſali aſſumptum eſt, fieri, ex eo, quod vtile, & honeſtum illud ſit. Et hoc explicabis ſacræ ſcripturæ exemplo. Hoc facili negotio inuenies, vti quæcunque amplietur digreſſio. Cuius exemplum in dicta digreſſione habetur. quæ quaſi omnium dicendorum exemplar debet eſſe. Turpe eſt alienam inquirere vitam. Hæc eſt propoſitio, & dogma vniuerſale. Ad hoc roborandum, & ſuadendum, primum medium ſubſumptum comparationem intrauit. In quo planè oſtenditur quantum ſibimet noceat, qui alios temere, & audacter iudicat. Nam uemadmodum ſi propriam domum deſeret et

diuturnitas temporis in cauſa eſſet, vt labefactata ruinam minaretur. Idem eueniet ijs, qui alienam vitam librantes, à ſe prorſus diſcedunt. qui quaſi longinqua petentes loca, ſole æſtuantur, & aliena prædia inuadunt. Declaratum eſt hoc medium, oſtendendo vitij huius nocumentum pſalmographi authoritate dicentis: Dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Tertium verò medium aſſumptum ad mouendum, fuit illud primum confirmare, ſcilicet, hoc temerarium iudicium obeſſe nimis, ſacræ ſcripturæ exemplo fulcitum. Dum tot ex Bethſamitis Deus occidit explicando, propterea quòd arcam fœderis temere, & audacter inſpexerunt. Hinc ſanè commodum eſt ſubſequutum, & eis adueniet, qui alios non iudicauerint. Menſuram bonam & confertam, quem obtinuerunt, qui ab hoc ſecohibuere iudicio. Itaque ſi probè conſpicias, gemino duntaxat rhetorices medio hæc digreſſio increſcit, & augetur: nimirum temerè iudicandi nocumentum, & contrariæ virtutis vtilitatem oſtendendo. At quia hoc primum medium comparationem intrauit, non faſtidiet: quamuis comparatio, & ſcriptura idem ſint. Obiter tamen duo licet notare, ne loquendi & procedendi ſeries faſtidium pariat, huiuſmodi ordo obſeruetur. Vt dum ponitur quoddam medium, ſtatim eius contrarium ſumatur: & mox ad primum reuertatur, ſcriptura, comparatione, & authoritate. Denique aduertendum eſt, quod ex prædictis ſatis liquet, quemadmodum quamlibet degreſſionem magis, ac magis ampliare poterit. Nã ſi in duobus medijs præſcriptis duntaxat, ſerie iam dicta obſeruata ſcilicet authoritate, compara-

tioneve menſuratis eo ampliari cernimus. Quid ſi authoritate, ſcriptura, & comparatione hoc geminum fulciatur medium?

Vti comparationes inueniantur.

Cap. XII.

OPortet eum, qui comparationes deducere, & inuenire ſtudet, prius illud, quod habet comparare, conſpiciat: & inſtar cathegoricæ propoſitionis terminis perſtringat, ſubiecto, copula, & prædicato conſtãs. Vt ſi hoc comparare placuerit: Præſtare nimis peccatum excutere, & ab eo protinus diſcedere. Hanc propoſitionem in mente reponat, quæ ſubiecto, copula, & prædicato conſtet, dicens: Homo peccare deſinat quàm primùm. Hoc ita habito ſciendum illi eſt, comparationem poſſe fieri, aut in ſubiecto, aut in prædicato, vel in ipſa copula, aut in tota propoſitione, vel in duabus partibus dumtaxat. Verùm dum magis cõpleta fiet comparatio, elegantior, pulchriorque erit. Et notare licet ipſam, quã aſſumit comparationem, maximè debere aſſimilari propoſitioni, & quòd ſit literæ congrua ſimilitudo, vrbana, domeſtica, non extranea, & à communi loquendi vſu abhorrens. Proptereaq; in toto, vel in parte ipſa collatio, & res, quæ fertur, communicet, velut ea, quæ natura ſymbolizant, ſiue bonum, ſiue malum illud ſit. Nedum ſi ſit opus diuerſa creaturarum genera tam turpis, ſeu nociuæ qualitatis, quàm boni genij, & naturæ, vt completa ipſa comparatio fiat, vel in parte inquirat. In dato exemplo inueniemus ſubiectum quod eſt, homo, & illud eſt quid bonum:

Et prædicatum quod eſt peccatum, & illud eſt quid malũ, ſeu nociuum. Modò ad aliquod malum comparandum, pleraque ſunt turpis notæ, & qualitatis, quæ in toto, vel in parte aſſimilantur. Ea ſunt lutum, toxicum, aſpis, venenum, captiuitas, vlcus, limus, baſiliſcus, &c. Vt hominem fugi ſignificemus pleraque ſunt eximiæ naturæ: quibus ſalutem in parte licet comparare. Ea ſunt ſicut Sol, æther, Princeps, & huiuſmodi cætera, quæ bonum in toto, vel in parte dicunt. Sunt & alia multa, quæ ſuapte natura ſymbolizant, aut ex arte conueniunt cum humana natura. His ita præhabitis facili negocio comparationem quamcunq; inuenient, vt vtraque extrema, vel ſingula dũtaxat cõferantur. Ad ipſum namq; verbum facilè inuenietur comparatio. Illud enim mente percipiens facillimè comparabit illam propoſitionem. Vnuſquiſq; fugiat peccatũ: ad hunc modum comparatio fiat. Nõne ſi ad lapidem offendens rueres, protinus ſurgere, & ſtare conareris? Nunquid ſi vipera, aut Baſiliſcus in tuum reptitans pectus irrueret, mox diſcuteres? Quare igitur erga peccatum non te geris hoc modo: quod paulatim in profundum te ducit Inferni? Hic & in ſimilibus comparationibus ſolùm peccatum fertur, quod prædicati rationem ſortitur duntaxat: ſubiectum ſiquidem adhuc non comparatur: Quod ſi placuerit in genere, hoc fiat modo. Nonne volucrem ab aucupe deceptam, retibus illapſam, alis concutere pectus, & huc, illuc volitantem, laqueum euadere anxiè quærentem vidiſtis? eiuſmodi te, ô miſerande, qui in peccati illapſus es pelagus, atque hoſtili manu oppreſſus mox audere decet, & helluonis inimici manibus elabi. Nunquid re-

gnum ſi compilaſſet Turca, principem noſtrum manibus poſt tergum habere cõgruum eſſet? inſuper & ſolium lætus teneret ſuum? Nonne mox accinctus bella daret? Cur igitur, ô miſerande, hoſtile non fugis Imperium, & peccati labem dolore transfixus non expectoras, & eliminas? Hoc ipſum debet obſeruare concionator, quod data comparatione, fiat digreſſio: eligat medium quod placuerit, & illo comparationem intret, quodque in mente reponat, inſtar cathegoricæ propoſitionis, & ita ſubiecto, aut prædicato illud comparet, vel vtriuſque, vt dictum eſt. Quod in ſuperius facta digreſſione factum cernimus. Datis namque ſubiecto & prædicato in illa propoſitione, Odibile, & perniciosſum valdè eſt alienam inquirere vitam: aſſumptum prius medium ad hoc confirmandum quadam comparatione ſuaſimus, vtpotè maximum nocumentum, quod eos ſubſequitur. Vbi comparatio ſolum cũ ſubiecto intrauit. Vt cùm dicimus. Per aliena prædia vagantes, & propriam deſerentes domum, vt reptilium habitatio fiat, & tandem ruinam minetur: hi quidem inſani putandi ſunt. Huiuſmodi inueniendi comparationis modum, non poſthabendum cenſui, nec ab Euangelicis propugnatoribus ex eo, quod nimis laborioſus, implicituſque ſit, omittendum. Quod ſi in principio nonnihil difficultatis inuoluat, breui tamen tẽporis vſu omnem claritatem, omnemq; perſpicuitatẽ obtinebit. Ita vt prædicto diſcurſu probè habito, pleræque ſeſe offerent comparationes, prout libebit, nec ingenti labore, opera, aut ſtudio adhibito. Has quidem comparationes non decet vilipendere, quippe cùm lepores quidam ſint, & qui concionem maximè decorant:

Quibus & ipſum Euangelium ſcatet, & Prophetiæ vndique plenæ ſunt:& Chriſtus Dominus,vt planius ac luculentius ſuam doctrinam, ac dogmata traderet, & vt tenacius cordibus audientium adhærerent, comparationibus, ac parabolis vtebatur. Ad eas verò, quas Euangelicus concionator comparationes inuenerit, vt dictũ eſt, pleriſque alijs licebit comparationibus vti: & quibus abundat Chryſoſtomus: & noſtris extat temporibus Hector Pintus in Eſaiam, & Ezechielem Prophetas, egregijs quidem, & acutis comparationibus aſſiduè munitus: & Paulinus in ſuis concionibus. Et Ioannes de ſancto Geminiano, qui exactum ex his comparationibus librum edidit.

Vti authoritates inueniantur.

Cap. XIII.

Vt autem facilius ſacræ ſcripturæ authoritates inueniri queãt, illud expedire videtur, vt ſingulis dieb⁹ cõcionator Euãgelic⁹ nõnihil ſcripturæ lectione vacet,eamq; quotidie perlegat. Et,vt ſuperius diximus, albeolũ, ſeu exceptoriũ quaternionẽ habeto cum indice alphabeticis characteribus ſignatum, in quo ſua ſerie virtutum, atq; vitiorum, inſuper omnium, quæ ad ſuggeſtum ſpectare videntur, inſcriptiones, ſeu tituli ſunto. In quo albeolo excipito quaſcũque inueneris authoritates, prout tabula indicat: Bibliorum tamen Concordantijs hoc vti licebit modo. Conſule prius vitij, ſeu virtutis prædicãdæ authoritatem in illius titulo in Concordantijs. Vtpote acturus de fide, in verbo (Fides) aut

de ſuperbia, in verbo, (Superbia, ſuperbus & ſuperbire.) Quas quidem authoritates licebit examinare, & perpendere num propoſito congruant. Ad hęc Bibliorum contextum conſule, & exactè perlege: quod ſi æquè ſatis ad rem fecerit, deducito, & excipito illam: ſin minus viciſſim Concordātias euoluito, quo vſque cōgruentem authoritatem inueneris. Si verò de neceſſitudine, & decentia bonorum operum ſit prædicandum, & de fide formata, & adhuc quod mera fides non ſufficit ad noſtram ſalutem: iam dictas Bibliorū Concordantias conſultio, vt exactè hoc ipſum compleat, nimirum in verbo Fides. Cui quidem verbo pleræque tam Nouæ quàm Veteris legis authoritates alludunt. Prouerbiorum quinto decimo. Eccleſiaſtici primo, vigeſimoquinto, trigeſimo ſecundo, quadrageſimo quinto. Abacuch ſecundo. Matthæi ſeptimo. Prima ad Corinthios duodecimo. Ad Galatas quinto. Ephes. tertio. Prima ad Timotheum primo. Ad Hebræos duodecimo. Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam. Iacob. ſecundo. Quæ omnes authoritates fauent, alluduntque fidei charitati annexæ, quam viuam fidem appellamus. Et ſi omnes ferè de viua fide intelligi poterant. Quia analogum per ſe ſumptum, ſtat pro famoſiori, ſeu principaliori ſignificato, vt in Logicis inſtitutionibus habetur. Vtpote ſi quiſpiam alicubi hominem eſſe indicaret, ſanè de homine viuo habet intelligi, cùm mortuus non ſit homo, ſed per additamētum dumtaxat. Ad hunc modum quandocumq; ſacræ ſcripturæ documētum nos docet quod fides iuſtificat, & huiuſmodi reliqua de viua fide, non autem de mortua habet intelligi. Sic Euangelicus concionator pote-

tit Bibliorum Concordantijs vti, & conferat ſe ad Bibliorum contextum, & conſentanea ex inde ſuo propoſito eligat, & reliqua miſſa faciat, vt dictum eſt. Interim tamē concionator attendat ne has, & ſimiles authoritates diſtorqueat, & (vt aiunt) capillis trahat, ſed in literali, germanoue ſenſu eas referat. Magno nanque vitio concionatori vertendum eſt, quod veritatis indagator cùm ſit, pleraque irrationabilia, & literæ abſona, & minimè conſentanea applicet ad alium longè finem, quàm verba Euangelij dicta ſunt. Quod maximè cauendum eſt, ne ſapientes quique & prudentes viri ſibi aſtantes, irrideant. Ad hoc iuuabit nonnullos ſatis egregios, atque inſignes ad literæ contextum dilucidatores habere, & tam præcedentia, quàm ſubſequentia verba conſulere, ne ab re quidquam dicatur. Extant etiam nonnulli libelli, ſeu quaterniones quorūdam authoritatum, cuiuſmodi ſunt Flores ſacræ ſcripturæ, Exempl. ſcripturæ, & pleraque alia, quæ non occurrunt: cum Guillermi Peraldi de vitijs & virtutibus quadam ſumma.

Vti exempla ſacræ ſcripturæ inueniantur.

Cap. XIV.

QVod autem in ſuperiori capite duodecimo dictum eſt de comparationibus, maximè quidem videtur facere ad ſacræ ſcripturæ exempla, de quibus præſens vertitur ſermo. Et ſi quidem idipſum ſcriptura dilucidare tenetur, in propoſitionis modum redigat oportet: atque omnes ferè ſacræ ſcripturæ hiſtorias perluſtret atque euoluat neceſſum eſt. Num quæpiam ſint, quæ ad rem videantur facere ſe-

ſupplicia, qui tantum dolum orditus es, & graue crimen commiſiſti. Nolite ergo iudicare, ait Dominus, & non iudicabimini: ſcilicet, iuxta hoc diiudicandi crimen. Videte, nequaquam iudicetis: quod ſi feceritis: Menſuram bonam, & confertam. Et nobiſcum probè fiat. Si ergo digreſſio fiat, & mox ad punctum Euangelij, vnde exiuit, reuertatur. Verùm ne longius eò digrediaris: vt quænam via reuertaris, aut verò vnde exiſti prorſus ignores.

Vti amplianda, & dicenda ſint digreſsiones.

CAP. X.

VT autem ex Euangelij contextu digreſſiones poſſint deduci, debet ipſe concionator inter Euangelij hiſtoriam intercapedines & interualla quædam facere. Quibus in locis digreſſiones ingerere, & aptare poterit. huiuſmodi tamen digreſſiones hæ ſint, quæ ad virtutem ſectandam animos excitent, & trahant: aut vitium ſubterfugere moneant. Aliàs eſſet temporis iacturam facere, & nihil omnino emolumenti capere: ad hæc, audientium animos offendere. Noſtri namque muneris eſt, dum ſuggeſtum aſcendimus, magis vt fidelibus proſimus, quàm vt acutiſſimis quæſtionibus, & fucatis rhetorum, & poëtarum verbis eorum mentes imbuamus, quòd magis ad ſcholas attinet. Itaque inter exponendum Euangelij contextum, cùm ad eum fuerit locum deuentum, à quo digrediendum eſt, axioma quaſi quoddam rei fundamentum proponat: in quo & prædicandæ virtutis commodum efferatur, & vitij illius pernicies taxetur, & ab audientium animis tollatur.

Voluntatis namque obiectum, bonum cùm ſit, atque idipſum appetit: malum ſub ratione mali, abhorret, & execratur: præſtat ad hoc prædictum introitum ſumere, & mox quadam collatione, authoritate, & ſcriptura illud corroborare. Quod in prælibato ſatis liquet exemplo. Perniciosum, & valde nociuum eſt, alienam inquirere vitam In primis namque incultæ domus exemplo fulcitur: deinde pſalmographi authoritate fouetur, mox Bethſamitarum exemplo confirmatur, qui arcam fœderis inſpexerunt: & tandem correptione facta, perficitur; dictu Apoſtoli authoritate: dummodo correptio in finem ſeruetur. Nihilo ſecius tamen hic ordo mutari poterit: prout Euangelico concionatori videbitur. Et ita quandoque licebit, poſt ipſam propoſitionem, & fundamentale axioma, ſtatim ipſam ponere authoritatem, mox cõparationem, deniq; verò ſcripturam inſerere. Aliâs licebit intrare ſcriptura, authoritate, & tandem collatione. Hoc hucuſque prælibatum eſt, vt ſatius digreſſio dilucidari poſſit, variis inquam vtens mediis, vt ita pellecta voluntas trahatur abſque eo quod iterata verba viciſſim repetas, quæ faſtidire videntur. Hanc ſeriem Diuus Chryſoſt. plerumque obſeruat in ſuis Homiliis, in digreſſionibus, quas facit. Ad hæc licet notare, ipſam digreſſionem quocunque poſſe diuerti, aut ipſa propoſitione, & authoritate duntaxat: & mox ad ipſum Euangelium reuertatur. Hoc placuit aduertere. Nam vt exactè fiat concio, expedit nonnunquam priores digreſſiones non ita ampliare: vt vltimis latiſſimus dicendi campus, & fandi copia præbeatur. Vbi rhetorices documentum planè obſeruatur, nec non in Tragicis fit actionibus. Dum enim Rhetor,

aut Tragœdus ineunt actus, mites & ſedati exordiuntur, qui quaſi ſuccenſi perorant, & terminant actiones. Eiuſmodi cōcionator dum ſumit exordium, prius item cōtextus, & digreſſio vna duntaxat comparatione, & ea breui finiatur. Secunda autem digreſſio longiuſcula: tertia adhuc longior fiat, & magis ampla. Quarta & vltima longior fiat, & cum maximo ſpiritus feruore ad finem vſque concionis ducatur. Hos quidē obſeruabat affectus Tullius ille eloquētiſſimus, dum cauſas defendendas ſuſceperat, pleriſque in locis iam perorans Iudicum exitabat animos. Sed finis ſit (ipſe aiebat) nec enim præ lachrymis iam loqui poſſum, &c. Vos oro, & obteſtor, iudices integerrimi, &c. Inſuper aduertēdum eſt ne Euangelicus concionator in hiſce digreſſionibus eo ſit ligatus, & parcis, eoque compēdioſis vtatur verbis, vt ipſam propoſitionem ſtrictiſſimis, & ſubobſcuris terminis coarctet. Quod ſi hunc proponendi modum ſibimet liceat obſeruare, non autem erga populum: verùm expeditis, & dilucidis ſatis verbis vtatur. Quam propoſitionem ſatis, ſupérq; ſatis debet ampliare, & cum ſynonymorum copia viciſſim repetitis extēdere: & vtriq; ſe vertat circūcirca proſpiciens auditorium. Exēpli cauſa in dicta propoſitione. Turpe eſt alienam vitam dijudicare: Siquis adeſt, qui huc venit propriā ſalutem exoptans, hoc ſibi ſuadeat, terribile quidē eſſe de proximis, malè ſentire. Nefandum, & tetrū nimis eſt, & Deo odibile, alios temerè, & audacter iudicare. quouſq; abuteris, ô Chriſtiane Dei, munere? Quamdiu hoc munus tibi adſcribis? In quē finem veſtra ſeſe effrænata iactabit audacia, qui alienam adhuc inquirere vitam nō deſiſtitis. Et

mox

mox comparationem ſumat. Idem omnino licet aduertere, iuxta comparationem, authoritatem, exemplum, & ſcripturam. Hic eſt egregius valdè, ornatuſque modus in enarrandis punctis digreſſionum: vtpotè multifariam, multis vocibus, ac varijs encomijs, vt probè ſuadeant, & aſtantium moueant affectus. Non ſecus qui cathedram prælecturi aſcendunt, parcè Diſcipulis dictant, & modicè documenta ſuadent, ſummis quaſi labijs ea pertingunt, & mox vltra gradiuntur Quibus maximè conducet ſi concionator ea polleat facundia (vernaculi, quod aiunt, ſeu Romani idiomatis) vt ſic peritè & lapidè prædicans, ab omnibus percipi valeat. Hæc ſi ſors non ſuggeſſerit, hoc ſibi refugij reliquum eſt, dumtaxat ſeſe in cubile abdat, ac mente, animoq; euoluat, quas habet digreſſiones prędicare & ſic variam excogitare ſupellectilem verborum, & artificiosè mente fabricare, vti vnum varijs nuncupetur nominibus. Adhæc tam priuatis, quàm publicis ſapientum eloquijs aſſuefactus plerumque adſit. Et in ſermonis ſtylo, & dicendi norma ſtudeat: quod ſi hoc ſibi conſilij ſumpſerit, & in hoc valdè exercitatus fuerit, ea denique pollebit facundia, vt quod breui comparauit ſtudio, in poſterum, maximum ſibi emolumentum futurum ſperet.

Vti digreßiones inueniantur.

Cap. XI.

VT longè latéque cõcionator poſſit digreſſiones venari ad modum iam dictum, aduertendum illi eſt, multis, variíſque modis poſſe vti ad hoc, vt aliquid ſuadeat, vt ex Rhetorices documentis liquet. Primò, illud fore ſecurum,

iucundum, facile, neceſſarium, vtile, iuſtum, & valde honeſtum, ſuadens. Quod iucundum, vtile,& neceſſarium illud ſit, à contrarijs oſtendat. Nam cùm idipſum iucundum, gratum, & decens ſit: hoc difficile, acerbum, & indecens valdè eſt. Ita quidem quicunque ſuadet, hæc & ſimilia media habet ſubſumere: vt audientium moueat affectus: velut ſi diceret. Hoc fieri decet, quia valdè ſecurum eſt: & mox collatione facta, quomodo hoc ita ſit, oſtendit. Quo finito aliud medium. Quod illud ſit iucundum oſtendens: quod authoritate comprobet. Deinde in prædicta digreſſione vniuerſali, comparatione facta, licebit medium ponere, quod vtile, aut nociuum illud eſſe dicat:dummodo hæc comparatio illud medium explicet. Necnon & authoritas confert vt medio contrario illi, quod ſuaderi intenditur,applicetur. Nam ſecundum Philoſophi ſententiam, Contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Qua quidem authoritate finita, accedit ſacræ ſcripturæ exemplum iterum confirmando, quod maximè congruat id, quod in propoſitione vniuerſali aſſumptum eſt, fieri, ex eo, quod vtile, & honeſtum illud ſit. Et hoc explicabis ſacræ ſcripturæ exemplo. Hoc facili negotio inuenies., vti quæcunque amplietur digreſſio. Cuius exemplum in dicta digreſſione habetur. quæ quaſi omnium dicendorum exemplar debet eſſe. Turpe eſt alienam inquirere vitam. Hæc eſt propoſitio,& dogma vniuerſale. Ad hoc roborandum,& ſuadendum, primum medium ſubſumptum comparationem intrauit. In quo planè oſtenditur quantum ſibimet noceat, qui alios temere,& audacter iudicat. Nam quemadmodum ſi propriam domum deſereret

diuturnitas temporis in cauſa eſſet, vt labefacta-ta ruinam minaretur. Idem eueniet ijs, qui alienam vitam librantes, à ſe prorſus diſcedunt. qui quaſi longinqua petentes loca, ſole æſtuantur, & aliena prædia inuadunt. Declaratum eſt hoc medium, oſtendendo vitij huius nocumentum pſalmographi authoritate dicentis: Dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Tertium verò medium aſſumptum ad mouendum, fuit illud primum confirmare, ſcilicet, hoc temerarium iudicium obeſſe nimis, ſacræ ſcripturæ exemplo fulcitum. Dum tot ex Bethſamitis Deus occidit explicando, propterea quòd arcam fœderis temere, & audacter inſpexerunt. Hinc ſanè commodum eſt ſubſequutum, & eis adueniet, qui alios non iudicauerint. Menſuram bonam & confertam, quem obtinuerunt, qui ab hoc ſecohibuere iudicio. Itaque ſi probè conſpicias, gemino duntaxat rhetorices medio hæc digreſſio increſcit, & augetur: nimirum temerè iudicandi nocumentum, & contrariæ virtutis vtilitatem oſtendendo. At quia hoc primum medium comparationem intrauit, non faſtidiet: quamuis comparatio, & ſcriptura idem ſint. Obiter tamen duo licet notare, ne loquendi & procedendi ſeries faſtidium pariat, huiuſmodi ordo obſeruetur. Vt dum ponitur quoddam medium, ſtatim eius contrarium ſumatur: & mox ad primum reuertatur, ſcriptura, comparatione, & authoritate. Denique aduertendum eſt, quod ex prædictis ſatis liquet, quemadmodum quamlibet degreſſionem magis, ac magis ampliare poterit. Nã ſi in duobus medijs præſcriptis duntaxat, ſerie iam dicta obſeruata ſcilicet authoritate, compara-

tioneve menſuratis eo ampliari cernimus. Quid ſi authoritate, ſcriptura, & comparatione hoc geminum fulciatur medium?

Vti comparationes inueniantur.

Cap. XII.

Oportet eum, qui comparationes deducere, & inuenire ſtudet, prius illud, quod habet comparare, conſpiciat: & inſtar cathegoricæ propoſitionis terminis perſtringat, ſubiecto, copula, & prædicato conſtãs. Vt ſi hoc comparare placuerit: Præſtare nimis peccatum excutere, & ab eo protinus diſcedere. Hanc propoſitionem in mente reponat, quæ ſubiecto, copula, & prædicato conſtet, dicens: Homo peccare deſinat quàm primùm. Hoc ita habito ſciendum illi eſt, comparationem poſſe fieri, aut in ſubiecto, aut in prædicato, vel in ipſa copula, aut in tota propoſitione, vel in duabus partibus dumtaxat. Verùm dum magis cõpleta fiet comparatio, elegantior, pulchriorque erit. Et notare licet ipſam, quã aſſumit comparationem, maximè debere aſſimilari propoſitioni, & quòd ſit literæ congrua ſimilitudo, vrbana, domeſtica, non extranea, & à communi loquendi vſu abhorrens. Proptereaq; in toto, vel in parte ipſa collatio, & res, quæ fertur, communicet, velut ea, quæ natura ſymbolizant, ſiue bonum, ſiue malum illud ſit. Nedum ſi ſit opus diuerſa creaturarum genera tam turpis, ſeu nociuæ qualitatis, quàm boni genij, & naturæ, vt completa ipſa comparatio fiat, vel in parte inquirat. In dato exemplo inueniemus ſubiectum quod eſt, homo, & illud eſt quid bonum:

Et prædicatum quod eſt peccatum, & illud eſt quid malũ, ſeu nociuum. Modò ad aliquod malum comparandum, pleraque ſunt turpis notæ, & qualitatis, quæ in toto, vel in parte aſſimilantur. Ea ſunt lutum, toxicum, aſpis, venenum, captiuitas, vlcus, limus, baſiliſcus, &c. Vt hominem fugi ſignificemus pleraque ſunt eximiæ naturæ: quibus ſalutem in parte licet comparare. Ea ſunt ſicut Sol, æther, Princeps, & huiuſmodi cætera, quæ bonum in toto, vel in parte dicunt. Sunt & alia multa, quæ ſuapte natura ſymbolizant, aut ex arte conueniunt cum humana natura. His ita præhabitis facili negocio comparationem quamcunq; inuenient, vt vtraque extrema, vel ſingula dũtaxat cõferantur. Ad ipſum namq; verbum facilè inuenietur comparatio. Illud enim mente percipiens facillimè comparabit illam propoſitionem. Vnuſquiſq; fugiat peccatũ: ad hunc modum comparatio fiat. Nõne ſi ad lapidem offendens rueres, protinus ſurgere, & ſtare conareris? Nunquid ſi vipera, aut Baſiliſcus in tuum reptitans pectus irrueret, mox diſcuteres? Quare igitur erga peccatum non te geris hoc modo: quod paulatim in profundum te ducit Inferni? Hic & in ſimilibus comparationibus ſolùm peccatum fertur, quod prædicati rationem ſortitur duntaxat: ſubiectum ſiquidem adhuc non comparatur: Quod ſi placuerit in genere, hoc fiat modo. Nonne volucrem ab aucupe deceptam, retibus illapſam, alis concutere pectus, & huc, illuc volitantem, laqueum euadere anxiè quærentem vidiſtis? eiuſmodi te, ô miſerande, qui in peccati illapſus es pelagus, atque hoſtili manu oppreſſus mox audere decet, & helluonis inimici manibus elabi. Nunquid re-

gnum ſi compilaſſet Turca, principem noſtrum manibus poſt tergum habere cõgruum eſſet? inſuper & ſolium lætus teneret ſuum? Nonne mox accinctus bella daret? Cur igitur, ô miſerande, hoſtile non fugis Imperium, & peccati labem dolore transfixus non expectoras, & eliminas? Hoc ipſum debet obſeruare concionator, quod data comparatione, fiat digreſſio: eligat medium quod placuerit, & illo comparationem intret, quodque in mente reponat, inſtar cathegoricæ propoſitionis, & ita ſubiecto, aut prædicato illud comparet, vel vtriuſque, vt dictum eſt. Quod in ſuperius facta digreſſione factum cernimus. Datis namque ſubiecto & prædicato in illa propoſitione, Odibile, & pernicioſum valdè eſt alienam inquirere vitam: aſſumptum prius medium ad hoc confirmandum quadam comparatione ſuaſimus, vtpotè maximum nocumentum, quod eos ſubſequitur. Vbi comparatio ſolum cũ ſubiecto intrauit. Vt cùm dicimus. Per aliena prædia vagantes, & propriam deſerentes domum, vt reptilium habitatio fiat, & tandem ruinam minetur: hi quidem inſani putandi ſunt. Huiuſmodi inueniendi comparationis modum, non poſthabendum cenſui, nec ab Euangelicis propugnatoribus ex eo, quod nimis laborioſus, implicituſque ſit, omittendum. Quod ſi in principio nonnihil difficultatis inuoluat, breui tamen tẽporis vſu omnem claritatem, omnemq; perſpicuitatẽ obtinebit. Ita vt prædicto diſcurſu probè habito, pleræque ſeſe offerent comparationes, prout libebit, nec ingenti labore, opera, aut ſtudio adhibito. Has quidem comparationes non decet vilipendere, quippe cùm lepores quidam ſint, & qui concionem maximè decorant:

Quibus & ipſum Euangelium ſcatet, & Prophetiæ vndique plenæ ſunt: & Chriſtus Dominus, vt planius ac luculentius ſuam doctrinam, ac dogmata traderet, & vt tenacius cordibus audientium adhærerent, comparationibus, ac parabolis vtebatur. Ad eas verò, quas Euangelicus concionator comparationes inuenerit, vt dictũ eſt, pleriſque alijs licebit comparationibus vti: & quibus abundat Chryſoſtomus: & noſtris extat temporibus Hector Pintus in Eſaiam, & Ezechielem Prophetas, egregijs quidem, & acutis comparationibus aſſiduè munitus: & Paulinus in ſuis concionibus. Et Ioannes de ſancto Geminiano, qui exactum ex his comparationibus librum edidit.

Vti authoritates inueniantur.

CAP. XIII.

VT autem facilius ſacræ ſcripturæ authoritates inueniri queãt, illud expedire videtur, vt ſingulis dieb9 cõcionator Euãgelic9 nõnihil ſcripturæ lectione vacet, eamq; quotidie perlegat. Et, vt ſuperius diximus, albeolũ, ſeu exceptoriũ quaternionẽ habeto cum indice alphabeticis characteribus ſignatum, in quo ſua ſerie virtutum, atq; vitiorum, inſuper omnium, quæ ad ſuggeſtum ſpectare videntur, inſcriptiones, ſeu tituli ſunto. In quo albeolo excipito quaſcũque inueneris authoritates, prout tabula indicat: Bibliorum tamen Concordantijs hoc vti licebit modo. Conſule prius vitij, ſeu virtutis prædicãdæ authoritatem in illius titulo in Concordantijs. Vtpote acturus de fide, in verbo (Fides) aut

de ſuperbia, in verbo, (Superbia, ſuperbus & ſuperbire.) Quas quidem authoritates licebit examinare, & perpendere num propoſito congruant. Ad hęc Bibliorum contextum conſule, & exactè perlege: quod ſi æquè ſatis ad rem fecerit, deducito, & excipito illam: ſin minus viciſſim Concordãtias euoluito, quo vſque cõgruentem authoritatem inueneris. Si verò de neceſſitudine, & decentia bonorum operum ſit prædicandum, & de fide formata, & adhuc quod mera fides non ſufficit ad noſtram ſalutem: iam dictas Bibliorũ Concordantias conſultio, vt exactè hoc ipſum compleat, nimirum in verbo Fides. Cui quidem verbo pleræque tam Nouæ quàm Veteris legis authoritates alludunt. Prouerbiorum quinto decimo. Eccleſiaſtici primo, vigeſimoquinto, trigeſimo ſecundo, quadrageſimo quinto. Abacuch ſecundo. Matthæi ſeptimo. Prima ad Corinthios duodecimo. Ad Galatas quinto. Epheſ. tertio. Prima ad Timotheum primo. Ad Hebræos duodecimo. Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam. Iacob. ſecundo. Quæ omnes authoritates fauent, alluduntque fidei charitati annexæ, quam viuam fidem appellamus. Et ſi omnes ferè de viua fide intelligi poterant. Quia analogum per ſe ſumptum, ſtat pro famoſiori, ſeu principaliori ſignificato, vt in Logicis inſtitutionibus habetur. Vtpote ſi quiſpiam alicubi hominem eſſe indicaret, ſanè de homine viuo habet intelligi, cùm mortuus non ſit homo, ſed per additamẽtum dumtaxat. Ad hunc modum quandocumq; ſacræ ſcripturæ documẽtum nos docet quod fides iuſtificat, & huiuſmodi reliqua de viua fide, non autem de mortua habet intelligi. Sic Euangelicus concionator poteſ-

cit Bibliorum Concordantijs vti, & conferat ſe ad Bibliorum contextum,& conſentanea ex inde ſuo propoſito eligat, & reliqua miſſa faciat, vt dictum eſt. Interim tamē concionator attendat ne has, & ſimiles authoritates diſtorqueat, & (vt aiunt) capillis trahat,ſed in literali, germanoue ſenſu eas referat. Magno nanque vitio concionatori vertendum eſt, quod veritatis indagator cùm ſit, pleraque irrationabilia, & literæ abſona, & minimè conſentanea applicet ad alium longè finem, quàm verba Euangelij dicta ſunt. Quod maximè cauendum eſt, ne ſapientes quique & prudentes viri ſibi aſtantes, irrideant. Ad hoc iuuabit nonnullos ſatis egregios, atque inſignes ad literæ contextum dilucidatores habere, & tam præcedentia, quàm ſubſequentia verba conſulere, ne ab re quidquam dicatur. Extant etiam nonnulli libelli, ſeu quaterniones quorūdam authoritatum, cuiuſmodi ſunt Flores ſacræ ſcripturæ, Exempl. ſcripturæ, & pleraque alia, quæ non occurrunt: cum Guillermi Peraldi de vitijs & virtutibus quadam ſumma.

Vti exempla ſacræ ſcripturæ inueniantur.

Cap. XIV.

QVod autem in ſuperiori capite duodecimo dictum eſt de comparationibus, maximè quidem videtur facere ad ſacræ ſcripturæ exempla, de quibus præſens vertitur ſermo. Et ſi quidem idipſum ſcriptura dilucidare tenetur, in propoſitionis modum redigat oportet:atque omnes ferè ſacræ ſcripturæ hiſtorias perluſtret atque euoluat neceſſum eſt. Num quæpiam ſint, quæ ad rem videantur facere ſe-

cundùm illam doctrinam, quam habet prædicare. Quibus ſic habitis, cum verborum delectu, vt ſatius fieri poterit, applicet intento. Quæ quidem ſcriptura ad modum exempli aptanda eſt, vt ſuperius capite nono prælibatum eſt. Et Abſalonis, Aman, Herodis, & Iudæ exemplo comperimus. Inter agendum namque de iis, alij quos temere dijudicant, Bethſamitarum hiſtoriam, acerbúmque retulimus caſum, & miſerabilem ruinam: proptcrea quod arcam Domini audacter inſpexerunt. Verùm vt hoc magis planum fiat, & me ab hiſce expediam, aliud ponam exemplum. Demus, verbi cauſa, quod quidam concionator pergit enumerãdo criminis, ſeu noxæ nocumenta: interim tamen inuenire cupit aliquod ſacræ ſcripturæ exemplum, in quo oſtendatur, vti peccatum puſillanimes, atque eneruatos, omninoque debiles reddidit, & ad bene operandum omninò impotes, & pigros. Modò aduertendum eſt in eo duntaxat totius rei negotium conſiſtere, vt aliquem ex ſacra ſcriptura compares, qui propter peccatum puſillanimis & effæminatus extitit; & hunc ferto. Quod ſanè fiet, ac ſeſe ſtatim offeret, ſi (vt dictũ eſt) per vniuerſas Bibliorum hiſtorias diſcurras, & has mente viciſſim euoluas. Quàm primùm enim ſi debile ſimul & peccatores quæras, adeſt Cain, qui poſtquam de-

Geneſ.4 liquit, ad Deum ſe conuertit dicens: Omnis qui inuenerit me, occidet me. Nunquid, ô Cain, paruulum, ſeu fœmineum brachium, virile pectus expugnabit tuum? En fragilitas, en deliquium

Gene. animi quod peperit peccatum. Non ſecus ac fi-

24. lij Iacob ſe offerent, qui eò viribus pollebant, ac robore vigebant, vt ſolum Leui, & Simeon Sichen aggredi auſi ſunt, vindictam ſumentes pro-

pter ſcelera populi. At poſtquam deliquerunt, & quaſi liuidi machinati ſunt malum Ioſeph fratri ſuo, ſibi inuicem animum adhibentes, dicebant: Venite, & occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem. Vide vt cõtra paruulum, decem viri inſurgere nituntur. En peccati fragilitas. En criminis quaſſatio. En vitij deſidia. En noxæ inertia: & quam germinat ignauiam, aſpice, vt fortia comprimat pectora, atque erecta humiliet. Inſuper & Samſon ſeſe ille offeret, qui ardenti animo, eximioqúe labefactatus amore, quo Dalidam ſuam proſequebatur. En vires iam amiſit, omnemque fortitudinem perdidit, poſtquam tonſis crinibus fuit. Quo quidem exemplo narrato, totiúſque hiſtoriæ curſu dicto, vti Dalida Sãſoni maximè indulgebat. Verùm quid inde? Maximum vtique nocumentum ſucceſſit. Mox crinium tonſio: deinde vires vt amitteret, ſubſequutum eſt. Quid tandem? vt luminibus vtriſque priuatus, molere eum fecerint. Eiuſmodi inimica caro ſuis blanditijs, & illecebris velatis, atque captionibus, aduerſus ſpiritum inſurgit, teneras quaſi amicitias iniens, inſtar Dalidæ Samſoni, & morti nos tradit. Caro, namque, concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcunque vultis, illa faciatis, vt Paulus inquit. Hinc ortum habet, vt omnem gratiæ vim, omnemque energiam amittat. atque liberum arbitrium, & ita debile, & penè languidum remanſerit, quod ſine peculiari Dei auxilio ſurgere nequeat. Quod ſi de Phariſæorum calumnia, atque verſutia prædicet, qui ad CHRISTVM venientes, anxias quæſtiunculas, doloſis prætextas verbis obtu-

Geneſ. 37.

Iud. 16.

Galat. 5.

lerunt,eum coram laudantes,verùm clam detrahentes. Tunc temporis, vt dictum eſt, euoluito quaſque ſacras hiſtorias. Et adeſt tibi Ioab, qui
2.Re.20 ſeremo vultu Amaſa fratrem ſuum ſalutauit, & pacis oſculum dedit, verùm pugionis ictu eius trāsfixit tergū. Et mox Abſalon,qui ſub religionis prætextu, & ſanctitatis tegmine facultatem eundi in Hebron à patre poſtulauit, vt vota, quæ altiſſimo vouerat, redderet, fingens. Vt quid?
2.Reg. 15. Regi dumtaxat vt dolū machinaretur, regnumque compilaret patris. Quod ſi lucri turpis cupidorum deprauatam, & abſtruſam intentionem
Iud. 9. oſtendere conaris,adſunt tibi Abimelec Gedeonis filius, & Abſalon Dauid natus, & Adonias, Ieroboam, Athalia,& alij quàm plurimi. Libellus etiam cognominatus:Exempla ſcripturæ, iuuabit. Quorum cognomenta præ oculis habeto. Ad hæc maximè iuuabit, ſi ipſe concionator in ſacræ ſcripturæ lectione varia eò fuerit verſatus, vt cuncta ferè Bibliorum notanda memoria teneat,& ipſi tenaciter hæreant.Hoc verò documentum, de modo inueniendi exempla, magnam ſortiri videtur cumduodecimo capite ſimilitudinem, in quo de comparationibus eſt prælibatum, & quomodo inueniantur. Verùm hoc maximè videtur facere ad ſtylum & concionandi ſeriem, per Euangelij contextum paſſim diſcurrere, mox digredi, vt dictum eſt, earumque vltimam digreſſionem ampliare, dilatare ad ſummum poterit, & ſpiritus feruore eam abſoluere: & ſic concionem perſtringere.Cuiuſmodi dicēdi characterem ferè ſemper obſeruat Chryſoſtomus, qui prædicationis munere eximius extitit, & peculiaris fuit. Et plerumque vtitur Gregorius in ſuis Homilijs, qui literam contextum

explicans, interim doctrinas deducit, & viciſſim, iterumque digrediens, Euangelium luculenter exornat. Has quidem digreſſiones modò ampliat, nunc congruè differt, aliâs veteris legis exemplis, authoritatibusve fulcit, vt ad rem melius facere videtur.

De correptionibus.

Cap. XV.

IN hiſce digreſſionibus (de quibus noſter modò vertitur ſermo) quæ quidem comparationibus, authoritatibus, & exemplis fulciuntur, atque ſcriptura; congruum quippe videtur, vt poſtquam concionator ſtylo magiſtrali, documenta tradidit Euangelica, terminetur digreſſio quodam ſpirituali feruore, adiuncta correptione. Eiuſmodi namque terminandi modus, prætérquam quòd vtilis valdè eſt, atque maximè congruus, ad hæc efficit, ne concionator tepidè, & inſulsè digreſſionem perſtringat eo nãque modo ferè ſemper Diuus Chryſoſtomus vtitur, peculiariter in homilia decima nona in Geneſi. Quàm primùm enim breuiter concluſione data & ſacræ ſcripturæ citatis locis mox aduerſus turpis lucis cupidos inſurgit, & auaritiam acerrimè taxat. Deinde in Homilia quartadecima, poſtquam audientium excitauit affectus, & ſummis quaſi precibus, vt ineffabilis Dei erga hominum genus pietas, & miſericordia, eorũ vt tenaciter hæreat memorijs. Deinde admonet, vt quod reliquum eſt quadrageſimalis temporis, non modò cibis, & potibus, verùm & vitijs parcant. Inſuper euerſæ & penè labefactatæ corrigant vitæ mores. Quapropter vt ſuperius cap. nono, illo commu-

niſſimo, & tam vulgato exemplo: Iniquum eſt, alienam vitam dijudicare: comparatione, ſcriptura, & authoritate poſita, mox completa eſt digreſſio illa, quadam animaduerſione ad populum facta, in hunc modum. Nā vitæ curſus ſempiternus eſt? verùm cùm ſtrictiſſimus ille ſit, impenſæ operæ non eſt opus. Authoritate hanc reprehenſionem confirmemus Apoſtoli ad Roma-
Rom 2. nos dictis: Tu quis es, qui alienū iudicas ſeruū. Hic prædicandi ſtylus nimium præſtat: in eo ſiquidem vitiorum oſtenditur turpitudo, atque cauillatio. Inſuper eorum criminum patratores viua, atque terrifica voce digniſſimè corripiuntur. Hoc eodem dicendi ſtylo vſi ſunt omnes antiqui patres, Dei Prophetæ, quorum quidem Prophetiæ duriſſimis pullulant, & acerrimis ſcatent minis, & exemplis. Nam ſicus Redemptor noſter in verbis Euangelicis: eiúſque Apoſtoli ſanctiſſimi ſectatores, & diſcipuli vſi ſunt. Quapropter Euangelicus ille concionator, qui ſuggeſtum aſcendens, nimium acutis, & ſpeculiatiuis ſe inuoluit dubijs, longè abeſt, tam vt plurimos in horrea Domini ſui congreget fructus, quàm etiam vt emolumēti quicquam percipiat. Quod ſi egregium verbi Dei miniſtrum ſe autumat, & ſui muneris exactor optimus vt ſit, quæ rationabilia ſunt, prædicet oportet, humilia humilibus, non ea quæ ſupra vires ſunt, & aſtantium mentes capere valent. Ob idque quādo in Euangelij contextu de Auaritia, Gula, Hypocriſi, Luxuria agitur, &c. Aut cùm Chriſtus Dominus Iudæorum increpat duritiem, aut taxat criminum perniciem eorum verſutiam redarguens. ipſe quoque concionator debet indignari, & ad fidelium cœtum ſermonem conuertens,

acerbiſſimis, atque terrificis verbis eademmet crimina reprehendat. Exempli cauſa: Quando *Matt.* Chriſtus redarguit Phariſæorum turbam, qui *13.* quaſi Zoili obtrectabant, dixit: Quare vos tranſgredimini mandata Dei propter traditiones veſtras? Mox ad populum conuerſus, tu dicito. Hoc ipſum noſtris temporibus fieri cernimus, in quibus principes, atque præfecti nimium zelantes à ſe latas atque ſancitas leges, intrepidè quidem putant legem Dei pro ſuis nouis impoſitionibus poſthabendam: ac ſubinde Chriſti documenta contemnunt. Idem omnino cùm dixit *Ioan. 8.* Phariſæis: qui ſine peccato eſt, mittat in eam primum lapidem: dicito tu. Ita ſeſe modò habet res: pleroſque enim videas maximè Dei honorem qui ſe zelare prætendunt. Hi moleſtè, grauiterque ferentes aliena crimina, ea vel leuiſſima, ad vnguem puniri deſiderant; cùm *Luc. 6.* ſuas vel grauiſſimas noxas non coniectent. Feſtucam quippe in proximorum oculis aſpicientes, trabem in ſuis non conſiderant. Acturus de vinea Euangelij, cùm Dominus miſit ſeruos ſuos ad agricolas: tandem filium ſuum è medio tollentes ad hæc Domini ſui bona vſurpare conabantur, dicentes: Hic eſt hæres, &c. Vbi po- *Matth.* terit concionator hominum ingratitudinem ta- *21.* xare: ſiquidem cùm maxima beneficia de manu Dei ſuſceperimus, quo maiora eſſe nequeũt, diuinis chariſmatibus inſignitos reliquit nos, nobiliſſimum pignus. Iudæi namque typicè ſuſceperunt manna, nos verò Angelorum eſcam, viuificum manducauimus panem. Hiſce, & pleriſque alijs muneribus nos affecit: ſed iterum delictis noſtris Chriſtum crucifiximus, vt inquit Apoſtolus. Et criminum peſſulo oſtium *Heb. 6.*

ineffabilis Dei miſericordiæ patulum obdidimus: & quod liuore ſuo reſerauit, nos peccati crimine obturamus. Huiuſmodi concionandi ſeries, nimiam continet vtilitatem, ac multum emolumenti parit. Parum namq; refert, minusve fœneratorem mouet, aut turpis lucri cupidũ minus confundit, quod Phariſæorum hypocriſim refellas, aut auari illius luxuriem deteſteris, vel ſacerdotum legis ingratitudinem redarguas: quinimò de obiurgationibus eorũ oblectantur fideles. Cæterùm ſi inter agendum de eorum vitijs, ſermonem ſuum ad fidelium cœtũ conuertat, oſtendens eis verſutiam, ac malitiam ſuam, inſtar Phariſæorum: & quomodo grauiſſimum promerentur ſupplicium, & quod quãdoq; fiet vt pœnas luãt: ſiquidẽ fideles cùm ſint, eadem Ethnicorum crimina patrant. Tũc quippe illi grauiora ſubibunt tormenta, qui Chriſtum optimè cùm noſſent, maximis conuicijs in eum irruerunt. Liquidò hinc patet eiuſmodi taxandi modum nimium vtilem fore animabus. Namque præcipuum concionatoris munus eſt, peccata populi reprehendere. Quos tamen Euangelicæ doctrinæ præcones monitos vellem. Magna enim prudentia requiritur, maximumq; hoc taxandi opus diſcerniculum poſtulare videtur. Ea namq; alacritate vigeat oportet, vt neminem omninò ſuis parum libratis verbis ſcandalizet. Det tamen operam, vt eius correptio ad omnium vtilitatem, & vitiorum euulſionem proſit, quàm indignationem, ſeu ſcandalum, pariat. Exemplum eſt nobis aptiſſimum in ea ſatis penſata, diſerta, ac præuiſa correptione Nathan Prophetæ. Mox atq; aggreſſus eſt Regis Daud nefanda crimina reprehendere, eo namque ve-
borum

borum delectu illius parabolæ ſigillatim verba librauit, & eorum, quæ aggrauant culpam annexa diſcuſſit: nec non & ſermonis lepore, quadã energia, in ea verba prorupit, vt coactus Dauid in ſe tulerit ſententiam. Abſit tamen vt quemquam peculiarem taxando indices, aut turpi affectum nota verbis demonſtres: occulto aliquo labefactatum crimine notum facias: ne inde populus coniectet, aut planè cognoſcat in quem talis correptio illata eſt. Hoc quippe habet intelligi cùm eiuſmodi crimina non ſunt admodum exorbitantia, & ſcandalum pullulantia: tunc enim publicè increpanda ſunt: peculiariter tamen cùm fraterna & ſpecialis correptio præceſſerit, & talis labefactatus diſciplinæ capax fuerit. Quod ſi tunc ſcandalum oriatur, parum refert. Nam ſecundum Iuris præceptum, Facilius ſcandalum oriri permittitur, quàm quòd veritas relinquatur. Non ſecus Redemptor noſter fecit, cuius actio, noſtra eſt inſtructio. Qui palam, non priuatim, aut ſingulis quibuſque, ſed potius conuocatis, & conuenientibus in vnum *Mat.* 23
Phariſæis, & legis peritis, eos quippe, qui viuæ vocis energia hypocritas appellat, & ſimulachra, atque monumenta forinſecus dealbata, & coloribus fucata, intrinſecus tamen oſſibus, & vermibus ſcatentia. De quibus ad populum conuerſus dicebat. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, *Luc.* 22.
pluſquam Phariſæorum & Scribarum: non intrabitis in Regnum cœlorum. Et in Euangelio *Matt.* 5.
Ioannis habetur. Vox ex patre Diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere. Inſuper & *Marc.* 6.
Domini præcurſor execrandum, atque inceſtuoſum Herodem palàm increpauit, & durè nimis. Et Apoſtolus quoque Philetum, Hermogenem,

Hymeneum, Alexandrúmque propriis nominibus appellat. Et ad Timotheum ſcribens, ad-
1.Tim 1 monet, vt populi noxas publicè redarguat, & peculiariter nullis omnino ſpecialibus criminibus parcat, quin palàm ea euomat, & viriliter taxet.

Ad hæc aduertendum eſt concionatori, ne huius rei ignorantia teneatur: ne dum probabiliter, aut per reuelationem cognoſceret doctrinam ſuam minus fore profuturam, vt peccatores à peccati labe diſcedant. Cæterùm vt ſui muneris debitum penſum abſoluat, ab incepto ne deſiſtat, & correptione, minarúmque rore ignita hominum ſcelera extinguat, atque coërceat. Præcurſor namque Domini, qui pluſquam Pro-
Mat. 4. pheta nominatus eſt, & ſpiritu Dei delibutus, non latebat eum penè induratum, & obſtinatum Herodem fore: qui tamen execrandum eius vitium iterum, ac iterum increpabat, vt impenſi muneris debitam, & exactam perſolueret operam. Sed quid plura? Nunc redẽptorem noſtrum
Marc. 6 delituit, ſeu aliqualiter illum fugiebat obſtinata omnino euerſa Phariſæorũ corda fore? Numquid de eorum deſperata ſalute quicquam ſperabat? Verùm ipſam veritatem ne celaret, prædicabat. At verò cùm ea ſit rerum viciſſitudo, & humana natura (vt eius eſt fragilitas) in omni vitiorum genere fuerit volutata, & nefandis inſultibus labefactata, & quamuis maximus Deus tibi reuelaſſet, nequaquam futurum eſſe, vt hi ſceleſti & improbi quique homines conuertantur, propterea minimè increpare deſinas. Ne fortè huius criminis contagium increſcat, & aliorum animas euertat. Sed ipſe vi, & energia correptionum, vſum peccandi cohibe, & aliquantu-

lum coërce, vt eos deinceps pudeat peccare, & tantum Deum offendere.

Hæc omnia intelligenda ſunt, vt eo modo dicantur, quo populus planè cognoſcat, non propter aliquam libidinem, aut appetitum vindictæ eadem ferri, ſed tantùm vt maximi Dei efferatur, & zeletur honor, & peccandi vſus funditus eradicetur, & fomentum hoc euellatur. Quod in ipſo concionatore facilè reperitur, ſi non petulãtia, ſed quadam modeſtia; non iracundia, ſed lenitate & Chriſti feruida charitate increpauit. Nam vt Diuus Chryſoſtomus inquit, nihil ita confert, vt ille, qui audit, perſuadeatur, ad reſpiciendum quæ dicuntur, ac ſi cognoſcat, quod cum magna dilectione dicuntur. Nec difficile admodum eſt perceptu, an ipſe concionator habeat charitatem, & zelum proficiendi: quod in eius verbis facilè cognoſcetur, & in procedendi ſerie conſpicies. Quòd ſi rei ſcopum velis attingere, hoc tibi conſilij do, vt omni proprio amore omiſſo, nec non & appetitu vindictæ, hæc te moueant dumtaxat, Amor Dei, & tui proximi ſalus, & ſic ea vrbanitate, & modeſtia increpabis, qua expedit. Non enim congruet inurbanè, aut infeſtè, minúſue modeſtè loqui. Vitiorum ſiquidem turpitudinem licet examinare, abſque eo quòd lingua aberret, maledictis alios laceſſens, & petulantiſſimis conuitiis en alios irruens. Propterea caueat in pulpito forſan dixerit hæc vocabula, ſcelus, aut ſceleſtus, Hiſpanicè, (vellaco, ô vellaqueria:) quamuis de turpiſſimo, aut ſceleratiſſimo quouis homine ſermo fiat, vt de Luthero, &c. Namq; Euangelicus concionator maximè perſpectus, & vrbanus debet eſſe, qui ſpectaculum factus eſt omnibus. Sed loco eorum

hiſce æquipollentia proferat vocabula, vtpotè, iniquitas, iniquus, abominatio, inſultum, exorbitantia, aut nefanda crimina, mens inceſta, animus impurus, & hiſce ſimilia.

Caueat tamen ne fortè excandeſcat nimis, & quaſi effrænis equus currens, immoderatè taxet. Ita ſiquidem cohibenda eſt. Nec in doctrina admodum rigidus eſto, vt tua magis ad æmulationem, & deſperationem correptio faciat, quàm ad ſalutem animarum. Medici namque dulcibus & lenibus amara, & acria ſolent medicamina temperare: & pillulas deargentatas præſtare languidis. Et inſtar illius Samaritani, qui vinum ſimul & oleum vlceribus infirmi applicuit. Eo modo Euangelicus concionator in fine concionis illecebris, & blanditiis ſuadeat. Cuiuſmodi ſerie D. Chryſoſtomus plerumque conficit ac terminat ſermonem, cuius loca, breuitatis cauſa, miſſa facio. Quinimò concionator iam terminaturus concionem ad Deum conuerſus, mox ad populũ, eos exhortetur, & viciſſim moneat dulcibus, & ſedatis verbis vt mores corrigant, amorẽ, paſſionem, & Chriſti reuerentiam eis proponens. Eóque fiat modo, vt quamuis propter correptionem antea confuſi fuerint, modò conſolentur; & tantùm offendiſſe Deum eos pœniteat.

Obiter tamen licet aduertere, ne presbyteros palàm, & coram populo ex aliqua peculiari labe eos corripiat, aut notet, Quòd ſanè fieri poterit in ſuis capitulis, ſeu congregationibus priuatim. Ad hæc, ſi eos coram populo taxet, correptio ſolùm faciet, vt dignitas ſacerdotalis vili pendatur. Hoc enim abiit in vſum, vt ipſe populus ſacerdotum crimina, ſeu monachorum defectus audiendo maximè congaudeat. Quapropter preſ-

byteri eiuſmodi, ſi taxentur, deteriores fiunt, & duriores corde: inſuper & ſcandalum oritur. Veruntamen de auaritiæ peccato, luxuriæ, libidinis, ambitionis, &c. cùm ſit correptio: tam ſacerdotes, quàm alij cæteri homines comprehenduntur, ac eorum vitia licebit corrigere.

Vt autem ab his me expediam, monitum velim Euangelicum præconem, quòd adhuc ſi aduentitius in populo quodam fuerit, ne illius populi quæ nouerit peculiaria crimina, nimis rigidè, & quadam authoritate reprehendat: audientes enim non æqui, & boni conſulent: ſed quòd prædicandi copia non tibi ſuggeſſit, aut occurrit ſuſpicabuntur, ob cuius penuriam, vt eos taxares, orditus es. At quod initio tenetur facere, primum illud eſt, aliquot prædicare ſermones, & hos egregios, in quibus pro viribus & perdoctum & ſapientem ſe præbeat omnibus. Poſtea verò cùm erga populum celebre nomen ſortitus fuerit, & pro bene docto & erudito habitus, & diuino flamine delibutus, & virtutibus inſignitus: tunc quidem authoritatem habet is increpandi. Maximè namque intereſt vt populus de ipſo bene audiat, ad hoc, vt eius documenta libenter percipiat, & correptiones æquo animo ferat. Neoterici quidem, & quaſi iuuenes ætate, non habent tantam authoritatem ad increpandum, velut iam ſenes, proptereáque ne nimium reprehendant. Adhuc tamen & ipſi iuuenes quique concionatores luxuriæ, ſeu carnis vitium nō reprehendant: ſed ipſi duntaxat ſenes, hique raro, & ſatis liberatis verbis, nō obſcænis, aut turpis notæ vocabulis vtantur. Cæterùm hoc vitium acriter reprehendant referendo ſacræ ſcripturæ exempla: vt planum fiat, quot, quantíſq; generibus

ſuppliciorum hoc tantum, tamque graue vitium Deus puniuit, & duriſſimam huiuſmodi contrahentibus pœnam impoſuerit.

Quomodo increpandum ſit: & ex Euangelio, vti correptiones ſint deducendæ.

CAP. XVI.

COLOR rhetorum eſt, quod quando quis habet taxare aliquod vitium, inquirat aliquid peculiare mali, per quod aliis præferatur vitiis: ad hunc quippè modum illius criminis fœditas, & turpitudo magis liquet, eiúſque verſura planius conſtat: vt dum magis dehoneſtatur, magis omnibus fiat exoſum. Exempli cauſa. Si ſuperbiæ taxetur peccatum, licet ipſum cõcionatorem non ſolùm huius vitij turpitudinem demõſtrare, verùm facta comparatione ad alia crimina, illud abijciat magis, dicens. Hoc vitium adeò execrandum eſt, & Deo odibile, quòd cùm reliqua vitia nociua, & iniqua ſint, Deus tamen, vt tantum curet languorem, permittit, vt in reliquis offendamus peccatis. Vnde fit palam omnium turpiſſimum eſſe vitiorum. Nuſquam enim vnum toleratur malum, niſi vt alterum vitetur peius; vt in populis & ciuitatibus fit. Mulieres ſiquidem publicæ permittuntur, deteriora ne fiant ſcelera, Loth etiam qui filias ſuas innuptas, & adhuc cœlibem vitam agentes, Sodomites tradebat, vt ſtupendum, & execrandum aboleret peccatum. Propterea, vt ſuperbiæ Deus auferat languorem, alia toleraſſe crimina cernimus. Vt liquet in D. Petro, qui vt arrogãtiam ipſius propulſaret, illum negare permiſit: vt ſic ſuæ nimiæ

fragilitatis agnoſcēs languorem, alios ne aſpernaretur. In vltima enim cœna dixit de ſe: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, ego autem non ſcandalizabor. Idem omninò legimus cum Dauid factum, quem prius in homicidij, adulteriíque flagitium labi permiſit, vt tandem illum humiliaret. Ego dixi in abūdantia mea, non mouebor in æternū. Quid inde? Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Inſuper alia quoque vitia ſtatutis temporibus ſuas quæque ſortiuntur operationes. Namque carnalis, & luxurioſus ſæpè tepeſcit, & ſui vitij obliuiſcitur. Etiam voraces, & guloſi, &cæt. At ſuperbus, & elatus, vbique & ſemper tam publicè quàm priuatim tuum exercet munus. Quod ſi luxuriam reprehendat, dicat, vt reliqua crimina vnam partem hominis, vtpote ipſam animam, contaminant, at luxuria corpus, & animam vtrumque corrumpit, quod eſt templum Dei, iuxta illud Pauli; Neſcitis quod corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? Qui violauerit templum hoc, deſtruet illum Deus. Si verò Auaritiæ increpet vitium, dicat, quòd ſi reliqua crimina contrahentibus illa, obſint, aliis tamen emolumento ſunt. Vorax namque obſonatoribus, & coquis opíparas, lautaſque parantibus dapes, ſuggerit alimoniam. Sutores quoque purpureis, ſericíſque ſe induens veſtibus ditat prophanus. Nec non & fabris machinantibus ædificia, & laqueata ſtruentibus tecta, ſuperbus nummos impertit. Et quos famulorum turba comitatur, & quibus miniſtrantium aſtat multitudo, hos alunt & paſcunt. Cæterùm auarus nemini prodeſt, omnibus tamen obeſt, qui frumenti obturata ne reſeret horrea, fame miſer petit, & alios perire facit.

Mat. 26

2. Reg. 11.

Pſal 29

1 Cor. 6.

Eccl. 10. Ideo Scriptura ait: Auaro nihil ſceleſtius. Item: Cuncta vitia temporis curſu delentur, ſola auaritia eſt, quæ ſenecta vireſcit. Quare dictum eſt: Seneſcente homine, cuncta vitia ſeneſcunt, ſola autem auaritia iuueneſcit. Et Poëta, Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Sufficiant adducta exempla. Idem namque in reliquis vitiis examplificari poteſt; dummodo prædicta ſeries obſeruetur, videlicet quod fiat comparatio vnius ad aliud: ita namque illius vitij magis claret fœditas & malitia.

Sed quæres modò quonam pacto prædictæ correptiones ex ipſo Euangelio deducãtur. Reſpondeo tamen quod bifariam. Vno modo poſitiuè, alio modo à parte cõtraria. Prima eſt quando in Euangelio taxatur aliquod vitium, ex hoc deducere facillimum eſt: velut cùm dicit de illo
Luc. 15. prodigo, quod conſumpſit omnem ſubſtantiam ſuam luxurioſè viuendo: in qua quidem noſtri temporis luxurioſi increpãtur, qui animã ſuam,
Mat. 22 bona ſua, & demq; honorem amittunt. Et in illo
Prou. 2. quando Phariſæi venerunt ad Chriſtum dicen-
Luc. 16. tes: Magiſter, ſcimus quia verax es, &c. Facta quippe eſt correptio aduerſus adulatores, & detractores. Simulator ore decipit amicum ſuum. Etiam cùm Euangelium tractat de vitiis illius auari, liquet correptio aduerſus voraces, & indumentorum luxum, & contra eos, qui erga pauperes, & egenos ſe præbent impios, & parum miſericordes.

Secundus modus eſt, cùm Euangelium tractat de aliqua virtute, tunc eius contrarium vitium taxetur. Vt in Dominica quarta põſt Pentecoſten
Luc. 5. ait Sanct. Lucas. Cùm turbæ irruerent in Ieſum vt audirent verbum Dei. Animaduertite huius

turbæ feruidum, & anhelantem ſpiritum: qui vt verbum Dominicum audirent, irruebant magna cum deuotione. Secus tamen noſtris modò fit temporib. quos virgis, nec impulſibus in Eccleſiam trahas. Et in Euangelio illius fœminæ adulteræ, inquit S. Ioannes: Perrexit Ieſus in mõtem Oliueti, & diluculo venit in templum: & omnis populus venit ad eum. O quãta fuit huius populi deuotio, & dilıgẽtia qui ſummo manè, vt verba Domini audirent, ſurrexerunt. Modò verò non diluculo, ſed ad meridiem vſque dormitantes, dum iam terminatur concio, adſunt. Et in illo Euangelio diei octauæ S. Petri Apoſtoli, inquit S. Matthæus, quòd Petrus dixit ad Ieſum: Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas: Nunc verò non fit ita, nec ire volunt, ſicut D. Petrus: ſed Chriſtum ad ſe venire volunt, rem ſacrã intra domeſticos parietes celebrantes, & quòd arca fœderis in templum Dagon feratur, ſicut illi Ethnici volebant: in eodem altari, vbi erat Dagon, deponi. Hi etiam in domibus ſuis, abominationibus, & idolis plenis, receptaculis aleatorum factis, vitiis carnalibus, & voracitatibus imbutis Corpus Dominicũ cohabitare præſumunt. Cum de S. Andrea fit ſermo, vel de aliorum Apoſtolorum aduocationibus, inter agendum de prompta & celeri eorum voluntate in exequendis Dominicis præceptis, ſiquidem ſtatim ſecuti ſunt eum. Nos verò obturantes aures plerunque vocati cùm ſimus, nos eas patulas præbemus, nec ſibilis, & vocationibus Dei obſequimur: ſed non impunè quidem feremus. Audite Dominum dicentem: Vocaui, & renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm id quòd timebatis, vobis aduenerit. Sufficiant dicta ex-

Ioan. 8. *Mat. 14* *1. Reg. 5* *Matt 4. & 9.* *Pro. 1.*

empla, vt quiſque ſapiens, & ingenioſus concionator exhauriat vitiorum correptiones virtutibus aduerſantium.

De alio modo ampliandi digreſſiones.

Cap. XVII.

VT autem concionator Euangelicus in hiſce, tribus ſupradictis loquatur, ſcilicet, comparationibus, authoritatibus, & ſcripturæ exemplis, quamobrem correptio non ſemper eſt adhibenda, hoc medium obſeruabit. Nam ſi idipſum, de quo pertractat, conſilium aliquod ſit, aut cõmune quicquam ad Dei cultum ſpectans: tunc ponat caſus, tribus iam prælibatis (quæ ad vitia ſpectant) obſeruatis. Radices namque & quaſi fundamenta malorum ea ſunt, ſuperbia, luxuria, auaritia, & horum affectus. Quod ſi de vitiis, ſeu de virtutibus peculiaris ſermo fiat, ſumat caſus ad triplicem viuentium ſedem: quarum vna ſit equitum, alia ſeruorum Dei amicorum, vltima verò rei fabrorum, ſeu Dominantium, aut religionis ſectatorũ: huiuſmodi namq; faſtidium nõ pariet. Quamuis in hiſce ſermonibus concionator vulgata & trita, communéſque caſus debet ſumere: & quæ inter audientes communiter feruntur. Hic nimirum modus maximè vtilis eſt. Quod ſi in principio audientibus durum ſit perceptu, & valdè laborioſum: peculiariter tamen, & oculatius ſi hæc attendant breui ipſo temporis ſpatio dociles, & nimis idonei efficientur: ſic & in reliquis comparationibus. Vt autem hoc ipſum facilius percipi valeat, aliud inſuper addam medium, ſub pecu[illegible] a &

nouo conceptu: vt iucunditatem afferat. Nec nō ipſa media authoritate, comparatione, & ſcriptura fulciam, duobus quidem appoſitis obſeruatis, vt, quod dictum eſt, planius intelligatur. Exemplum erit in illud Euangelij: Miſereor ſuper turbam: quia iam triduo ſuſtinent me, neque habent quid manducent. *Marc. 8.* Omnis languor, omnis infirmitas, omne malum noſtrum ortum habet ex eo, quòd Chriſtum Dominum non ſectamur, vt iſti faciebant. Hinc eſt quòd panem Dei viuificum non manducamus, nec eius ſpiritualem conſolationem deguſtamus. Vos qui beatifica Dei viſione frui deſideratis, hanc vobis veritatem ſuadete: quod ſi Deum vultis habere, virtutis ſectatores ſitis, vt in ea conſtantes exhibeatis vos, & fortes. Si quis adeſt qui conſolationem Dei exſpectat, ſicut & hos conſolatus eſt incepto virtutis, & amoris Dei, ſtabilem ſe præbeat & fortem. Aliàs diuinum auxilium quomodo exſpectas, debilis cùm ſis in proponendo, & tardus in exigendo illud? Quid faciā tibi Ephraim?? *Oſee 6.* Quid faciam tibi Iuda?? Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens. Attende, ô Chriſtiane, verba hæc: Attende tu, ô eques, qui adhuc in bono cœpto non perſtitiſti. Quid faciam tibi, ait Dominus, qui verbum meum audis, & tot inſpirationibus & optimis deſideriis animum imbuiſti: in nullis tamen perſeueraſti, ſed quaſi nubes matutina, quæ flante funditur aura. Deficit quaſi ros optima deſtinatio, oriente delectationis Sole, & turbine voluptatis ruit. O ſerue Dei, qui in dies ſtudes vt intra temetipsū recipias, atq; in orationis ſtudio te exerces & bonis operibus intentus ad virtutis culmen adſpiras. Quid faciam tibi in iis haud firmus cum

ſis? Vt te præcingis ad bellum, vt mea tibi conferam bona? Qui quaſi nubes matutina, & quaſi ros, ſic deficis, vt viſitationem meam expectabis, qui fortitudinis loricam adhuc non induiſti? O tu qui manuum labore viuis, quid faciam tibi, aut quo modo me tecum geram, & neceſſitatibus tuis opitulabor, qui in bonis operibus intentus non perſiſtis? O quanta nobis bona ſuggererentur, ſi virtutem ſectaremur: ſectemur Chriſti Domini veſtigia, & in bonis operibus perſeueremus. Nam ipſe ait: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. En tibi Dei ſigna-
Mat. 10 culum: En dictorum concluſio: En cenſura: En virtutis ſtipendium. Quod non ſolùm animam tuam emolliet, verùm & maxima præmia comparabis. Quid bone Deus, ſenties, cum videris homines, hóſque pauciſſimos in bono perſtare? Miſit Ioſue exploratores in Hierico, vt irruerent in Hai: & expugnauerunt ciuitatem. Verùm quia Achan filius Charmi, vnus virorum, præuaricatus eſt, permiſit Deus poſtquam explorauerunt: Hai, mox terga verterent, nec expugnare valerent, & ex eis corruentes nonnulli. Quod cùm audiſſet Ioſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vſque ad veſperam: & clamans Ioſue dixit. Heu Domine Deus, & cæt. Mi Domine, quid dicam, videns Iſrael terga vertentem hoſtibus ſuis? Quid faciam denique hanc penuriam, ruinámque aſpiciens? Attende, ô Chriſtiane, vnum interea, quod Chriſti Domini virgineum ſacrúmque carnis indumentum crucis patibulum iubens ſcindi, fodíque fecit, illud nimirum fuit inſtabilitatem noſtram intueri. Poterat quippe nos redimere, abſque eo, quod noſtram fragilitatem indueret &

pateretur. Sed nutu duntaxat nos ſaluare vtique poterat:at inter cætera Doctorum aſſerta, & cauſas, propter quas Chriſtus nobiſcum habitare voluit, ſimul & pati, vnum quidem eſt, vt oſtenderet palam quantum pro peccatis noſtris doluiſſet. O ſi noſſes & tu, quantum Chriſtus doleat, dum quaſi canis ad vomitum in idem peccatum recidis, poſtquam pœnituit peccaſſe, ac Deũ offendiſſe. Tactus Deus ipſe dolore intrinſeco ſortem, vicémque tuam dolet, eo quod in bono cœpto non perſeueraſti. Amice, ad quid veniſti? dixit Iudæ. Quamprimum enim coniectauit in bono cœpto haud perſtitiſſe, & cum traditor in eum irrueret, ab Apoſtolorum collegio diſceſſiſſe cognouit, & præuaricator effectus eum tradidiſſet. Vide, ô chariſſime, quòd humilis & patiens aliquando fueris, & parum tua retuliſſe: propterea quod ab aliis pro nihilò reputatus fueris. Modò illud iam pertranſiit, & probæ deſtinationes abierunt, & diſſipatæ ſunt, & quod facere decreuiſti: iam oblitus es. O quanto maximo Chriſtus Dominus gaudio afficiebatur videns illorum conſtantiam! In illa hora exultauit Ieſus in ſpiritu. Diſcipuli Chriſti acceſſerunt ad eum gaudio delibuti, ex eo quod ſua doctrina magnum fructum comparaſſent. Quibus cum Redemptor noſter ſimul lætatus eſt, & gauiſus. Benedictus Deus noſter in æternum, cuius filius lætatur cùm probè & ſecundum rationem tu viuis. Agite tandem. Nunquid adeſt aliquis, qui hoc Chriſto gratum velit facere? Protinus à malo diſcedat, & virtutem ſectetur. O quàm iucũdus & gratus erit Deo. Caue tibi, ô homo, quid feceris. Hæ namque fluctuationes & tempeſtates, & varij expugnantium ictus, quos, ne Deum

2. Pet. 2. *Gen. 6.* *Mat. 26.* *Luc. 10.*

offendas, viriliter ſuſtines, huiuſmodi Chriſto maximè placent. Nunquid aderit aliquis, qui placere Chriſto non ſtudeat, vt illi referat gratiam aliqualiter pro ſibi illatis conuitiis & doloribus? Benedictus, & laudabilis ſis Domine mi rex, & bone Ieſu: hanc mœſtitiam, hoſque labores, quos pro me ſuſtinuiſti modò gratus vtcunque ſoluam, & deinceps mihi perijſſe præſtabit, quàm tantam maieſtatem offendam. Modò contumelias, & opprobria mihi illata æquo animo feram, & ſi in me vniuerſum inſurgat. Agite iam, qui perſeueraſtis, & ſtabiles in bono fuiſtis. Vbinam vitam felicem degitis, vt victum viuificum paſcatis? &c. Triduo iam ſuſtinent me. Expedit ergo nobis in bono perſeuerare, & conſtantes eſſe: aliàs hoc cœleſti pane haud potiemur. In prælibato quidem exemplo ad viuum (vt aiunt) & planè vidimus hunc ampliandi digreſſiones modum, cum ampliandi modis. Prius namque punctum deduximus doctrinæ, quam docemus. Nam ſub illo: Triduò iam ſuſtinent me, aptandum eſt concluſioni, quæ intendebatur: ipſa namque aſſertio erat. In bono perſeuerare. Deinde mota eſt digreſſio cum illa authoritate, ponendo illud medium, quod ſubſequitur, damnum eos, qui in bono minimè perſeuerant. In contrarium tamen explicata illa autoritate, actum eſt cum triplici viuentium ſede ſimul & cum nocumentis, quæ eis perſeuerantibus aduenient. Deinde oppoſito modo mota eſt digreſſio, eos, qui perſeuerant laudando: & hac explicata comparatione cum ampliatione trium caſuum, ſeu exemplorum. Mox authoritatē ſubſumpſimus cum comparatione, ad ipſam quippe doctrinam confirmandam. Nam cùm ipſamet

comparatio ſit noſtræ rationis opus, neceſſum eſt ſimul & authoritate aſſumptum roborare. Deinde aliud medium ad mouẽdum poſitum eſt, quod fuit de Chriſti paſſione:& hoc quidem medium ſub ſcripturæ exemplo tribus caſibus hanc expoſitionem declarando, quorum alter, authoritas eſto. Subinde alio iucunditatis Chriſti modo, vtpote oppoſito, motum eſt. Ex hoc ſub autoritate poſitum, & declaratum fuit ſub applicatione caſuum. Mox doctrina illa epilogata eſt, quæ ab initio eſt incepta, vt punctum iterum ſumeretur. Ad huius quippe ſimilitudinẽ poterit quodcunque aliud punctum dilatare. Aduertendum tamen eſt, iuxta hunc modum, quod quamuis hic pergimus de puncto ad punctum autoritatibus, comparationibus, & exemplis ſcripturæ, propterea non debet ſic coarctari, vt hoc regulariter obſeruetur. Namque vniuerſa media, autoritate duntaxat, vt illi placebit, extendi poſſunt: & quamuis tria puncta adhibuimus, alia prout libuerit, ponere licebit, dummodo puncta, ſeu digreſſiones non multiplicet, vt faſtidium pariat. Non ſubinde eò pauca proponat, vt eorum media arida ſint & prorſus ſterilia. Atque ita debet concionari, ne fidelium tepeſcant affectus.

De gemino alio modo ampliandi digreſſiones.

Cap. XVIII.

AD ea, quæ ſuperiori capite dicta ſunt, vt quamlibet digreſſionem, ſeu punctũ ſectari poſſe data concluſione; vbi quidẽ doctrina cum ſua amplificatione traditur: Mox ſacrę ſcripturæ

exemplum ponitur, totius hiſtoriæ enarrando diſcurſum. Eiuſmodi exemplum ſit de damno, ſeu nocumento, quod eius contrarium inferret, de quo & ipſa propoſitio pertractat. Quo quidem enarrato exemplo moneat, atque ſuadeat illo concionator, oſtendendo damnum, quod eis adueniet, niſi id ipſum, quod præcipitur eis, re ipſa fecerint. Idémque authoritate confirmabit, quæ faciat ad illud. Quo finito, alia inſuper narretur hiſtoria alterius exempli, in qua agatur de beneficio ab aliquo accepto, ex eo, quod illud fecit. Quo cum moneat idipſum quoque faciat & ill, ad quod corroborandum ſumat authoritatem quæ ad rem faciat Hoc liquidò ſatis conſtabit, ſi dicta doctrina in ſuperiori puncto ad exemplum redigatur, ſecundùm hoc quod ſequitur: Ecce iam triduo ſuſtinent me. Ex eo quod non perſtamus in bono, hoc damni accidit nobis, vt nō paſcamur à Chriſto. Nobis ergo in bono cœpto perſeuerare, & ſtabiles, firmoſque eſſe, expedit. Si quis adeſt, qui huc venit, vt aliquid frugi ex concione capiat, hanc ſibimet ſuadeat veritatem: quod ſi à Deo paſci deſiderat, in bono perſtare debet, & in eo firmum & ſtabilem ſe præbere. Pleraque enim damna non perſeuerantibus eueniunt, velut ſacra ſcriptura ait: Quoniam vo-
Gen. 19. lens Deus Sodomam, & Gomorrham euertere, vocauit Loth, & dixit ad eum: Salua animā tuam, & noli reſpicere poſt tergum, ne tu ſimul pereas. Mox vt egreſſus eſt Loth, diſſipauit, & ſolo æquauit Dominus ciuitates has: & corruerunt omnes ſimul, qui in Sodoma, & Gomorrha morabantur. Coniux autem Loth audiens fragorem, & maximum ſtrepitum perterrita (nam ex fragilitate inconſtantia naſcitur) poſt tergum recipi-

reſpiciens, in ſalis ſtatuam conuerſa eſt: quam ad huc pecora lingunt. Quid ergo non perſeuerantibus reliquum eſt, niſi, vt in petræ ſimulacrum conuertantur? Quoniam vocauit te Deus, abominationes Sodomæ deſeruiſti, & per viam veritatis incedebas, gratus ſanè Deo: verùm leui ſæculi huius fragore conſternatus, dereliquiſti vias Domini, ac deſideriis ſæculi captus, tergum vertens, præuaricator Dominici præcepti extitiſti. Quid inde tibi ſupereſt, niſi vt obſtinatum cor geras? Et talis effectus nihil omnino proſis? Quid, ô chariſſime, tibi ſupereſt, ſi in bono non perſeueras? Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? Popule meus, ait Dominus, quid faciam tibi? Hic punctus amplietur: quo finito, aliud narretur exemplum huiuſmodi. Iacob, occurrens ei Angelus luctabatur cum eo, cui Angelus. Dimitte me: & ille noluit, quo vſque benedixiſſet ei. Cum quo tota nocte luctatus eſt, & manè benedicens ei, commutauit eius nomen, ſed & altero pede claudus Iacob manſit. Sic Deus facit cum omninò perſeuerantibus. Sic te gemino luctari brachio, & expanſis vlnis decet: vtpote Dei & proximi amore, & tota nocte perſtare luctando, donec rutilans venerit aurora. Nam qui luctatur & perſeuerat, tandē benedictionē obtinebit; quia qui perſeuerauerit vſque in finē, hic ſaluus erit. Aſpice, ô Chriſtiane, quidnam ſummá veritas ait, quòd ſalui erunt, qui perſeuerant. Amplificetur eiuſmodi authoritas, & mox epilogando dicat. Agite tandem, ô chariſſimi, firmi & ſtabiles ſimus, ne nobis contingat, quod coniugi Lot euenit. At verò quaſi Iacob alter mereamur benedictionem Dei obtinere, quam electis Deus promiſit in nouiſſimo die: & ſic pane Angelorū

viuifico in cæleſti regno potiamur, & velut hæc turba, quæ Chriſtum ſecuta, ab eo dignata fuit. Hic ampliandi modus facilis,ſimul atque iucundus eſt. Namque ſcripturę exempla ad hunc modum citata nimis placent.

Alter quidem modus ampliandi eſt, quàm primùm doctrina applicata fuerit, ſub illa propoſitione,vt in priori exemplo dictum eſt, mox authoritas in medium offeratur, qua quidem comprobetur illud, quod dicitur, eo veriſſimum & infallibile eſſe, quod maximus Deus id volens oſtendere,dixit,atque monuit hoc ipſum; Qua nimirũ authoritate perfecta inueniatur argumentum à minori ductũ. Ipſa namque authoritas,ſuggeret argumentandi occaſionem. Quo argumẽto propoſito, roborabitur alicuius exẽplo, qui id ipſum aſſeruerit. Hoc exemplo finito, duę, tresve authoritates ſcripturæ citẽtur, velut ſimilia quædã,& quaſi per tranſennã aut ſummis digitis (vt aiunt)tacta hoc modo. Id ipſum habetur: Id ipſum tali,vel tali loco dicitur,&c. Quibus breuiter tactis, incipiat illius rei defectum corripere, nempè authoritate, argumento, & exemplo, velut qui conqueritur:& poſt Dei verba cumulando in ipſa authoritate,dicens. Non mirum eſſe ſi Deus conqueſtus eſt, dum huiuſmodi mala extant. Hæc omnia in ſubſumpto liquida erunt exemplo. Ecce iam triduo ſuſtinent me, & c. Si hi non perſeueraſſent,nullatenus Deus victum ſuggereret. Modò infer concluſionem ampliatam priori exemplo. Deinde dicito hoc adeò veriſſimum eſſe, ſcilicet quod Deus perſeuerantiam vult in animabus, quas habet reficere:vt per Spiritum ſanctum in Canticis dictum ſit. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex for-

tiſſimis Iſrael: tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Nunc ô Chriſtiane,caue tibi,qui Deum obtinere deſideras,ne tua te fallat opinio, aut teipſum ſeducas. Anima tua lectulus Dei fortiſſimus debet eſſe, & valdè præmunitus,non autem debilis,& omni præſidio deſtitutus. Deinde fortiſſimis quibuſq; circumuallatus ex Iſrael. Namque eius propoſiti firmiſſimi, & præ omnib⁹ ſtabiles debent eſſe. Sic Paulus inquit: Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? Scio quod neque mors,neq; vita. Exiſtimatis nos tanquam paruulos eſſe,atque debiles: Firmiſſimi quidem ſumus, & ſtabiles: quoniam nec labor, nec dolor, &c. nos à charitate Chriſti prolongabit. Filij Iſrael canebant dulciter hymnos in mari, & collaudare cœperunt Deum, videntes ſuos hoſtes ſubmergi, & in ipſo etiam ad terram promiſſionis itinere illum benedicentes quod eos liberaſſet. Cæterùm non perſeuerantes,in Ægyptum reuerti cupiebant. Modò ad aliquam probè callendam artem continuus,aſſiduúſue vſus requiritur: nonne ad tantam rem obtinendam maior opera, & ſtudium requiretur? Aſpice quod legitimè certanti conceditur laurea. Labor improbus omnia vincit. Vt brauium hoc accipres, niſi in bono perſtiteris? Ideo Iob: Si occiderit me, in ipſo ſperabo. Hac ratione nos docet perſeuerare, quibus periſſe præſtabit, antequam retroceſſiſſe, aut à bono cœpto deſiſtere. Hic ampliádarum digreſſionum modus, maiorem præ ſe fert dignitatem, quàm duo ante habiti modi. Et ſanè luculentior eſt,quia vim habet,& innititur in literalibus ſcriſcripturæ ſenſibus:& tandem in eo fit argumentum à minori ad maius.

Rom.8. *Exod.15* *2.Ti.2* *Iob.13.*

De modo procedendi.

CAP. XIX.

QVEMADMODVM ſi cuipiam etſi famelico ſimul in diſco varij cibi, & innumeræ quaſi dapes apponerentur, faſtidium maximum generarent, & ad nauſeam eum prouocarent: quod ſi in ſingulis quibuſque patinis quique cibi apponerentur, excitarent quidem appetitum ad edendum. Ita contingit in concionibus; Niſi enim eius partes quamuis optimis notationibus ſeptæ recto ordine procedant, ornatæque ſint, nimis faſtidire videntur. Modò verò procedendi ſtylus, & prædicandi modi eò ſunt diuerſi, vt æquum ſit dicere: Quot capita, tot ſententiæ, & prædicantium placita ſunt. Propterea non eſt mihi animus hæc omnia in breui ſermone comprehendere, quoniam nec capere valeo, nec intellectus aliquis creatus ea omnia percipere, aut comprehendere poteſt: Aliquot tamen ponã hic, quibus vti licebit. Suppoſito ergo quod componere, eſt cõiungere, & coadunare pleraq; pũcta inter ſe diuerſa, & hæc ampliare, & ex eorum ſingulis vtilem doctrinam deducere, vt alij excitentur, & ad probè operandum alliciantur. Hoc autem fieri nequit, niſi quædam media applicentur, vt vlterius gradiatur, vno aut gemino duntaxat medio vti licebit, vt doctrina confirmetur. Ad hoc verò artificium habeto, ne eiuſdem penuria in officio non ſis. Illud autem quod habet docere, debet locari in primordio cuiuſlibet puncti. Quod quidem habet proferri, velut qui quandam aſſertionem affirmat: vtpotè verbis lucidis, perſpicuis, & expeditis ſatis. Namque noſter intellectus ita inſtrui vult. Verùm contra hoc videntur facere

hi, qui obſcuris verbis, aut nimis conciſè doctrinam ſuam tradunt, aut perplexis & implicatis eloquiis, aut ſuperfluis verbis alios inſtruunt, ex quibus audientium animus nihil emolumenti percipit. Ob cuius defectum in ſubſequentibus etiam deficiet. Nec itidem quidquam ſibi ſuadere poterit. Siquidem quæ primò ſibi tradita fuêre nõ intellexit. In hoc verò primum, quod quidem eſt concluſio doctrinæ, ac fundamentum totius puncti, digreſſionísve, quam habet prædicare, expedit concionatori, vt ſis breuis, expeditus, atque perſpicuus: ita vt omnes percipiant, & intelligant. Dixerim breuis, non intelligendo, quod eo ſtrictiſſimis, & breuibus terminis eadem proferat, vt à nemine ſatis percipiatur. In quo etiam nonnulli concionatorum deficiunt, quorum quidem breuitas ſermonis, & doctrinæ, quæ ſapientibus, & perſpectiſſimis quibúſque viris congruebat, duntaxat eadem inſipienti populo aptare contendunt. Hic maximus quidem defectus eſt: ſicut & aliud extremum eorum, qui verboſi, confuſi, & ſanè loquaces ſunt: qui nec ſe ipſos ſatis intelligunt, nec ab aliis omnino percipiuntur. Modò ipſam propoſitionem expeditè, luculenter, & dilucidè proferto, ſemel atque iterum eandem repetens, circumcirca proſpiciens cœtum, eámque variis encomiis repetens: cuiuſmodi propoſitio prolata, ab omnibus ſatis percipietur. Nec incongruum quidem erit, cum variis, & diſparibus nominibus iteretur. In fine verò non eſt neceſſaria hæc eadem correptio, licet in principio cuiuſque digreſſionis, & quando ipſa propoſitio profertur, hoc expedit fieri in omnibus ſanè ſubobſcuris intellectu punctis. Mox authoritatem, comparationem, &

exemplum ſcripturæ dicito : interea nonnulla verba inſerendo, quæ iam dicta cum dicendis connectant. Inſuper notandum eſt. Vt enim ex naturalibus liquet, vnum contrarium iuxta ſuum contrarium poſitum; magis lucet, & apparet. Exempli cauſa. Si ſumat, pro medio, vt ſint humiles, dicens, quod eiſdem bene faciet Deus, hoc idem ſub quadam authoritate adducere poteſt, & mox verè humilitatis oppoſitum ſumat, vtpotè ſuperbiam: cui fauet, & præſtat illud Iacobi
Iacob. 4 dicentis: Deus reſiſtit ſuperbis, humilibus autem dat gratiam. Et quoniam de humilitate prius egit, ipſam humilitatis partem prius collaudare, & efferre debet, dicens: Deus gratiam ſuam humilibus confert, ſuperbis autem reſiſtit. Ibidémque dicito quanto maximo odio Deus proſequitur ſuperbiam, & ſtatim concionator ipſam humilitatis propoſitionem proponet, dicens: O vos omnes, precor, humiles eſtote: eos
Eſa. 66. namque maximo Deus amore proſequitur. Ideo per Eſaiam dixit: Ad quem ego reſpiciam, niſi ad humilem, & contritum, & trementem ſermones meos? Hoc bonum quidem ego faciam: quod humiles diligam & amabo. Hoc ita communiter explicato: mox vndique circumcirca populum, cœtumque proſpiciens, ad particularem deſcendens dicito. Aſpice, ô tu Chriſtiane, quidnam maximus Deus aſſerat. Audi verbum Domini. Cùm humilem te præbes à Deo maximè diligeris, & amaris. Si quis equitum adeſt factioſus, & honoris cupidus ſui, audiat. Si haſce vanitates expuleris, ſi hæc honorum puluiſcula omnino ex corde tuo aboleueris, à Deo quidem amaberis. O tu mulier compta, & fucata, quæ huiuſmodi domum Dei ingredi non trepidaſti,

exue te monilibus,& vanitates has contemne, & Deus diliget te. Hic ampliandi modus valde quidem vtilis eſt. Nam cum ad res peculiares deſcédit,quandam concionem complendo,atque in ea duas, tréſue digreſſines faciendo, magna cibatur caterua.

De introductionibus concionum.

Cap. XX.

Iam quidem ab vſu receſſit ipſam ſubdiuidere concionem,dicendo, hic duas,tréſve continet ſermo partes:aut duo,triáve agenda ſunt: ſicut & noſtri quidem temporis ſeniores iam pridem faciebant. Hoc ſiquidem ab omni ratione, & arte,& à rhetorices documentis longè diſtans eſt Nec SS. Doctores,vt Aug. Origenes,Chryſoſto.aut Gregorius,tali diuiſione vſi ſunt. Cæterùm maximam attentionem captat, & nimis placidum eſt,& eorum excitat animos, dum cócionator Euangelicus, ipſum aggreditur ſermonem, cùm aliqua eleganti introductione compendioſa, & rhetoricis ornata verbis in philoſophia fundata: aut verò cum aliquo axiomate, aut maxima Ariſtotelis ingreditur: aut cum aliqua alia naturali ratione, quæ optimè congruat cum ipſo Euangelio, quod quidem habet prædicare, aut ſaltem cum ipſius exordio. Quæ nimirum introductiones bifariam poſſunt inueniri, aut excogitari. Vno modo, ſi præcedentia ipſius Euangelij conſulas verba, & cum ſubſequentibus connexeris,& ad propoſitum applicueris. Verùm vt planius me explicem,duo,triáve ſubiungam exempla. Demus,verbi cauſa,quòd prædicet illud Euangeliũ,vbi dicitur. Confiteor *Mat.11.*

tibi pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc, &c. quod quidem ex Communi Apoſtolorum deſumitur. Et in feſto S. Matthæi, & B. Patris noſtri Franciſci canitur. Cuius quidem exordium habebit huiuſmodi. Philoſophi ſententia eſt, quòd agentium operationes, habent dependentiam à ſubiecto: vnde tales actiones recipiuntur. Actus actiuorum (inquit Philoſophus) ſunt in patiente rectè diſpoſito. Manè oritur Sol rutilans, ſuóſque ignitos radios in lutum dirigit: verùm illud indurat. Fruſtum autem ceræ, feriens, liquefacit. Vnde ergo hi duo effectus adeò contrarij emanant? Nimirum à diſpoſitione paſſi. Proprium namque ipſi ceræ liquefieri ipſo calore, & luto indurari. Vna igitur, & eadem cauſa, quæ eſt calor, diuerſos producit effectus: propter diſparem ſubiectorum diſpoſitionem. Idem omninò ipſa re comperimus iuxta hæc, quæ animam noſtram ſpectant. Nam quod verbi diuini concionator faciat fructum, aut nimis faciat infidelium cordibus: hoc quidem maximè pendet ex audientium diſpoſitione. Hinc eſt quod nonnulli ſermonis fructum capientes, contriti, & maximè dolentes euaſerunt. Et plerique alij ſubſannantes concionatorem deriſerunt. Nam alij vt emolumenti & frugi quicquam percipiant, huc ſe contulerunt: alij verò elato atque ſuperbo, & arroganti animo dumtaxat. Verùm quòd modò abiit in vſum, quondam Chriſti tempore habebatur. Hunc tametſi turba copioſa ſequebatur, omnes tamen non æquo, & ſimplici animo erant: nec eandem prorſus intentionem habebant. Nam alij eum ſequebantur audiendi & videndi cauſa mirabilium dumtaxat. Alij verò, vt Phariſæi, vt caperent eum in ſermone. Sed & nō-

nulli alij vt animæ ſalutem compararent. Sicut enim eorum animi diſpares erant, eiuſmodi verbum dominicum diuerſimodè in eis operabatur: & ita quidam proficiebant, eo quod verbum eius humiliter audiebant: plerique tamen id ipſum non intelligebant. Et ſic cæci & obſtinati, propter eorum verſutiam permanebant. Modò Redemptor noſter quorundam videns duritiem & malitiam, quorundam verò virtutis augmentum oculis, manibúſque in cœlum leuatis ad Patrem conuerſus, dixit: Confiteor tibi Pater Rex cœli, & terræ, &c.

Si verò prædicet ſermonem duodecimæ Dominicæ poſt Pentecoſten, licebit pro exordio illud Pſalmographi ſumere: Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine. Et inter agendum vti his duabus virtutibus. Mundus quaſi gemi- *Pſ. 100.* nis columnis connectitur, & maximus Deus ſuſtinet pro eiſdem vniuerſum. Cùm verò de eis nonnihil dixerit, mox applicet Euangelium, in cuius parabola depingitur hæc gemina virtus. Deus enim nobis miſericordiam ſuam oſtendit, *Mat. 18.* qui piè, & miſericorditer ſe geſſit cum illo iniquo ſeruo, qui decem millia talentorum debebat, & hoc quidem miſericordia motus. Nobis etiam proponitur horrendum nimis, & tremendum eius iudicium. Siquidem tam acerbè punitus fuit, vt externis tenebris traditus, gehennalibus flammis cruciari iuſſus fuerit, quoniam proximo ſuo non pepercit. Hocmet introductionis modo D. Chryſoſtomus pleriſque & variis locis in ſuis Homiliis vtitur. Et ferè omnes, quas ſcribit, in antiquum, & nouum Teſtamentum, in Acta Apoſtolorum, & in Paulum.

Inſuper & alius ſecundus introductionis extat

modus,qui ſe ita habet. Cùm Euangelicus concionator congerit, & in ſummam redigit Euangelij doctrinam, antequam peculiariter ad eundem literæ contextum deſcendat. Veluti ſi prædicaret Euangeliū Dominicæ Octauæ poſt Pentecoſten,exordiatur in hunc modum. Hoc Euan-
Luca 16 gelium,elegantem, & maximè egregiam continet doctrinam: in eo ſiquidem per quandam lepidiſſimam,& iucundam parabolam Redemptor noſter nobis oſtendit,quod hæc præſens vita eſt bene merendi aptiſſimum tempus, vt perennem vitam conſequamur. Et talibus, tantíſque bonis operibus præmuniti ſimus,vt firmiſſimum nobis habitaculum in venturo ſæculo præparemus. Docet inſuper,& admonet nos, vt pij & miſericordes ſimus. Inſuper & quod beatitudinis præmium non verbis ſolùm,ſed operibus bonis obtinetur. Et ita hic villicus non aſſeruit. Quid dicā? Sed; Quid faciam? Et bonis operibus ſuam cooperuit miſeriam, ac ſibimet profuit. Præterea nos docet alias non minus vtiles doctrinas, vt poſtea liquebit. Modò noſter Euangeliſta inquit: Homo quidam erat diues,qui habebat villicum, &cæt. Hoc eodem introductionis modo,& dicēdi charactere D. Chryſoſtomus plerumque vtitur. Et in Homilia tertiadecima in Geneſim poſt eius introitum dicit: Videamus itaque nunc quid doceat nos beatus illis Moſes: Et accepit Dominus Deus hominem,quem formauit,&c.

De enarratione Euangelici contextus.

Cap. XXI.

NONNVLLI verò ſolent, abſque vlla introductione,nudam Euāgelij literam enar-

raro,& omninò ſine eo, quòd quicquam exponant,aut vtilem doctrinam exhauriant: mox deprecationem ad virginem Mariam faciunt. Alij verò eandem ſalutationem præponunt. Verùm adhuc famelicum populum,& eſurientem,cupidumque bonam, & ſalubrem doctrinam ſugendi,ieiunum tenent, ſiccè, & ſterili loquendi modo,nihil omninò in ipſam literam dicentes. Hoc autem offendit nimis, peculiariter tamen cùm Euangelij contextus longiuſculus extat, ſed & multò magis,cùm ipſemet contextus non eſt hiſtorialis: Cùm enim litera Euangelij habet hiſtoriam, vt in illud, de Lazari reſurrectione: de cœci illius à natali illuminatione, aut de prodigi conuerſione. Hæc,& ſimilia quamuis in longum habeant, minus quidem moleſtè populus percipit, & audit. Cæterùm tam ſapientes, & expertos, qui id ipſum ſemel, atque iterum audierunt,nimis offendit: atq; dum enarrat, in exteris, & forinſecis rebus præmeditantur, aut inuicem loquuntur, donec aliquid noui incipiat concionator dicere. Ipſi namque expectant ieiuni aliquid quod iucunditatem animabus afferat ſuis. At verò ſi huiuſmodi cùm ſint, quædam hiſtoriæ nimis diſplicent, & faſtidire videntur, & valde quidem offendunt: quanto magis offendit, ſi merum literæ contextum, vtpotè corticem, & ſenſum eius enarrauerit? Exempli cauſa, illud Euangelium: Vos eſtis ſal terræ. Et illud: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Et Euangelia poſt Pentecoſten: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Et illud: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Et ſic de reliquis. Verùm vt nos ab hiſce incommodis caueamus, ne populum aliqualiter offendamus, aut

Ioan.11.
Ioan. 9.
Luc.15.

prorſus detineamus, qui ſpiritualem paſtum deſiderat: initio namque promptiorem habet percipiendi appetitum. Dicimus geminum eſſe Euangeliorum genus. Quoddam eſt, quod in ſe continet doctrinam, ſententiáſue, vt in illo: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Et illud: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, &c. Et illud: Vos eſtis ſal terræ, & alia huiuſmodi. Aliud verò eſt Euangeliorum genus, vtpotè hiſtoricum, referens aliquod miraculum, aut aliquam parabolam enarrans. De quorum priori Euangeliorum genere dicimus non fore neceſſum in ipſius Euangelij initio, aut in fine literam enarraſſe. Verùm ſi quiſpiam in ſolemnitatibus Doctorum prædicaret illud Euangelium, Vos eſtis ſal terræ: poterit equidem de ſale iſto totam concionem facere, & cum ſale conficere ſermonem, nec omnino ſubſumere; Vos eſtis lux mundi. Aut: Non poteſt ciuitas abſcondi. Et ſic vltimam concioni manum imponere. Si verò in illud: Vos eſtis lux mundi; voluerit prædicare, breuiter, & ſummis quaſi digitis illud tangat; Vos eſtis ſal terræ: aut nonnihil, ſi placuerit, dicens doctrinæ, quouſque peruentum fuerit ad illud: Vos eſtis lux mundi: qua cum luce omnem concionem poterit conficere: intacta relinquens cætera Euangelij verba. Quod ſi vniuerſum Euangelium prædicare decreuerit, atque in vltimis verbis ſermonem fundare, tunc temporis omnem contextum enarrare poterit. Quamuis tamen ne inſulſus, aut tepidus procedat, nonnulla inter enarrandum ingerat: vtpotè conducibilia & audientibus nimis iucunda, quouſque ad illud, quod habet prædicare, deuentum fuerit, ibique ſiſtens,

ſermonē conſummabit. Idem omninò poterit facere in illud Euangelij : Eſtote miſericordes. Nam de miſericordia loquens ꝑnè poterit cum ipſa miſericordia ſermonem conficere, abſq; eo, quòd illud ſubſumat: Nolite iudicare: & ſic de reliquo totius Euangelij. Idem prorſus dicimus pro Euangeliis feſti Pentecoſtes.

Verùm de his, quæ aliquod miraculum continent, aut parabolicam hiſtoriam enarrant, eiuſmodi ſunt ex ſecundo Euangeliorum genere, vt iam prædiximus: iuxta quod duo aſſerimus. Primum quidem eſt, quod tota parabola, cunctaque Euangelij miracula referenda ſunt, & prorſus enarranda: ob cuius defectum, ſeu penuriam inde ſequeretur Euangelij hiſtoriā imperfectam truncatámque relinquere. Quod portentum, & indecens maximè foret. Nam ſi illud Euangelium de quinque panibus, & duobus piſcibus, quiſquam prædicaſſet, & in medio ipſius conficeret ſermonem : nec prorſus dixiſſet, quod illa magna turba paululo piſcium, & panum ſaturati ſunt, & quòd fragmentorum duodecim cophini collecti ſunt, enarrationem quppe truncatam, & imperfectam faceret. Si quidem metam, & illius mirifici geſti terminum non tetigiſſet, nec hiſtoriæ curſum prorſus enarraſſet. Idem omnino dicimus, cùm Euangelij contextus parabolicus eſt. Exempli cauſa. Si quis illius Euangelij parabolam de quinque virginibus fatuis, & de quinque prudentibus prædicaret, atque interruptum illud relinqueret, in quo agitur vti fatuæ virgines excluſæ fuerunt à nuptiis, nec tandem concluderet, dicens : Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam : hunc concionatorē ſapientes quique irriderent, & indocta gens iniuria re-

optimi cuiuſque Rhetoris, ſeu tragœdi vultus obſeruare tenores, atque membrorum æquabiles motus ſectari. Tandem cùm peruentum fuerit ad illud verbi, cùm Chriſtus Dominus ſe huic
Mat. 11. cæco manifeſtauit, & ipſe tunc Chriſtum adorauit pronus, tunc, inquam, poteris dicere: O quàm probè Redemptor mundi dixit: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, &c. Multi ex ſapiẽtibus, & ex legiſperitis non nouerunt Chriſtum,
Ioan. 10 & ex principibus huius ſęculi plerique eum ignorarunt, cùm cognoſcere ſtuderent, quæ interrogabant: Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Et adhuc non cognouerunt, nec digni habiti ſunt noſſe tãtùm myſterium. Verùm huic cæco, paruulo, & mendico hodie ſe manifeſtè oſtendit. Sic
Eſa. 66. ipſe per Eſaiam ait: Ad quem ego reſpiciam, niſi ad contritum, & humilem? In hoc Deus oculos ſuos conuertit, relictis ſacerdotibus legis, & primatibus, diuitibúſque in templo: quàm primùm exiens clementiſſimus, & piiſſimus redemptor, oculos ſuos fixit in hoc mendico, & paruulo. Verùm eius diſcipuli videntes, Dominum cæcum inſpexiſſe, anſam quærendi inuenerunt, dicentes: Nunquid hic peccauit, an parentes eius, qui cæcus natus fuerat? At diſcipuli ſibi ipſis imponebant, exiſtimantes, quòd non ob aliam cauſam Deus vnicuique languores, ſeu infirmitates tribuit, quàm propter eorum crimina. Cùm idipſum pro beneplacito Dei contingat, & omnibus accidat, & etiam vt Deus in operibus ſuis manifeſtetur. Hic aptare licebit illud, quod antea cõcionator volebat dicere, & mox ad illud Euangelij: Me oportet operari: pertranſeat. Ad hunc modũ quæcunque in promptu, & ex corde habet dicenda, prædicare poterit: & denique ipſam

concionem maximo cum feruore, & ſpiritu perſtringat.

Quòd verbi Dei concionator ad omnium vtilitatem prædicet,

CAP. XXII.

CVM Euangelici concionatoris is debeat eſſe finis, & intentum, vt fidelium animæ veram obtineant ſalutem: ſic etiam debet eligere media congruentia ad hunc exactum finem exequendum, nimirum vt corda alloquatur, inſuper & populum ignarum doceat, & bonis etiam moribus inſtruat. Ad hoc autem eligito vtilia ſatis loca ſcripturæ, & iucũdos nimis, & placidos dicendi modos: non ea, quæ ſubobſcura, ſterilia, & ſpeculatiua ſunt. Velut quidam non infimæ notę concionator faciebat. Qui *Luca* cùm illud diuitis auari Euangelium prædicaſſet, 16. totam penè horam conſumpſit in expoſitione illius periodi: Eſt chaos inter nos, & vos: qui referens, & multiplicans opinionum ſarcinas, vt explicaret quidnam eſſet illud chaos doctrinam vtique ſaluberrimam, quam aduerſus huius ſæculi auaros poterat prædicare, miſſam fecit. Inſuper & contra helluorum voracitates, & contra luxum indumentorum, & ſplendidè epulantium turpitudinem, & modicam erga ſuos proximos pietatem taxare. Deinde quò tendunt huius ſæculi diuites, & primates. Et de pœnis infernis, & perenni gloria tractare. Denique de alijs nonnullis moralibus materijs, quas illud Euangelium continet, valdè animabus vtiles. Eiuſmodi verò concionandi modus, eos, qui aderant nimis offendit, & populum ieiunum vtili doctrina dimiſit. In Euangelio namque comparat

tibi pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc, &c. quod quidem ex Communi Apoſtolorum deſumitur. Et in feſto S. Matthæi, & B. Patris noſtri Franciſci canitur. Cuius quidem exordium habebit huiuſmodi. Philoſophi ſententia eſt, quòd agentium operationes, habent dependentiam à ſubiecto: vnde tales actiones recipiuntur. Actus actiuorum (inquit Philoſophus) ſunt in patiente rectè diſpoſito. Manè oritur Sol rutilans, ſuóſque ignitos radios in lutum dirigit: verùm illud indurat. Fruſtum autem ceræ, feriens, liquefacit. Vnde ergo hi duo effectus adeò contrarij emanant? Nimirum à diſpoſitione paſſi. Proprium namque ipſi ceræ liquefieri ipſo calore, & luto indurari. Vna igitur, & eadem cauſa, quæ eſt calor, diuerſos producit effectus: propter diſparem ſubiectorum diſpoſitionem. Idem omninò ipſa re comperimus iuxta hæc, quæ animam noſtram ſpectant. Nam quod verbi diuini concionator faciat fructum, aut nimis faciat infidelium cordibus: hoc quidem maximè pendet ex audientium diſpoſitione. Hinc eſt quod nonnulli ſermonis fructum capientes, contriti, & maximè dolentes euaſerunt. Et plerique alij ſubſannantes concionatorem deriſerunt. Nam alij vt emolumenti & frugi quicquam percipiant, huc ſe contulerunt: alij verò elato atque ſuperbo, & arroganti animo dumtaxat. Verùm quòd modò abiit in vſum, quondam Chriſti tempore habebatur. Hunc tametſi turba copioſa ſequebatur, omnes tamen non æquo, & ſimplici animo erant: nec eandem prorſus intentionem habebant. Nam alij eum ſequebantur audiendi & videndi cauſa mirabilium dumtaxat. Alij verò, vt Phariſæi, vt caperent eum in ſermone. Sed & nõ-

nulli alij vt animæ ſalutem compararent. Sicut enim eorum animi diſpares erant, eiuſmodi verbum dominicum diuerſimodè in eis operabatur: & ita quidam proficiebant, eo quod verbum eius humiliter audiebant: plerique tamen id ipſum non intelligebant. Et ſic cæci & obſtinati, propter eorum verſutiam permanebant. Modò Redemptor noſter quorundam videns duritiem & malitiam, quorundam verò virtutis augmentum oculis, manibúſque in cœlum leuatis ad Patrem conuerſus, dixit: Confiteor tibi Pater Rex cœli, & terræ, &c.

Si verò prædicet ſermonem duodecimæ Dominicæ poſt Pentecoſten, licebit pro exordio illud Pſalmographi ſumere: Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine. Et inter agendum vti his duabus virtutibus. Mundus quaſi geminis columnis connectitur, & maximus Deus ſuſtinet pro eiſdem vniuerſum. Cùm verò de eis nonnihil dixerit, mox applicet Euangelium, in cuius parabola depingitur hæc gemina virtus. Deus enim nobis miſericordiam ſuam oſtendit, qui piè, & miſericorditer ſe geſſit cum illo iniquo ſeruo, qui decem millia talentorum debebat, & hoc quidem miſericordia motus. Nobis etiam proponitur horrendum nimis, & tremendum eius iudicium. Siquidem tam acerbè punitus fuit, vt externis tenebris traditus, gehennalibus flammis cruciari iuſſus fuerit, quoniam proximo ſuo non pepercit. Hocmet introductionis modo D. Chryſoſtomus pleriſque & variis locis in ſuis Homiliis vtitur. Et ferè omnes, quas ſcribit, in antiquum, & nouum Teſtamentum, in Acta Apoſtolorum, & in Paulum.

Pſ. 100.

Mat. 18.

Inſuper & alius ſecundus introductionis extat

modus,qui ſe ita habet. Cùm Euangelicus concionator congerit, & in ſummam redigit Euangelij doctrinam, antequam peculiariter ad eundem literæ contextum deſcendat. Veluti ſi prædicaret Euangeliũ Dominicæ Octauæ poſt Pentecoſten,exordiatur in hunc modum. Hoc Euan-
Lucæ 16 gelium,elegantem, & maximè egregiam continet doctrinam: in eo ſiquidem per quandam lepidiſſimam,& iucundam parabolam Redemptor noſter nobis oſtendit,quod hæc præſens vita eſt bene merendi aptiſſimum tempus, vt perennem vitam conſequamur. Et talibus, tantíſque bonis operibus præmuniti ſimus,vt firmiſſimum nobis habitaculum in venturo ſæculo præparemus. Docet inſuper,& admonet nos, vt pij & miſericordes ſimus. Inſuper & quod beatitudinis præmium non verbis ſolùm,ſed operibus bonis obtinetur. Et ita hic villicus non aſſeruit. Quid dicã? Sed; Quid faciam? Et bonis operibus ſuam cooperuit miſeriam, ac ſibimet profuit. Præterea nos docet alias non minus vtiles doctrinas, vt poſtea liquebit. Modò noſter Euangeliſta inquit: Homo quidam erat diues,qui habebat villicum, &cæt. Hoc eodem introductionis modo,& dicẽdi charactere D. Chryſoſtomus plerumque vtitur. Et in Homilia tertiadecima in Geneſim poſt eius introitum dicit: Videamus itaque nunc quid doceat nos beatus illis Moſes: Et accepit Dominus Deus hominem,quem formauit,&c.

De enarratione Euangelici contextus.

Cap. XXI.

NONNVLLI verò ſolent, abſque vlla introductione,nudam Euãgelij literam enar-

raro,& omninò ſine eo, quòd quicquam expo-
nant,aut vtilem doctrinam exhauriant: mox de-
precationem ad virginem Mariam faciunt. Alij
verò eandem ſalutationem præponunt. Verùm
adhuc famelicum populum,& eſurientem,cupi-
dumque bonam, & ſalubrem doctrinam ſugen-
di,ieiunum tenent, ſiccè, & ſterili loquendi mo-
do,nihil omninò in ipſam literam dicentes. Hoc
autem offendit nimis, peculiariter tamen cùm
Euangelij contextus longiuſculus extat, ſed &
multò magis,cùm ipſemet contextus non eſt hi-
ſtorialis: Cùm enim litera Euangelij habet hi-
ſtoriam, vt in illud, de Lazari reſurrectione: de
cœci illius à natali illuminatione, aut de prodi- *Ioan.11.*
gi conuerſione. Hæc,& ſimilia quamuis in lon- *Ioan. 9.*
gum habeant, minus quidem moleſtè populus *Luc.15.*
percipit, & audit. Cæterùm tam ſapientes, & ex-
pertos, qui id ipſum ſemel, atque iterum audie-
runt,nimis offendit: atq; dum enarrat, in exteris,
& forinſecis rebus præmeditantur, aut inuicem
loquuntur, donec aliquid noui incipiat concio-
nator dicere. Ipſi namque expectant ieiuni ali-
quid quod iucunditatem animabus afferat ſuis.
At verò ſi huiuſmodi cùm ſint, quædam hiſtoriæ
nimis diſplicent, & faſtidire videntur, & valde
quidem offendunt: quanto magis offendit, ſi me-
rum literæ contextum, vtpotè corticem, & ſen-
ſum eius enarrauerit? Exempli cauſa, illud Euan-
gelium: Vos eſtis ſal terræ. Et illud: Nemo poteſt
duobus Dominis ſeruire. Et Euangelia poſt Pen-
tecoſten: Si quis diligit me, ſermonem meum
ſeruabit. Et illud: Sic Deus dilexit mundum, vt
filium ſuum vnigenitum daret. Et ſic de reli-
quis. Verùm vt nos ab hiſce incommodis caueа-
mus, ne populum aliqualiter offendamus, aut

prorſus detineamus, qui ſpiritualem paſtum deſiderat: initio namque promptiorem habet percipiendi appetitum. Dicimus geminum eſſe Euangeliorum genus. Quoddam eſt, quod in ſe continet doctrinam, ſententiáſue, vt in illo: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Et illud: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, &c. Et illud: Vos eſtis ſal terræ, & alia huiuſmodi. Aliud verò eſt Euangeliorum genus, vtpotè hiſtoricum, referens aliquod miraculum, aut aliquam parabolam enarrans. De quorum priori Euangeliorum genere dicimus non fore neceſſum in ipſius Euangelij initio, aut in fine literam enarraſſe. Verùm ſi quiſpiam in ſolemnitatibus Doctorum prædicaret illud Euangelium, Vos eſtis ſal terræ: poterit equidem de ſale iſto totam concionem facere, & cum ſale conficere ſermonem, nec omnino ſubſumere; Vos eſtis lux mundi. Aut: Non poteſt ciuitas abſcondi. Et ſic vltimam concioni manum imponere. Si verò in illud: Vos eſtis lux mundi; voluerit prædicare, breuiter, & ſummis quaſi digitis illud tangat; Vos eſtis ſal terræ: aut nonnihil, ſi placuerit, dicens doctrinæ, quouſque peruentum fuerit ad illud: Vos eſtis lux mundi: qua cum luce omnem concionem poterit conficere: intacta relinquens cætera Euangelij verba. Quod ſi vniuerſum Euangelium prædicare decreuerit, atque in vltimis verbis ſermonem fundare, tunc temporis omnem contextum enarrare poterit. Quamuis tamen ne inſulſus, aut tepidus procedat, nonnulla inter enarrandum ingerat: vtpotè conducibilia & audientibus nimis iucunda, quouſque ad illud, quod habet prædicare, deuentum fuerit, ibique ſiſtens,

ſermonẽ conſummabit. Idem omninò poterit facere in illud Euangelij: Eſtote miſericordes. Nam de miſericordia loquens ſinè poterit cum ipſa miſericordia ſermonem conficere, abſq; eo, quòd illud ſubſumat: Nolite iudicare: & ſic de reliquo totius Euangelij. Idem prorſus dicimus pro Euangeliis feſti Pentecoſtes.

Verùm de his, quæ aliquod miraculum continent, aut parabolicam hiſtoriam enarrant, eiuſmodi ſunt ex ſecundo Euangeliorum genere, vt iam prædiximus: iuxta quod duo aſſerimus. Primum quidem eſt, quod tota parabola, cunctaque Euangelij miracula referenda ſunt, & prorſus enarranda: ob cuius defectum, ſeu penuriam inde ſequeretur Euangelij hiſtoriã imperfectam truncatámque relinquere. Quod portentum, & indecens maximè foret. Nam ſi illud Euangelium de quinque panibus, & duobus piſcibus, quiſquam prædicaſſet, & in medio ipſius conficeret ſermonem: nec prorſus dixiſſet, quod illa magna turba paululo piſcium, & panum ſaturati ſunt, & quòd fragmentorum duodecim cophini collecti ſunt, enarrationem quppe truncatam, & imperfectam faceret. Si quidem metam, & illius mirifici geſti terminum non tetigiſſet, nec hiſtoriæ curſum prorſus enarraſſet. Idem omnino dicimus, cùm Euangelij contextus parabolicus eſt. Exempli cauſa. Si quis illius Euangelij parabolam de quinque virginibus fatuis, & de quinque prudentibus prædicaret, atque interruptum illud relinqueret, in quo agitur vti fatuæ virgines excluſæ fuerunt à nuptiis, nec tandem concluderet, dicens: Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam: hunc concionatorẽ ſapientes quique irriderent, & indocta gens iniuria re-

cederet, haud emolumenti quicquam inde capiens. Et cuncta in confuſionem abirent, & vniuerſi ordinis fieret euerſio: quapropter cõgruentiſſimum quidem eſt, vt exactè compleatur, atq; omninò parabolæ diſcurſus enarretur, aut ipſi hiſtoriæ finis imponatur. Sic namque audientium animi quieſcunt.

Secundò dicimus, quòd ſuppoſito, quod illud Euangelium vtpotè hiſtoriale ſeu parabolicum ad vnguem ſit exigendum, præhabita (inquam) ipſiuſmet introductione, Euangelij literam mox adire conetur, ſcilicet periodum proponendo, & ſtatim doctrinam ex viſceribus, & medulla contextus deducendo, digreſſionibus, & notabilibus pro temporis opportunitate literam ampliando exornare: & mox ad ipſius Euangelij punctum, & ad eum, vnde exiuit, locum reuertatur. Ita cùm totius Euangelicæ hiſtoriæ, aut omninò parabolæ diſcurſum conficiet, ipſam quoque concionem conſummabit. Nam cùm iterata verba, térque quatérque repetita, faſtidium maximum in animis audientium cauſari videntur, ſi iam ſemel Euangelij contextum enarraſti, & mox in ipſum reuertens, vt conceptus exinde deducas: nonne liquidum eſt, quòd idem iterum atque iterum ſubſumis? Modò ſi ſemel ipſam enarres, vtpotè immediatè digrediens, duo indè commoda inſurgunt. Alterum quidem eſt, quòd ſemel eundem contextum enarras duntaxat: illud verò eſt, quòd tuus non tepeſcit affectus, nec audientium aures offendis, velut ſi ipſam literam nudam referres. Cæterùm fortè ſi cuncta, quæ habes prædicare, ea fuerint in ipſo hiſtorialis Euangelij initio, atque in poſtrema eius verba nihil omninò dicere habeas

tunc temporis reliquum Euangelij nudum, & illepidum fore conſtat, & præcipuè eius finem: qui quidem, vt prælibatum eſt, ſermonis exitus omninò feruidus, & maximo ſpiritu prolatus debet eſſe. Tunc enim hoc vti conſilio congruum erit, ſemel diſcurrere vniuerſam Euangelij hiſtoriam, enarrando in principio ſermonis, & intereà enarrando ipſam literam, quaſi quædam notanda ingeres, quæ ipſam literam comitentur, ne te ipſum infrigides: denique verò quauis optima & ingenioſa ratione, ſeu authoritate ipſum finem cum principij periodo connectes: eo tamen artificiosè id ipſum conſitum maneat, quòd niſi quiſque ſatis perſpectus, aut nimis acutus fuerit, id prorſus ignoret factum. Et mox prædica, quod ſuper eius principium dicere habes. Verbi cauſa. Cùm illud cæci à natiuitate Euangelium prædicatur, pleraque tamen dicere habes in illud: Veniet nox, quando nemo poterit operari. Et in illud: Quis peccauit, hic aut parentes eius? In quo quidem loco longè latéque, & ſpiritus maximo feruore vis pertractare, & viua vocis energia homines ad pœnitentiam allicere, & vt bene, piéque viuant, nec in nouiſſimum tempus medelam vlcerum differant. Tunc temporis inicio poteris hæc duo puncta ſummis quaſi digitis, & quaſi per tranſennam tangere. Et quoniam Euangelij contextus longiuſculus eſt: enarrato ipſam hiſtoriam, & intereà quaſi quaſdam buccellas, & fruſta, doctrinam ingeres. Verbis tamen Latinis, quantum poteris, vtere parcè, nihil omninò Romani ſermonis, enarrationíſve omittendo, ſed & viua præceptoris voce, atque expedita ſummaque latentis energiæ, & inſtar

optimi cuiuſque Rhetoris, ſeu tragœdi vultus obſeruare tenores, atque membrorum æquabiles motus ſectari. Tandem cùm peruentum fuerit ad illud verbi, cùm Chriſtus Dominus ſe huic
Mat.11. cæco manifeſtauit, & ipſe tunc Chriſtum adorauit pronus, tunc, inquam, poteris dicere: O quàm probè Redemptor mundi dixit: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, &c. Multi ex ſapiẽtibus, & ex legiſperitis non nouerunt Chriſtum,
Ioan.10 & ex principibus huius ſęculi plerique eum ignorarunt, cùm cognoſcere ſtuderent, quæ interrogabant: Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Et adhuc non cognouerunt, nec digni habiti ſunt noſſe tãtùm myſterium. Verùm huic cæco, paruulo, & mendico hodie ſe manifeſtè oſtendit. Sic
Eſa.66. ipſe per Eſaiam ait: Ad quem ego reſpiciam, niſi ad contritum, & humilem? In hoc Deus oculos ſuos conuertit, relictis ſacerdotibus legis, & primatibus, diuitibúſque in templo: quàm primùm exiens clementiſſimus, & piiſſimus redemptor, oculos ſuos fixit in hoc mendico, & paruulo. Verùm eius diſcipuli videntes, Dominum cæcum inſpexiſſe, anſam quærendi inuenerunt, dicentes: Nunquid hic peccauit, an parentes eius, qui cæcus natus fuerat? At diſcipuli ſibi ipſis imponebant, exiſtimantes, quòd non ob aliam cauſam Deus vnicuique languores, ſeu infirmitates tribuit, quàm propter eorum crimina. Cùm idipſum pro beneplacito Dei contingat, & omnibus accidat, & etiam vt Deus in operibus ſuis manifeſtetur. Hic aptare licebit illud, quod antea cõcionator volebat dicere, & mox ad illud Euangelij: Me oportet operari: pertranſeat. Ad hunc modũ quæcunque in promptu, & ex corde habet dicenda, prædicare poterit: & denique ipſam

concionem maximo cum feruore, & ſpiritu perſtringat.

Quòd verbi Dei concionator ad omnium vtilitatem prædicet,

CAP. XXII.

CVM Euangelici concionatoris is debeat eſſe finis, & intentum, vt fidelium animæ veram obtineant ſalutem: ſic etiam debet eligere media congruentia ad hunc exactum finem exequendum, nimirum vt corda alloquatur, inſuper & populum ignarum doceat, & bonis etiam moribus inſtruat. Ad hoc autem eligito vtilia ſatis loca ſcripturæ, & iucũdos nimis, & placidos dicendi modos: non ea, quæ ſubobſcura, ſterilia, & ſpeculatiua ſunt. Velut quidam non infimæ notę concionator faciebat. Qui *Luca.* cùm illud diuitis auari Euangelium prædicaſſet, 16. totam penè horam conſumpſit in expoſitione illius periodi: Eſt chaos inter nos, & vos: qui referens, & multiplicans opinionum ſarcinas, vt explicaret quidnam eſſet illud chaos doctrinam vtique ſaluberrimam, quam aduerſus huius ſæculi auaros poterat prædicare, miſſam fecit. Inſuper & contra helluorum voracitates, & contra luxum indumentorum, & ſplendidè epulantium turpitudinem, & modicam erga ſuos proximos pietatem taxare. Deinde quò tendunt huius ſæculi diuites, & primates. Et de pœnis infernis, & perenni gloria tractare. Denique de alijs nonnullis moralibus materijs, quas illud Euangelium continet, valdè animabus vtiles. Eiuſmodi verò concionandi modus, eos, qui aderant nimis offendit, & populum ieiunum vtili doctrina dimiſit. In Euangelio namque comparat

Redemptor noſter ipſum concionatorē patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera Omnis (inquit) ſcriba doctus in regno cælorū, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera. Negociator, & vniuerſi illi, qui ſuas officinas aperiunt, vt omnem ſuppellectilem venalem habeant, & inſuper abſconditos theſauros aperiunt, & demonſtrant, vt pluris habeantur, nimirum oſtētandi, & oſtendendi cauſa. At verò Paterfamilias omnem ſuppellectilem, ſuosq; theſauros abſcondit in thecis ſuis, vt cùm neceſſitas ipſa cogat, filijs, & filiabus ſuppeditet neceſſaria: domeſticoſque induat veſtibus, & filias monilibus exornet, & nummos & victum, & alia huiuſmodi domui neceſſaria comparet, depromit. Videat ergo Euangelicus concionator, quòd non comparatur mercatori, qui omnem ſuppellectilem venalem habet. Nec quidem habet concionari oſtentandi, aut potius iactandi ratione, nec vt ſua doctrina maximi pendatur ab omnibus. Expedit tamen ipſi, eſſe, velut paterfamilias, & ita ex abſcondito theſauro ſcientiæ, & ſapientiæ ſuæ depromat, & charitatis ſuæ ſuppellectilem eroget, egenóſque humilitatis indumento contegat. Inſuper & tepidum lachrymis, & cordis dolore confundat, atque peccatori gratiam, & charitatem impertiat, & miſeris tribuat ſolatium, & vexato remedium exhibeat. Huiuſmodi quidem habet concionàri ad fidelium omnium vtilitatem: non autem vt ſui ingenij aciem, & perſpicacitatem oſtendat. Quapropter abhorrere debet omninò ab omni doctrina, quę in curioſitate magis fundatur, quàm ad pietatē, & morum caſtigationem pertineat. Vt Euangelici miniſterij

facilè princeps Paulus pleriſque in locis ſuarum 1.Ti.14
Epiſtolarum nos docet, peculiariter ac Titũ, & & 22.
ad Timotheum ſcribens: qui quidem conciona- Tim.
tores erant. Ad hæc Euangelicus cõcionator at- 2 3.
tendat oportet, ad audientium qualitatem, & ca- ad Titum
pacitatem. Et ſic quidem eligere poterit cõgru- 2.& 3.
entem doctrinam ad præſentium commodum, & vtilitatem atque vitiorum, quæ magis prædominari cernit & coniectat, extirpationem. Et ita concionatorem expedit virum ſanè prudentem, & perſpectum eſſe. Aliter namque in capitulis, & congregationibus debet prædicare Epiſcopis, & Presbyteris: & aliter monialibus & cæteris religioſis. Aliter regibus, primatibus, & equitibus: aliter rerum fabris, & agricolis correctionem adhibeat neceſſum eſt: & aliter generaliter loquendo. Si prædicet tamen vbi peſtis, aut fames (quod abſit) aut quodcumq; aliud contagium creuerit, inſuper & de alijs quibuſque infortunijs, aut ciuilibus bellis, eis omnibus ſpem adhibeat in Deo maximo habendam: atq; etiã eos moneat, vt vitæ deprauatos mores corrigant, & radicitus vitia amputẽt: quæq; vt primùm correxerint, abſque dubio Dei ira ceſſabit: Vbi ſacræ ſcripturæ referat exempla, vt in peſte illa in diebus Dauid Regis: & famis in diebus E- 2.Reg.
liæ, & Eliſæi Prophetarũ, quibus omnibus ma- 24.
ximus Deus ſuccurrit. Et in tempore Moyſi, fi- 3.Reg.
lios Iſrael pane cæli ſaturauit, & in deſerto quin- 17.
que panibus, & duobus piſcibus magnam tur- 4.Reg.
bam pauit. Et illud, quod in Euãgelio habetur. 9.
Nolite ſoliciti eſſe dicentes: Quid bibemus, &c. Matt.
Cæterùm ſi in felicibus, ſecundiſque, tempori- 6.
bus, & lætis nimis prædicet, oſtendat, doceátq;

quanta maxima cum prudentia , & temperantia hæc omnia ſubeunda ſunt, vtpote cum gratiarum actione : ſiquidem nihil permanens, nihil omninò ſtabile in huius vitæ rota extat: atque ſecundis rebus vt tribulationes, & anguſtiæ ſuccedunt, & ærumnæ inſurgunt. Ad hunc modum debet ſuam doctrinam concionator tradere, vt omnium Deo animas comparet , & in altiſſimi
1.*Cor*.9. ſeruitium, & amorem trahat : ſecundùm illud Apoſtoli : Omnia factus ſum omnibus, vt omnes ad me traham.

Iterum moneo concionatorem , ne autoritatum numerum multiplicet, ſed eas duntaxat, quæ ad rem facere videntur, & curet vt audientes vtilitatem, & emolumentum percipiant ; & vt verba ſua memorijs, & fidelium præcordiis tenaciter hæreant : aliter enim facere , eſt audientium aures offendere, & nihil omninò frugi, & commodi capere. Sufficit namque duos, tréſue punctos, ſeu digreſſiones deducere, & ijs probè relatis & ſatis ſupérque dilatatis, congruentibúſque exemplis, & autoritatibus exornatis. Errãt nonnulli, qui quidem eum ſanè egregium verbi Dei concionatorem prædicant, & nimis collaudant, virum tenacis, immortaliſque memoriæ eum dicentes; eò quòd autoritatum ſarcinas inter prædicãdum congeſſit, retulit, & coaceruauit. Quos tamen ſi percontetis, & examines, & intima perſcruteris, nihil omnino frugi cœpiſſe inuenies. Nec vox ipſius quem collaudant concionatoris, in imum cordis pertingit : ſed quaſi attoniti affecti duntaxat vocis Echo reſonabit verticis auras. Verùm qui prodeſſe ſtudet, & animarũ fructum exoptat: ea prædicet, quæ ad tantum locum ſpectant, ſecundùm prædictum dicendi modum.

Diuus nanque Chryſoſtomus hoc paſſim vtitur dicendi ſtylo in homilia ſexageſima in Matthæū: in illud Euangelij : Væ mundo à ſcandalis : duo loca ſolùm ampliat. Quòd quamuis concionator pleraque loca pertingat : id quàm breuiſſimè faciat: & mox ad ſibi ſignatum & prædicandum locum pertranſeat, ſecundum D. Chryſoſt. dicendi modum, vt in prædicta homilia facit in illud Euangelij : Angeli eorum ſemper vident, *Matt.* &c. Vti angeli cuſtodes nobis dati ſunt, vt nos 18. cuſtodiant, ſatis diffusè pertractat, & ne proximos noſtros contemnamus, &c.

Quòd Euangelicus concionator doceat.

Cap. XXIII.

Tria quidem Euangelicus concionator debet facere : nempe docere, delectare, atque mouere. In præſenti capite, & in duobus ſubſequentibus de ipſa doctrina, & quomodo ſit tradenda vtcumque tractabimus : denique verò agendum eſt, quomodo delectare, & mouere debeat. Expedit ergo cōcionatori, qui fructum facere deſiderat, eam tradat populo doctrinam, quæ maximè ad eorum ſalutem ſpectare videtur. Itaque doctrinam ſanam, Catholicam, diſtinctam; veram, ſolidam, atque ſatis perſpicuam prædicet. Poſtquam enim Apoſtolus Timotheo nunciauit nonnullos fore pſeudoprophetas, qui perperam ſuam doctrinam ſuadebunt, ſubdit ſtatim: Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia, *2. Tim.* & doctrina, & cæt. Nec anxias nimis quæſtiunculas ad huiuſmodi locum diſcutiendas afferat. Nec ſcholaſticis dubijs ſe inuoluat, aut in eis moretur. Cæterùm cùm idipſum neceſſitas po-

ſtulabit,meram, nudámque veritatem illius dubij afferat, abſque eo, quòd referat aliorũ opiniones, aut quéquam impugnét: Quod quidem negotium ſcholis relinquendum eſt, vt diſceptationibus,& argutijs veritas ad vnguem exigatur. Verũ de prędeſtinatione,aut de animæ immortalitate, neutiquam prædicet. Multò minus Lutheri hæreſim referat, aut quaſcũq; alias,nec earum fundamenta. Hoc enim turpiſſimum & nefandum eſt. Quæ inſuper ſcãdalum germinabunt,&tanto loco nimis incongrua videntur. Igitur ad omnium vtilitatem prædicet, vt B. Gregorius probè ſuadet libro tertio de paſtorali cura,capite ſexageſimo ſexto. Expedit illi,eſſe velut quendam Domini villicum, qui victum in domo ſui Domini impertit. Qui enim ita faciet, à Domino ſeruus bonus,& fidelis dicitur. Itaque concio ſcateat doctrina ſanè vtili, ſuadeat, doceat,moneat,atque alios illuſtret, & probè ſeipſum explicet: vt memorijs audientum tenaciter hæreant eius verba, vt ex eis vtilitatem capere poſſint.

Quanam doctrina communiter vti debet.

Cap. XXIV.

EVANGELICVS concionator ſapientiſſimè debet agere,&pertractare,de neceſſitate, & congruentia bonorum operum. Plerique enim ſunt qui prauè, & luxurioſè viuendo,nimis audacter&temerè confidunt, dicentes ſe Chriſtianos eſſe,& cum fide mortua duntaxat contenti ſunt. Eiuſmodi enim doctrina abſque eo quòd vtilis, & congrua maximè eſt: tacitè quoq; Lutheri turpiſſimi hęreſis taxatur. Peculiariter tamen Euangelicus concionator prædi-

cet aduerſus duo communiſſima, & nimis vulgata vitia: nimirum aduerſus detractores, & lucri turpis cupidos, & theſaurizandi nimium auidos. Inter quæ vitia primum quidem, ab omnibus quaſi quoque leuiſſimum crimē contemnitur. Ipſi namque niſi falſo aliquid proximis imponant, de reliquis non curant, nec eos conſcientia aggrauat. Ita quorundam ignorantia eo vſque ſe extendit, vt exiſtiment ſe minimè peccaſſe, vtpotè proximi ſui vitium ſauè ignotum, cùm noxium illud ſit alijs reuelare, qui cùm verum omnino dicant, nullatenus peccare ſe putant: peculiater tamen ſi idipſum parentibus, aut fratribus, ſodalibúſue, aut amicis oſtendant. Huiuſmodi namque ignorantia, cùm non ſit inuincibilis, non excuſat à peccato: quin potius (vt ferunt) ignorantia craſſa eſt. Quàm plurimi qudem ſunt qui in hoc offendunt, qui altero pede claudicant, propter quod nuſquam pœnitent, nec dolent, aut prorſus eadem confitentur. Quapropter nonnullos videas, quos ſi taxes, eò quòd erga ſuos proximos valdè ignominioſi ſunt, aut nomen eorum detrahunt, & maladictis laceſſunt, horum reſponſio vulgaris in promptu eſt, & valdè vſitata: dicunt enim: Nos illi hoc non imponimus. Sub veritatis pallio celant ſui criminis dolum: nec abſcondita vitia pandere, vitium eſſe putant. Pleriſque etiam probè factum videtur Presbyterorum, ac religioſorum crimina (ne dicam defectus) prodere, abſque eo quòd eos humiliter & charitatiuè prius corrigant, ſecundum illud Euangelij præceptum: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum: Matt. 18.

Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.

Aliud inſuper eſt peccatum ſatis vulgarum, & commune, quod multi quidem propter ignorantiam committunt, vt cauſarum iudices, & commertia gerentes, quæſtores, & peculiariter rerum fabri, & qui res venales habent: qui plus quàm par eſt, & æquum, pro eis pretium depoſcunt, & cùm eiuſmodi precium eis offertur, quaſi inuito emptore ea congerunt & rapere non dedignantur. Quòd cùm quæſtus planè ſit, & mortale peccatum, de hoc non curant: Nam ſicut mulieres publicæ, & ſcorta, quæ iam perfricuerunt frontem, quamuis actualiter non peccent, propterea tamen à peccato non liberantur, ſiquidem firmum habent propoſitum, dum ſeſe obtulerit occaſio, Deum offendere. Similiter de his omnibus dicendum, qui quamuis regulariter, aut propè ſemper quæſturam non exerceant, aut aliena, plus quàm par eſt, vſurpent, ſat eſt, vt hanc deprauatam expoliandi proximi voluntatem ſemper habeant, vt de eis affirmare & dicere poſſimus, quòd in graui peccato viuunt: id ipſum tamen eos non mordet, nec ſuo iudicio eos aggrauat: quin potius ſi ab eis poſtules aut reprehendas, quare eiuſmodi machinentur ſubdola? tibi quidem reſpondebunt, dicentes: Quomodo coniugem, aut potius liberos alemus? optima quidem reſponſio. Halce ergo & ſimiles craſſas ignorantias Euangelicus propugnator increpare tenetur, vtpotè docendo & eos illuminando, qui in tenebris ignorantiæ, vel potius malitiæ vagantur: & huius quidem criminis turpitudinem penſitare, & inſuper quò

recta via paulatim in tartarum libentes deſcendunt.

At verò præter has duas ignorantias ſeu noxas, in quibus inſiſtere habet, de verſutia, turpitudine, ſiue malitia peccati pertractet. Et de acerbiſſimis Inferni pœnis, de magni iudicij die, & de mortis memoria. Nam eò hominum ſe extendit malitia, vt anſam peccandi ſumant, propterea quòd tantam Dei cernunt miſericordiam. Et propterea Euangelicus concionator magis ſe inducat, vt acerrimis verbis, terroribus, & horroribus audientium animos conſternat, quàm vt illecebris, & miſericordijs, leniſſimíſque verbis eorum inuitet animos. Abſque dubio hac via maius emolumentum comparabit, necnon & peccatores magis cohibebit, vt peccandi abuſum deſerant: vtpotè gehennalibus ſibi flammis oblatis, atque horrendum magis Dei iudicium & ſtrictam nimis rationem ab eis depoſcendam proponat eis. Nam veteris legis Prophetæ plerunque crebris comminationibus populo prædicabant: quippe qui eiuſmodi perterriti ſermonibus ad Deum toto corde, & cum lacrymarum effuſione reuertebantur (ſic noſtra poſtulat deprauata natura, atque rebellio) cuiuſmodi Eſaïas ſtricto minarum gladio aggreditur, dicens: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis. Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. Super quo percutiam vos vltrà addentes præuaricationem? & cæt. Huiuſmodi quidem comminationibus, atque terroribus hoc primum caput ſcatet. Et in ſecundo capite ſubdit: Exaltabitur autem Dominus ſoles in die illa, quia dies Domini exercituum ſu- *Eſaias.* *Eſaia 2.*

per omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem humiliabitur. Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan, & cæt. Tandem concludit, dicens: Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt: quia excelſus reputatus eſt ipſe. Ieremias quoque in primis eius verbis animaduerſionibus, & increpationibus, populo comminatur, dicens: Ecce ego conuocabo omnes nationes regnorum, & cæt. Verùm, ne longior, quàm par eſt, fiam, reliquum eſt, vt receptui canamus, ſiquidem ſermo noſter ad eos fit quos nō decet ſcripturæ ſacræ ignaros eſſe: quibus, ſi placet, omnia prophetarum volumina licebit euoluere, quæ terrificis minis exuperant, atque acerrimis obiurgationibus pullulāt: quibus cùm peccatorum induratos animos ad pœnitētiam, & maximum dolorem allexerunt. De his quidem materijs D. Chryſoſtomus communiter tractat, & ita in homilia 1. in Matth. agit de cauſa peccati. Et Tomo 5. homilia quadrageſimaoctaua, de tremēdo magni iudicij die peragit. Et homilia ſeptuageſima eiuſdem quinti tomi, Nihil omnino ieiunium prodeſſe ait, niſi vita immaculata, & innocens ſit. Et in alijs pleriſque locis idem facit.

Ierem. 1.

Debet inſuper Euangelicus concionator quæque alia grauiſſima crimina oſtendere, & vt turpiſſima, penſare: quæ quidem cùm in hoc ſæculo ea cenſura, ſicut & alia, non puniantur, propterea in ijs paſſim offendere non trepidant. Eiuſmodi ſunt blaſphemia, periurium, ingratitudo, libido, obtrectatio, contumeliæ, detractio, ambitio, & ſimplex fornicatio, & c. quæ huius ſæculi cenſores, & iudices arbitri parui pendūt,

nec vindictam ſumunt. Euangelicus tamen concionator, & maximi Dei honoris zelator, has vtique turpitudines increpet, & tanquam grauiſſima crimina execretur: quod & ſacræ ſcripturæ exemplis confirmet. Ita namque Eſaias facit, & *Eſaia 1.*
Christus Dominus in Euangelio. Ad hæc tamen *Matth.*
iurandi abuſum omnino abolere ſtudeat, & ra- *5. & 23.*
dicitus extirpare: quod vitium maximè receptū eſt ab omnibus, vti D. Chryſoſtomus facit in Homilijs ad populum Antiochenum, Homil. quarta, quinta, ſexta, ſeptima, octaua, nona, decima, vndecima, & duodecima, & alibi. Et in homilia decimanona inſcripta ad agricolas de vitando iuramento. In contrarium tamen populus nonnullas virtutes habet, quas quoniam ignorat, non pluris habet: quas & innoteſcere, & ſummis efferre laudib⁹ concionator tenetur: ſicut & Dei Apoſtolus facit fidem Abrahæ patriarchæ *Rom. 4.*
collaudans cum omnibus ſibi adiacentibus, vt magis ac magis exaltetur. Idémque facit Origenes homilia quadrageſima ſexta in Geneſim.

De doctrina Ethnicorum.

CAPVT. XXV.

DOCTRINA eſt D. Aug. pleriſq; in locis ſuorum ſcriptorum, congruū eſſe Chriſtianis, & peculiariter concionatoribus (de quibus præſens ſermo vertitur) philoſophorum gentilium, & Ethnicorum dictis, & propè aſſertis vti. Nam, ſecundum Diui Ambroſij *Geneſ.*
ſententiam, veritas à quocunque dicatur, ab *41.*
Spiritu ſancto eſt. Eiuſmodi namque maximus *Daniel*
Deus ſignificauit Pharaoni in ſomno illo ſteri- *2.*
litatem, & vbertatem in Aegypto futuram: & *Num.*
Nabuchodonoſor in viſione ſtatuæ. Et aſinæ *22.* *Ioan. 11.*

runt. Legimus Adriani Imperatoris factum, qui ob quendam ſibi librum oblatum à Quadrato Athenarum Epiſcopo, Eccleſiam perſequi deſijt. Quàm cùm ſummo odio proſequeretur Iulianus Apòſtata, induxit quòd nullus omninò ex Chriſtianis philoſophiæ ſtudium ſectaretur, aut liberalibus diſciplinis operam daret. Aduerſus huius deteſtandum Iuliani edictum, atque turpiſſimum præceptum, expedit concionatori, vt in liberalibus diſciplinis probè ſit inſtructus: vt cùm ſe obtulerit occaſio, hiſce vtatur. In Deuteronomio præceperat Deus, quod captiua quæq; fœmina, vt viro nubere poſſet, omnẽ cæſariem raderet, atque vngues reſecaret: & ſic Hebræus eam poſſet ducere vxorem. Haud ſecus quidem & nos ex Piloſophorum aſſertis, & poëtarũ dictis debemus omnem immunditiam abolere, & excrementa tollere, atque fabuloſa euellere, & ſuperſtitioſa amputare, atque ita probè examinata poterunt Eccleſiæ limina ſalutare, & eius conſortium inire. Tunc enim ad virtutis theatrum ſpectabit, & ſacræ ſcripturæ deſeruiet. *Deut.* 21.

Veruntamen conſulimus concionatori, vt hanc dicendi copiam quodam moderamine ſinat. Namque Ethnicorum aſſerta, & poëtarum carmina in pulpito non ſunt referenda, & omnino recitanda, niſi rariſſimè, & aliqualiter. Poëſis namque ibidem eſt velut pomum inter opiparas quaſque, & lautas dapes, quod diſcumbentibus non apponitur, vt ventri indulgeat, aut referciat, ſed vt appetitum ſolùm excitet, vt reliquæ intrudantur epulæ. Ita quidem ſacræ ſcripturæ doctrina, noſtrum debet eſſe quotidianũ, & viuificum, atque ſubſtantiale nutrimentum, & animarum victus, & refocillatio: poëſis tamẽ

inſtar eſt alicuius condimenti, quod appetitum excitet noſtrum. Nonnulli ſiquidem ſunt, qui quodam verſiculo adeo delectantur, vt omnem deinde mentem ad ea, quæ prædicāda ſunt, prorſus adhibeant. Inſuper & ipſum concionatorem ſatis in omnibus verſatum, & vniuerſalē reputant. Quibus cum pignoribus ſuam doctrinam authenticam facit, & æquiori animo eam ſectari impellit. At verò illum, qui pomo, vt ceraſis & alijs huiuſmodi, atque aqua enutritur duntaxat, malè habere & turgidum incedere cernimus. Non aliter qui humanis omnino libris cōgaudent, eos cernas tumidos, & inflatis viuifico nutrimento carentes, nec mellifluos ſacræ ſcripturæ riuulos deguſtātes. Quapropter hæc Ethnicorum doctrina quaſi quid acceſſorium adhibenda, & ingerenda eſt: quam quidem rariſſimè in medium fore trahendam iam diximus, & dū ſe obtulerit occaſio. Paulus namq; Apoſtolus in ſuis Epiſtolis triginta quinque vicibus citat Dauid: & Eſaiam viginti ſeptem; tuum etiam paſſim veteris legis commemorat loca: Ter autē duntaxat Ethnicos citat poëtas, quos & ſupra retulimus. Ita quidem concionator ſępiſſimè ſcripturæ loca referat: plerumque Paulum, & pſalmographum citet, & tam veteris, quàm noui Teſtamenti authoritates, & Eſaiam cum reliquis Prophetis, & inſuper ſacræ ſcripturæ ſanctos, & egregios Doctores. Sed vt iam monuimus rarò ſe inuoluat, & inhæreat gentilium doctrinis, quàm vt ipſa & poſtulet occaſio, & noſter adhuc ſoporatus appetitus requirat.

Vti concionator habeat delectare.

Cap. XXVI.

IVXTA modum autem delectandi, non eſt nobis obſeruandum rhetorum documentũ, quo cum nonnullas facetias referre,& dicere monet,vt audientium animos oblectet. Suggeſtum nanque, virtutum grauiſſimum quidem eſt,& ſanctimoniã quandam præ ſe fert, & vultus ſeueritatem, & membrorum æquabiles motus, & verborum moderamen: longè tamen abſit,vt ſcurrilitas,neniæ, aut facetiæ in hoc tanto, támq; inſigni loco audiantur: & Euãgelicus cõcionator ſe prorſus abſtineat, ne ibidem talia proferat verba quæ riſum excitent. Sic enim D. Hieronymus ad Nepotianum ſcribens monet: Laudes (inquit) tuæ, lachrymæ auditorum ſint. Abſtruſum enim,& execrandum nimis eſt,quod concionator imitetur, atque ſcurrarum munus vſurpet,& facetias ibidem dixerit, vt deuotam plebem ad riſum prouocet, & euertat omninò. Verùm vt optimè ſeſe gératconcionator, & Deo maximo placeat, hoc in ſuis concionibus præferat, & quidem hoc modo delectet, vt recto ordine procedat, & egregias comparationes in medium afferat, & ſcripturæ ſacræ loca citat, & pleraque notanda dicat: gratò dicendi ſtylo, & qui iucunditatem præbeat. Ita quidem ſe debet gerere cõcionator,velut optimus quiſque architectus,aut domificator, qui vt turrim, aut opulenta laquearia fabricet, vndique lapides,& ligna num congruentia ſint,conſpicit: & mox mirificè ordinatis,ſuis quibuſque locis aptat. Quod ſi minus congruentem,& tenuem materiam quaſi ruentem inuenit, inter vtroſque

parietes calce conſtringit, ne prorſus videatur. In ſuis ergo concionibus prædicator ſtudeat, vt qui proba,&egregia ſint,&mirifico dicēdi charactere diſpoſita; ſin minus quæpiam fuerint eiuſmodi, in eam ſermonis partem eadem ingerat, vbi minus requirantur. Cuius quidem doctrinam in duobus cōſiſtit. Aut enim illud, quod habet prædicare, eſt quid egregium, & ſubtile, & tunc eo modo ipſum proferat, vt ab omnibus percipi valeat: & eiuſmodi terminis, & comparationibus, vt neminem fugiat audientium. Verùm ſi illud punctum ſit tritum, & cōmune, dicito illud ſub aliquo dicendi ſtylo, quod non ſit vulgatum, & quib⁹ rhetorici colores ſuggerunt. Primo dicendi modo aſſidua bonorum librorum prælectio iuuabit. Verùm tamen ipſi doctrinæ quam habet prædicare, nonnihil peculiare dicendũ excogitet, quodq; exquiſitum ſummo ſtudio requirat, illius inquam vitij aut virtutis, de quibus pertractat, hoc pacto enim delectabit. Nam cùm omnia noua placere cernam⁹, hoc eſt quaſi ab ipſa natura hominibus inſitum, vt naturaliter ſcire appetant, ſecundùm Philoſophi ſentētiam. Qui verò nimis vulgata, & trita, nec peculiare, aut ſubtile quicquam prædicant, minimè delectabunt. Aduerte tamen quod cùm de peculiari, aut ſubtili loquimur (vt hic) non vtique debere intelligi quod curioſum & minus vtile ſit. Sed per huiuſmodi intelligito nonnulla ingenio digna, & ſatis vtilia, & acuta, quæ in ſcholaſticis docētur curriculis, & in virtutis theatris, & doctrinalibus libris inueniuntur. Hos cùm populus ignoret, Euangelicus cōcionator edere, & diuulgare tenetur. Quóſque egregios, & vtiles nimis prædicator euoluere debet,

debet, & punctuationibus, & lineis notare, vt ſuis quibúſque applicet locis. In ſecundo autem conſiſtit eius doctrina, vt illud vulgatum punctum, quod habet per nouum dicendi ſtylum, conuertat. Namque dupliciter delectatur, ſcilicet, noua proferendo: & ea quæ communia, & vulgata videntur, nouo, & eleganti ſtylo dicendo. Pleraque enim aſſerta, & vera viciſſim, ac iterum ſunt commemoranda: verùm dicēdi character nouus cùm ſit, delectat: quæ & rhetorici colores, & metaphoræ iuuabunt. Et quoniam de hoc plura excuſa, & ſcripta ſunt, duo ſolùm referam, quæ communia, & ſatis vulgata faciunt iucunda. Primo modo quādo idipſum, quòd ſubſumitur dicitur ſub aliqua parabola, aut ſimilitudine alicuius rei: quod ex Euangelio quod prædicatur, licet deſumere. Vt ſi diceret, quod ſint humiles, hoc quidem iſto pacto dici poterit, & ſi concluſio communis & vulgata ſit. Velut quædam planta dum magis ac magis radicatur, & ſubtus terram celatur, eo magis coaleſcit, & increſcit. Et ſicut aqua in cauernis melius conſeruatur: & igniti carbones ſub cinere fouentur: ſic & Dei gratia in humili corde conſeruatur, & permanet. Secundo modo fit à contrariis: quod magis gratum ſit, ſi cum ſuperiori adunetur, vt ſi dixeris. Ruit domiſi..um, propter quod fundamentis caret optimis: hæc arbos infructuoſa eſt, quia radicem habet corruptam. Sic qui non fuerit humilis, peribit.

Hi duo modi dicti ſunt ad delectandum in ſermonis parte, in qua docetur. Inſuper iuxta rationem mediorum ſtudendum eſt valdè quæ ad mouendum ſumuntur: namque rationes deduci poſſunt cum egregijs authoritatibus, non au-

tein vulgatis. Ad hæc tamen iucundius, & delectabilius audientibus illud eſt cum ſuæ voci prædominatur concionator: dum tollit, & comprimit, cum ipſa poſtulat occaſio, & optimam habet repræſentatiuam: & vernaculo ſermone, modeſto, & eleganti, facundóque vtitur: ne ſermonis inops, aut nimis garrulus, aut verboſus eſt. De quibus inferius ſuis locis ſigillatim tractabimus.

Vti concionator habeat mouere.

Cap. XXVII.

ORatores, & ſæculi rhetores omnem vim, omnémque energiam in mediis rationum, quas afferunt, ponunt, & hanc vim etiam in rhetorices documentis locant: Euangelicus autem concionator non debet ſic facere. Etenim rationibus ſuadeat, vt omnem ſpem, omnémque fiduciam in ſolo Deo ponant, vt ſic fidelium corda moueat, atque conuertat. Propterea
1. Cor. 3 Dei Apoſtolus inquit: Neque qui plantat, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Ita quidem ad mouendum expedit concionatorem maximè deuotum, & orationis ſtudio omninò deditum eſſe: Ethnicus namque poëta Horatius in arte poëtica inquit: Si vis me flere, flendum eſt prius ipſi tibi. Huiuſmodi namque viuæ vocis energia prædicabit, & deuotionis ſpiritu, atque maximus Deus ſuggeret illi rhetoricæ cæleſtis vbertatem, vt obſtinatorum corda demolliat. Sic enim ille egregius, & prope diuinus Apoſtolus faciebat, dum dixit: Non in perſuaſibilibus
1. Co. 2. humanæ ſapientiæ verbis: ſed in virtute Dei. In quibus ſanè verbis nos docet, quod omnem vim, omnémque verborum ſuorũ facundiã Deus ſug-

gerebat,& in eo operabatur. Itaque aſſidua oratione hoc ſupremum,& cæleſte donũ à Deo poſtulandum eſt:deſuper nanque huiuſmodi talentum venit. Et hoc quidem eſt primum, & præcipuum, quod debet concionator facere.

Secundum verò,quod facere debet,vt audientium moueat affectus: illud quidem eſt, ſtudere nonnullas rationes, & media adducere, vt eos alliciat ad faciendum, quod ſibi præcipitur & monetur. Quod quanuis hoc rhetorum munus præcipuum ſit:propterea tamen Euangelicus concionator eo vti non deſinat, ſiquidem & redemptor noſter eo vſus eſt, cùm præcepit nobis, vt inimicos diligeremus idque rationibus naturalibus ſuaſit. Idem prorſus fecit cùm nos docuit, & monuit, ne nimis ſoliciti & curioſi eſſemus *Mat. 5* erga victus,& veſtitus rationem. Et Apoſtolus *Mat. 6* hoc idem pleriſque in locis ſuarum Epiſtolarum facit. Denique omnes ſacri doctores. Nam cùm homo rationalis vtique ſit, arte & rationibus viuit ſecundùm Philoſophi ſententiam. Et ſic aberrant illi,qui vocibus quæque confundunt, nec rationes, aut media proponunt, vt fidelibus doctrinam ſuadeant. Rationes nanque comprobare debent, illud ſanè bonum, & conducibile fore quod ſuadere vult. Nanque voluntas noſtra non appetit aliud ab eo quod intellectus noſter iudicat eſſe bonum, & conducibile nobis. Hinc eſt quod audientium affectus nullatenus mouebuntur, niſi prius intelligant illud congruum, & vtile fore.

Tertium verò vt moueat affectus, præſtat in ſecunda perſona alloqui, velut ſi ipſe vni duntaxat prædicaret. Vt pote ſi de ineffabili Dei miſericordia ſermonem facturus, & quantum nos

bilcum temporis ſimulat in hunc modum diceret: Miſerande,& nimis infœlix peccator, cur illos Dei ſupremos theſauros, & gemmam miſericordiæ,& clementiæ Dei contemnis? Quippe cùm, tot ante iam temporibus contumeliis affectus ipſe maximè cùm ſit, te vocat,te poſtulat, te plerumque expectat, atq; inſpirat, vt conuertaris ad eum? Cur tāta tamque ineffabilis miſericordia ſaxeum cor tuum non demollit? Cur tanta pietas te non cōuertit? Quamuis pro eo, quod ad te pertinet,aut incommodi, quod cōſequitur, id minimè faceres, verum pro ipſius amore dumtaxat, qui crucis patibulum adiuit, vt te à criminis noxa liberaret,conuerti vtique deberes. Leua oculos tuos in altum, vt vlnis tenſis in cruce pendet, vt te ſuſcipiat paratus: perforatum latus, vt in viſceribus te ingerat ſuis. En tempus acceptabile, en tempus ſalutis: huiuſmodi ne contempſeris?diem enim, aut horā prorſus ignoras, cùm in illo tremendo iudicio ante tribunal Dei apparebis miſerandæ tuæ vitæ ſtrictiſſimam redditurus rationem,& cæt. Ad hunc modum in ſecunda perſona loquendo nimis vtilis eſt ad mouendum locus: verùm ſi in tertia perſona loquatur, magis docere,quàm mouere eſt. Itaque ad ſecundam perſonam ſermo fiat. Nonnunquam Dei iuſtitiam aſſumat terrificis comminando verbis: nonnūquam leniſſimis vtens verbis,eos trahat dicens. Summis precibus à te contendo, & viciſſim te, chariſſime, moneo, & exhortor pro acerbiſſima Ieſu Chriſti paſſione, & eius reuerentia, & cætera. Et ita quidem variis exhortationibus, quaſi quibuſdam declamationibus vtatur, quæ maximè ad mouendum iuuant,dicendo: Benedicāt tibi, Deus meus, angeli

omnes, & ſancti tui benedicant tibi:qui vt piiſſimus talia ſuffe:s. Nonnunquam verò mediocri voce taxando, dicito. Nunquid ſimulandum, quod in hac ciuitate ſunt publici chartarum ludi, & latruncularię tabulæ? Inſuper & nefandæ matres, quæ filias venales habent? & ſic de aliis vitiis, quæ vſitatius pertractantur, licebit corripere. Tandem hinc, vtrinque reuerſus, & circumcirca proſpiciens cœtum, ſancto caleſcens flamine ignitus atque maximè cupidus Dei zelare honorem, intimóque animi flagrans ardore, hinc inde proſpiciens, ſeueroque vultu ſacras retundat auras Echo, dicens: Itane viuitur? Hiccine eſt Chriſtianiſmus? Vbinam gentium ſumus? Hæccine perpeti poſſunt? Et mox ad Deum conuerſus lenta aliquantulum voce, & humili atque deuoto animo dicito: O bone Deus, cuius pietas & miſericordia me terret, & quidem magnam eſſe fateor, ſiquidem haſce abominationes, & peſtes ſuper terram viuere ſuffers. Et ſic gradum ſiſtens paulum conticeſcens, audientiũ ſuſpendat animos, & quaſi in extaſim rapiat. Et mox cuiuſdam prophetæ authoritate poterit hunc adimplere locum dicens: Audite, perfida gens, quæ aures patulas habetis, vt terrena percipiatis. Audite Dominum per Eſaiam prophetam dicentem: Ingredere in petra, & abſcondere in foſſa humo, à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius. Hac & ſimilibus authoritatibus, quibus & pullulant Prophetarum volumina, quaſque & ampliare, dilataréve poterit, & ceſſare faciet fluctus criminum, atque indurata viſcera demolliet, pauefaciet, terrebit & euerſa conuertet, & labefactata ſtabiliet, quo cum periodum terminabit. Reuertor iam ad illud,

quod primum in hoc capite dixi, vtpote præci-puum, & quidem præ omnibus orationis, & deuotionis ſtudium præſtare, quibus cum quaſi lorica Euangelicus verbi Dei concionator præmunitus eſſe debet, & quaſi facula ignis intrinſecus ardens, qua cum verba calefaciat & illuſtret, & ſic aliorum viſcera incendat. Quod ſi in hiſce omnem operam omnémque laborem adhibeat, intrinſecus tamen niſi deducantur, parum, aut nihil omnino proderunt, nec audientium præcordiis eiuſmodi adhærebunt: Legimus enim D. Vincentium Ferrerium ex Prædicatorum ordine inſtar cuiuſdam Apoſtoli Hiſpaniam peragraſſe, & alia diuerſa loca vndique circuiſſe, qui Apoſtolicum miniſterium mirificè exercens, Iudaicæ gentis magnum numerum conuertit, atque Ethnicorum, & Mahometicæ ſectæ inſuper ſectatorum, pleroſque etiam Chriſticolas iam pene euerſos conuertit. Et etiam S. Antonium, D. Bernárdinum, D. Ioannem de Capiſtrano ex Minorum ordine ſcimus idem omninò feciſſe. Verùm, vt liquet, horum ſermones, & quæ extant ſcripta, non maximæ entitatis, & pretij ſunt, vt eadem magni pendamus. Cæterùm eorum deuotio, & aſſidua oratio tanta erat, qui cùm non acutiora, nec nobis adhuc noua prædicarent, nimis autem excitabant affectus. Eorum namque verba ſimulabantur verbis Eliæ, de quo in Eccleſia-
Eccl. 48 ſtico habetur: Surrexit Elias propheta, quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Rhetores vt affectus moueāt, quatuor ponunt. Hæc ſunt lætitia, ſpiritus, metus, & ægritudo. Nos verò vt affectus moueamus, audientium orationem & deuotionem ponimus duntaxat, quam haber ſemper debet concionator. Videmus enim præ

dictos ſanctos,&alios pleroſque literis deſtitutos, abſque vlla prorſus rhetorices, aut alterius artis inſtructione ſimplicibus, & craſſis verbis, & ruſticis eloquiis omnium corda traxiſſe. Quod quidem Dei maximi donum lacrymis,&orationibus crebris impetrarunt. Et ſicut ſancto caleſcebant flamine,& Dei amor in eis permanſerat, eiuſmodi radiabat facula charitatis,& ſcintillæ eius micabant vſque ad fidelium viſcera protenſæ,in quibus Dei amor præſtantius operabatur,quàm humana ſapientia.

De ſpiritus feruore concionatoris.

Cap. XXVIII.

EX præcedenti capite patet iam ad hoc præſens. Nam ad hoc, vt concionator moueat affectus, requiritur vt ſpiritum feruidum habeat:quem quidem orationis ſtudio conſequetur,vt prælibatum eſt. Quapropter D. Auguſtin. de doctrina Chriſtiana, capite quinto decimo: Nihil poteſt ſtatui opportunius, inquit, quàm quod præcones Verbi Dei ante ipſum verbũ orationem inſtituerint. Et regius ille Dauid in Pſalmo canebat dicens : Spiritu principali confirma me. Vt autem ſciamus quamobrem hunc ſpiritũ *Pſa.50* poſtulabat,ſubdidit: Docebo iniquos vias tuas:& impij ad te conuertentur. Deum itaque maximũ *Eſa. 6.* precemur, qui, vt quondã,Eſaiæ labia mundauit, dignetur & modò noſtra corda luſtrare, & igne ſui amoris ea incendere : vt verba noſtra(vt inquit Apoſt.)non ſint in perſuaſibilib.humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis *Iacob.4* Dei: virtutis (inquam) Dei. Nam virtus, & energia verbi Dom.non in iactantia,aut in verbis tumidis, & inflatis conſiſtit, ſed in ſpiritu qui moueat, &

conuertat fidelium corda: ſpiritus præconis dei ignitus, proteruorum humiliat corda, & obſtinatorum viſcera plectit, & errantium conuertit, quaſi profugas pecudes, fidelium animas. Cuiuſmodi in Actibus Apoſtolorum habetur, quod illi perfidi Iudæi non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui B. Martyris Stephani. Sic Deus loquens ad Ieremiam dixit, mittens eum ad prædicandum: Ecce, dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna: vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Et per Eſaiam prophetam: Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.

Actor. 6 *Hier. 1.* *Iſaia 55*

Hæc & pleraque alia loca, quæ breuitatis cauſa miſſa facio, noſtro alludunt propoſito: videlicet qui ſpiritum habeat feruidum Euangelicus concionator, vt fructum in fidelium cordibus faciat: huiuſmodi verò ſi careat ſpiritu inſtar cuiuſdam cadaueris factus eſt in nihilo præpotens. Et ita redemptor noſter dixit: Verba quæ loquor vobis, ſpiritus, & vita ſunt. Dixit ſpiritus, ab effectu: qui verbo ſuo duntaxat viuificat quodcunque vult, ſecundum illud Apoſtoli in ſecunda Epiſtola ad Corinthios, ad hoc propoſitum: Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Plus namque Elias pelliceis veſtibus indutus regem Achab deterrebat. Et Præcurſorē domini caprinis pellibus indutum Herodes magis pertimeſcebat, & eius aſpectum vilem & pallore infectū, quàm vniuerſam rhetorum eloquentiam, aut philoſophorum elatam iactantiam. Tu igitur precare Deum, & ſummis ab eo precibus con-

2. Cor 3. *3. Reg. 18* *Marc. 6.*

tende: vt verborum copiam tibi ſuggerat. Moyſes volens prædicare populo Iſrael, non præcepit eis aliquid ex ſe, ſed ea ſolùm, quæ Deus illi communicauerat. Et ita ſacra ſcriptura ait, quod dixit DOMINUS ad Moyſem: perge igitur, & ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris, & cæt. Et Ezechieli dixit DOMINUS: Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum. Et cùm ſtetiſſet, dixit DOMINUS ad eum: Fili hominis mitto ego te ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me. Et in fine capitis ſcribit Propheta, quod dixit ad eum DOMINUS: Aperi os tuum, & comede quæcunque ego do tibi: & librum intruſit in os eius. Regius ille DAUID non eſt auſus laudem DOMINI annunciare, quouſque os eius aperiret DEUS, & ita in Pſalmo poſtulabat: DOMINE labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam. Petamus ergo ſuperna domicilia, & inde probæ cuiuſque cogitationis exordium à DEO maximo poſtulemus, & ſpiritus feruorem poſcamus. Quia, omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Maximè igitur neceſſaria ſpiritus ſancti gratia eſt, vt feruido prædicemus Spiritu, & vt mouere poſſimus, & in animabus bonum ſemen iacere. Talis debet eſſe finis, & intentum Euangelici concionatoris.

Exod. 4 *Ezech. 2* *Pſal. 50* *Iacob. 1*

De orationis ſtudio Euangelici concionatoris.

CAP. XXIX.

CVM ex præcedentibus capitibus planè cõſtet, quantum concionatori expediat feruidum habere ſpiritum, vt audientium moueat affectus: denique poſtquam ea, quæ prædicare habet, probè tenuerit, mox ſe recipiat, & in

cubiculum abdat, & priuatim identidémque conſideret illud opus, quod exercere pergit, quod vtique Apoſtolicum eſt, & prope diuinum miniſterium. Et ſic maximum Deum deprecetur, vt ſua illi gratia ſuccurrat, & almum ſpiritum in ſuis præcordiis ingerat, vt illi continuò ſeruire mereatur, & etiam dignetur fructum in illis animabus producere, ſecundum illud prophetæ: In meditatione mea exardeſcet ignis. Quod ſi
Pſa. 38. hunc ignem comburentem aliorum viſcera, in ſe voluerit incendere, & germinare, opus eſt vt meditationibus crebris, & orationibus aſſiduis perſtet. Sic nanque impetrabitur optatus ſpiritus, qui ad mouendum requiritur, aliorúmque viſcera incendet. Quapropter omninò ſe tradat Deo oportet. Quod ſi ad inuocandum venerabile nomen, Ieſus, vt decet, peculiaris Dei afflatus requiritur: nedum ad prædicandum populo diuina myſteria per vnius horæ ſpatium requiretur? Taxandi ſunt ergo, qui ſuggeſtum aſcendere non trepidarunt ſine cordis præparatione, & ſuimet ſacrificio. Hoc idem Chriſtus Dominus nos docuit. Vt enim Euangeliſtæ affirmant, plerunque montium cacumina petebat, antequam ſermonem aggrederetur prædicare; & cùm totam noctem in orationis ſtudio conſumpſiſſet, deſcendebat, & templum ingreſſus prædicabat. Et cùm illum montis ſermonem mirificum prædicauit, quem Sancti Matth. & Luc. ſcribunt, ait Beatus Lucas, quòd totam noctem in oratione conſumpſit: denique de monte deſcendens, vnde orauerat, ſtetit in loco campeſtri, & inde prædicauit turbæ ſequenti eum. Non vtique Redemptori noſtro hanc ſupernam ſemotionem facere expediebat, qui ſemper cum Deo, & ipſe

meus erat: ſed hoc faciebat, vt exemplum concionatoribus relinqueretur. Sic legimus factum eſſe cum Moyſe, cui legem cùm vellet tradere, iuſſit ei, vt in montem Synai aſcenderet, ibique oraret. Eiuſmodi quidem facere tenentur, qui in prædicationibus ſuis fructum facere ſtudent. Præuiſis itaq; omnibus dicendis, ſeſe recipiat, maximum Deum deprecans, vt ſibi fauere dignetur, & linguam ſuam moueat, & rogat, vt ſui miniſterij debitum penſum ſoluat, liberè probéque & expeditè eo munere fungi poſſit. Cùm autē flexis genibus in pulpito iacet iam prædicaturus, leuans ſuum ſpiritum ad Deum tam ipſo corde, quàm ore, hanc eadem orationem proferat.

Deprecatio ad Deum.

OMNIPOTENS, & clementiſſime Deus, qui me indignum, & peccatorem ad tantum officium vocare dignatus es: ſuppliciter & obnixè oro, vt mittere digneris à ſede maieſtatis tuæ auxilium gratiæ, vt te dignè laudare valeam. Tu has animas ex nihilo creaſti, quæ ſanguine dilectiſſimi filij tui ſunt redemptæ: & hoc quidem munus non meum, ſed tuum eſſe fateor. Quapropter, piiſſime Deus, ſi querelas ſuſtines, & meis demeritis exiſtentibus in cauſa, irā, & indignationem mereor, in poſterum vltionem relinque, non propter mea ſcelera puniãtur, neque in pœnam delictorum meorum: O Domine Deus, conſolatione hac eas carere non permittas. Sed potius mittere digneris Spiritum S. tuū in viſceribus meis, vt cor mundet, labia purificet, inanes cogitationes expellat, & ſpiritum prædicandi tribuat & benigniſſimè concedat. Et concionē

hanc ſicut pro te ipſo ſolum, & ad gloriam ſanctiſſimi nominis tui incipere decreui, ſic per te incepta finiatur. Qui viuis & regnas, &c.

De idiomate, & vernaculo ſermone concionatoris.

Cap. XXX.

VNVM interea eorum, quæ audientium delectant aures, & iucunditatem afferunt, & inſuper quàm maximè concionem exornant, atque expoliunt, illud eſt, non minus gratum, atque iucundum, nimirum idiomatis Romani elegantia, & eiuſdem copia ſermonis, quam optimus quiſque verbi Dei concionator debet habere. Ad hoc tamen maximè iuuat, cum viris vrbanis & comibus aſſiduè loqui, & cum eis incedere, & eos imitari in probis quibuſque ſuis loquendi characteribus, & dicendi phraſibus, & quæque cauta, elegantiaque verba obſeruare. Ad hæc etiam iuuabit optimi cuiuſque dicendi characteris, & Rom. ſtyli libros euoluere. Aduerte tamen, quod in hac re ſolet accidere, aut eius limites vltrò pertranſire, aut nimis ſiſtere retrò. Verum ne quid nimis, minuſve vt quàm congruat fari, & inſulsè loqui, garrulus, vel loquax extitiſſe videatur, quod ſæpe contingit. Ea propter ad medium neceſſarium, & congruens confugiat, vt aures potius iucundet audientium, quàm vt eas offendat. Et ſic Euangelicus concionator aduertat ne ſynonymorum multitudinem coaceruet, & quaſi in lineam colligat. Ex eo namque duo incommoda eueniẽt: Aliud eſt, quod oſtendit, dum ea congerit, & multiplicat: aliud verò incommodum eſt, nam cùm

ſe offert explanare, aut ſecundò eandem rem iterare, iam ſemel aſſumptis vocabulis, vt iterum ſubſumat, neceſſum eſt: quod nimis acerbum, & aſperum ſit audientibus. Exempli cauſa. Si quis diceret: Magnanimus, fortis, robuſtus, & præpotens: diſſipat, impugnat, expugnat, & profligat muros, arces, oppida & caſtra. Nam cùm ſit magnanimus, & robuſtus, expugnat muros, & arces. Hæc huiuſmodi prolata nullius momenti ſunt. In priori namq; propoſitione, tamquã garrulus, pleraq; congeſſit, & recitauit ſynonyma, & omnem prorſus vocabulorum copiam euomuit. Et ita in ſecunda propoſitione neceſſum fuit iterum reſumere prædicta encomia. In quarum prima propoſitionum, ſi nimis offendit, eò quod abuſiuè proceſſit, nedum in ſecunda, quia ſemel dicta iterum ſumpſit. Quorum niſi prodigus fuiſſet, vocabulorum nequaquam mox indiguiſſet: ob quorum penuriam mendicare coactus eſt. Hæc omnia incommoda vitantur & eleganti ſtylo, exactoque dicendi charactere id ipſum dicitur: quando dicta vocabula, aut ſynonyma in diuerſis propoſitionibus partiuntur. Vt in hunc modum ſi dixeris: Fortis profligat caſtra, præpotens expugnat oppida, robuſtus aggreditur muros. Nam vt magnanimus diſſipat arces. Hoc modo hæc ſi dicantur, præſtat ad mouendum affectus, & animarum vinea paſtinatur, & dura tunduntur pectora: abſque eo quòd aures offendantur ſynonymarum ſarcina. Diuus Paulus variis in locis ſuarum Epiſtolarum præfata vtitur loquendi norma. Ad Corinthios ſcribens, ait: Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? aut quæ cõuentio Chriſti ad Belial? aut quę pars fidelis cum infideli? Quis 1. Cor. 8.

autem conſenſus templo Dei cum idolis? Hic e-nim eſt iucundus,& gratus dicendi modus. Hæc eſt delectabilis enarratio, & loquendi ſtylus, in quo vna, & eadem res variis nuncupantur vocabulis in diuerſis propoſitionibus. Hic enim dicendi modus, non ſolùm non faſtidit, verùm ad hæc ſuſpendit, & quaſi in extaſim rapit,& delectat. Expedit ergo vocabulorum habere copiam, & talentum,vt ſic diſponere, & variis in propoſitionibus reponere queat,& eas dilatare,ampliaréve ſimul, & conceptum, atque digreſſionem quamcunque facere.

Omninò verò cōcionator abhorreat ab omni affectato ſermone, quæ affectatio in omni genere linguarum odibilis eſt. Maximéque abhorreat ab omni fucato, teneróque, quaſi fœmineo eloquio, in ipſomet tono, aut vocis pronuntiatione. Hoc enim ſapientium aures maximè offendit. Quòd quamuis rhetoricis vtatur coloribus, & eadem rhetorices arte, videre tamen licet, quod præcipua ipſius Rhetorices pars eſt, eam celare, & occultare. Quæ verba & ſi artificio conflata ſint ab ipſa rhetorices arte, à nemine tamen id requiratur, neceſſum eſt. Nam hæc adeò celanda ſunt,vt non artificiata, ſed quaſi ab ipſa natura inſita videātur. Propterea verba adeò penſanda ſunt,& examinanda, & ea modeſtia, & authoritate præeſſe debet, qui tantum locum adiuit,vt Chriſtus Dominus repræſentatur, & eius Apoſtoli ſacroſanctæ Euangelicæ doctrinæ miniſtri.

Egregius, & ſatis elegans dicendi modus eſt, per contraria loqui: vt ſunt contraria, lætitiæ, triſtitiæ:& vitæ,ipſa mors. Et ita S. Leo Papa in ſermone, qui legitur in nocte natalis Domini,

cùm dicit: Non eſt locus triſtitiæ, vbi natalis eſt vitæ: præſtantius diceret, vbi natalis eſt lætitiæ: -nanque lætitia correſpondet ipſi triſtitiæ. Velut ſi quis de ærumnis, & laboribus Chriſti Domini ſermonem faciens, ita diceret: Redemptor noſter humiliari voluit, vt nos exaltaret: egenus eſſe voluit, vt nos ditaret. Et labores, & dolores ſubiit, vt nos lætaremur: duriſſimam, & valdè ignominioſam mortem adiuit, vt maximo cum trophæo ad gloriam nos viuificaret: Cuius quidem abiectio eſt gloria noſtra, eius mœſtitia eſt gaudium noſtrum, eius inedia, refectio noſtra, eius denique opprobria, & anguſtiæ ſunt gaudia noſtra, & præmium ſempiternum.

Animaduertat inſuper quiſque concionator, ne incongrua, aut minus decentia in virtutis theatro, aut verò euerſi, & incongrui idiomatis, proferat verba. In communi & vulgari ſermonis congreſſu caueat omnino ab omni infimo verborum conuictu, aut eloquio. Nec fabellis, aut anicuulis vtatur adagiis, aut ſcurrarum facetiis, quæ nimis abſona, & incongrua huic tanto loco videntur. Fieri namque poteſt, cùm idioma pulpiti illud ſit, quo vulgariter vtimur, abſque vlla conſideratione lingua aberret, communi ducta via, vſuque fandi: & inde talia proferat verba, quibus audientium offendat aures, & omnem doctrinam aboleat, & prorſus euertat.

De ipſius concionatoris vocis accentu ſeu tenore,

Cap. XXXI.

Cauendum maximè eſt concionatori, ne aliorum vocis accentum, vt proprium amittat, ſtudeat imitari: aut eorum tonum adulte

rare contendat: & velut actor mimos æmulari. Nimis enim defatigatus, laſſúſque manebit, & inſuper natiuam deperdet vocem, & omnem dicendi leporem, atque ſpiritum deſtruet. Tandem, nihil violentum perpetuum, & ſtabile eſt. Qui ſi ſtatim ad propriam vocem ſe conuertat, fieri nequit quin audientium offendat aures. Ea propter concionator Euangelicus pro viribus ſtudeat in omnibus, quæ habet tractare, vocis tenorem ſequi, prout ipſa natura dictauit, atque ſuggeſſit duntaxat. Ea enim eſt proportio, & harmonia inter audientium aures, & ipſius concionatoris vocem, quòd ſi hic mutet proprium vocis accentum, audientis exacerbantur aures, animúſque tepeſcit diſſono vocis affatu. Verum vt hoc ſignificantius queat intelligi, aduertendum eſt, quòd in omni concione, triplici tono & locutionis ſerie vti debet prædicator Euangelicus. In prima quidem docere habet: In ſecunda, enarrare: In tertia verò, aliquid pertractare, vt inde moueat affectus illecebris, & blanditiis. Nonnunquam tamen velut quidam ſatyricus vitia acerrimè taxet, & concrepando abolere ſtudeat. Hæc triplex locutio diuerſos ſortitur naturæ vocis accentus. Quòd ſi vocis conſonantiam prædicator non obſeruet, moleſtus quidem fiet audientibus: Nam vt in muſices arte comperimus, dum modulamina concentus quidam ſectantur, mox ſi pſaltes harmoniæ modulum perturbat; ſtatim idipſum ſentitur. Ita fit ſi Euangelicus verbi diuini præco natiuæ vocis mutet accentum, idipſum videns offenditur populus. Aduertendum tamen maximè concionatoribus eſt, ne in hoc deficiant, aliâs peculiarem notam, & ingentem labem in prædicationis nomine contrahent, & omnem

vim

vim, omnemque energiam amittet eorum ſermo. Ex quo nihil boni redundat, nec enim mouet affectus, ſed damnum potius & riſum excitare videtur, & tandem ab omnibus vilipenditur, quaſi tyro, & in tanto munere parum exercitatus, & quaſi, qui abutitur eo, & ſapiens quiſque eius vilipendet ſermones. Vocis igitur proprius, & natiuus tonus, quem & obſeruare ſemper, & tenere debet, ita ſe habet. Dum enim intendit docere, narraréue, tranquillo, & quieto idipſum proferat eloquio, & perſpicuo dicendi ſtylo. Eo modo namque noſter inſtrui deſiderat animus. Verùm ſi dum docet aut enarrat quippiam, feſtino properans docet eloquio, aut concutit inuicem palmas faciens ſtrepitum, inſuper & clamitans retundit vocibus auras; inepè loquitur. Propterẽáque huiuſmodi obſeruet ſtylum, & ſe gerat velut qui prælegit, ſigillatim, & pedetentim, nec omnia confundat: ſed perſpicuè enarrando, aut docẽdo procedat. Aduertendum tamen eſt, quòd quamuis quieto, & perſpicuo ſermone debeat proferri quodcumque docetur, non vtique debet intelligi quòd ſit procedendum tepidè, & perfunctoriè, aut inſulsè. In his enim vitium inueniri poteſt, velut qui vltimos fines tranſgreditur, in quibus medium foret tenendum. Dixerim ſigillatim, & pedetentim docendum: non interpolatè, & velut qui irriſoriè loquitur. Semper enim concionator debet ferre continuam prolationem & ſpiritus feruorem obſeruare. At geminus cùm ſit feruor ſpiritus: alter ad docendum, alter verò ad mouendum inſeruit. At verò vtrumque confundere, & dum docetur, vti mouendi feruore, incongruum quidem eſt. Dum enim enarrat, aut docet,

omnem menſuram obſeruet oportet: nam & omnia verba penſare, & eorum ima accentuare, rectéque pronunciare debet: ne quicquam obliuionis, negligentiæue in eo requiratur. Inter enarrandūm verò, aut inter docendum mediocriter percipiat, ordinatas periodos conſtruat, vt detur reſpirationi locus: ne nimis continuo ſermonis proceſſu coarctet fauces, & penè ſtrangulari videatur: & quaſi effrænis equus præcipitabundus continuo curſu, ita vt non præſit ſuæ natiuæ vocis accentui. Veruntamen hoc obſeruare tenetur, vt ſuæ voci prædominetur, ita vt dum opus fuerit, ſumat ſpiritum, & iterum mittat, atque reſpiret: & ſic periodum terminet, & conficiat, aliamque enunciet, ſed & omnia ſatis exprimat oportet, velut equitans, qui ſtapedis innititur, ne inde corruat: ſed vt audientium animos ſuſpenſos habeat, & animo ferantur, ab eiúſque ore pendeant. Contra hæc faciunt concionatores, qui adhuc cōſueuêre ingenti tumultu, & ſtrepitu prædicare. Nec tamen ſe prædicaſſe putant, cùm omnia non confundunt, & quaſi furioſi non prædicauerint. Qui ſiue documenta tradant, ſiue mouere ſtudeant, eundem prorſus vocis tenorem obſeruant. Nonnulli verò ſunt, qui congruentem tonum obſeruāt, vtpote inter docendum mediocrem, & cæt. Verùm ordinare periodos prorſus ignorant, & eas terminare: & ideò nimium laſſi procedunt, & continuo, nec interrupto ſermone fauces quidem coarctare videntur, quod maximè offendit aſtantium aures. Alij autem ſunt, qui periodos præordinant. Verùm eò longè tendunt, & eas protendunt, vt cùm iam eas terminant, tepidè finire videantur, & abſque vllo ſpiritus feruore; qui in fine perio-

di cùm laſſi ſint, reſpirare, & ſpiritum ſumere non ceſſant, eóq; fit, vt concio frigeſcat. Quod accidit ex eo quòd defecit ſpiritus, quem in longa periodo conſumpſit:& ſic vt eandem terminet, coactus eſt iterum, ac iterũ reſpirare. Hi cõmuniter concionatoreas, aliud etiam ſortiuntur vitium. Periodum namque ſubmiſſa voce exordiuntur, & mox paulatim aſcendũt, & quaſi gradatim in ſummum vſque leuant vocis torrentẽ, vſque ad medium periodi. Mox paulatim labuntur, quoniam ſpiritus iam conſumitur. Quod ſanè factum liquet ex longitudine periodi, & grandi vocis miſſione: proptereáq; læſus deſcendit ſæpiſſimè anhelans: quo fit, vt audientium mentes tepeſcant, & anſam dormiendi inueniant, & ſic cuncta frigida maneant. Quæ omnia bene habebunt, ſi obſeruentur in prædicto documento illata. Nam ſi mediocri vocis torrente hæc proferantur, & breues ordinentur periodi, aſſiduè licebit in eis reſpirare, & crebrò ſpiritum ſumere, nec nimis defatigabitur pectus. En vt ſpiritus feruore, & æſtu licet ſectari concionem, abſque vlla nota ex prædictis. Hæc pro ijs quæ ad docendum enarrandúmve ſpectant, dicta ſint.

Secundus verò ſermo, quo cum mouere intẽditur, charitatiuè, illecebris, & blanditijs debet quidem fieri, ſecundùm maiorem, aut minorem additionem. Sic enim noſtra eſt trahenda voluntas. Diſcrimen autẽ inter ipſum ſermonẽ, qui illecebris, & inter ipſum, qui minis & terroribus fulcitur, hóc eſt, quòd primus leniter, & charitatiuè procedit, ita vt concionatoris charitas, & amor in hiſce verbis eluceat. Secundus verò ſermo rigidis, & acerbis increpationibus peragi-

tur: & quaſi quidam paterfamilias dum ſuos obiurgat ſeruos, cum quodam prædominio, & ſeueritate. Cæterùm obſeruare licet, ne huiuſmodi increpatio intrinſecus oriatur ex aliquo odio, aut indignatione concionatoris: (hoc enim abſonum nimis eſſet) ſed quaſi honoris Dei celator dumtaxat id ipſum faciat. Denique iuxta hunc ordinem procedendi ſe debet habere, quòd primum dicat illud, quod habet docere, mediocri, & ſummiſſa voce, & magiſtrali tono, velut qui in cathedra prælegit. Interim tamen dum applicat media ad mouendum affectus, vt illud quod præcipit, continuò fiat: incipiat calefacere, & inflammari, ita vt cùm ad finem periodi, aut digreſſionis deuentum fuerit, magno impetu prorumpat ſpiritũ, & inſtar currentis equi qui paulatim terminat curſum. Itaque ex prælibatis colligimus. Cùm enim literæ contextum enarrauerit, magiſtrali voce procedat, velut qui documenta tradit. Et huiuſmodi etiam cùm incipit digreſſio, loquatur, vtpotè mediocri tono. Et ſic gradatim aſcendens flammeſcat quouſque finiatur digreſſio, qua cum ſuadet. Ea quidem finita, mox ad Euangelij contextum reuertatur: velut qui tranquillo, & quieto prædicet animo: ſic enim vniuerſa concio conſtruenda eſt. Aliud ſiquidem eſt docere, ſeu enarrare, ab eo, quòd mouere, & audientium affectus excitare. Dum enim documenta traduntur, cùm hoc negotij intellectus ſit, attentionem captare ſolùm intendit, vt percipiant quæcunque eis præcipiuntur, & docentur. Verùm cùm in doctrina mouere intenditur, tunc res geritur cum ipſa voluntate: & ita huiuſmodi locutio magno ſpiritus feruore perurgendus eſt, vt praua, indomita, & trucu-

lenta voluntas ſedetur ac moderetur. Et vario artuum motu, inſtar cuiuſdam ſeueri parentis filium ſuum obiurgantis, ſe totum concutit, & dilacerat, vt ipſe probus fiat. Eiuſmodi habet morigerari noſtra proterua voluntas, ne vlterius ſæua recalcitret.

Vti natiuæ vocis accentus foueatur, & conſeruetur.

Cap. XXXII.

GEMINVM documentum tradi poteſt, ne Euangelicus præco proprium amittat tonum*, aut natiuæ vocis perdat accentum. Primùm eſt, vt ſtudeat in ipſo concionis limine, & exordio propriæ vocis obſeruare tenorem, dummodò vocis reſonet Echo, ita vt probè omnes percipiant, & quaſi cum ſodalibus, amiciſue loquatur, aut cum domeſticis, & familiaribus, ſic prędicet. Et inſtar cuiuſdam parentis, filium ſuum monentis, & ſuadentis, abſque eo quòd peregrina voce, aut adulterino prædicet tono. Cui præmeditari licet, quod ſanè vtile hoc illi erit, dum ſuggeſtum aſcendit, quod cum vno dumtaxat loquitur, & hunc proprium eſſe filium etiam intelligat, quem ſerio & ex animo increpat, & ſuadet, vt probus ſit, & virtutis ſectator. Et ita in ipſius concionis primordio mente percipiat quempiam audientium pluſculum ſanè diſtantem ab eo, & quaſi quidem ille vnus aſtaret ſolùm, cum eo ſermonem ineat: abſque eo tamen, quòd eum demõſtret, aut omninò indicet, & ſecundum præfatum modum, ac rationem, vocis tenorem obſeruet. Viderit tamen caſu quòd ille ſolus ibidem aſtaret, & ille poſſet

inſtar dulcis parentis vtique familiariter, & domeſticè, non fictè, ſed proprio vocis accentu eum alloqueretur. eo modo ergo debet proloqui, velut cum geminis ſodalibus aliquod negotium communicat. Veruntamē nonnullos cernas pulpitum aſcendentes, qui eiuſmodi vocem contrahunt, qui ſi corā duobus, tribúſue aſtarēt duntaxat, equidem illum irriderent, & meritò ſubſannarent. Nimirum quidem ſunt verbi Dei concionatores, qui tales vſurpant vocis accentus, atque proſodiam, quod data comparatione abſonum nimis videtur. Vt liquet cùm ex animo loqui, ac prædicare contendunt. *Variè* namque vociferantes, & propriæ, ſeu natiuæ vocis tenorem & accentum torquentes, & prorſus euertentes: ita vt eorum ſermo ad parietes potius, quàm ad homines fiat, & verba aeris cacumina petant, quàm in viſceribus audientium ingerantur. Qui quidem defatigati manent, & audientium cœtum parum conſolatum dimittunt. Nam, vt præcedenti capite dicere cœpimus, hanc ſortitur naturam, & congruentiam ſenſus auditus cum ſuo obiecto, dum opticum neruum pertingit harmonia dulcis: interim tamen, ſi diſſonus fiat concentus, protinus auris ſentit, & offenditur. Huiuſmodi quidem contingit, dum concionator mutat propriæ vocis accentum, vt audientium maximè offendantur aures. Cùm enim ſic adulterantes tonum prædicent, ſubſequitur vt repræſentatiua careant, quæ eſt vna ex præcipuis partibus, quæ ad optimè concionandum requiruntur. Tandem verò læſi cùm ſint, aliū denuò ſumere tonum coguntur, & illum iam denuò amittere. Haud tamen fas eſt huiuſmodi ſacræ ſcripturæ loca inſerere, aut hiſtoriam e-

narrare, quam curſim, & quaſi per tranſennam, crudam, ſeu indigeſtam, & malè expoſitam ipſam relinquentes. Quod fit, quia propriam vocem mutarunt, nec illi prædominantur. Ex quo etiam emanat, vt eorum prædicatio plerunque contemnatur, & à paucis eorum doctrina ſectetur. Nam ſic procedentes, ipſa narratiua, ſeu repræſentatiua, & prorſus omni ſpiritu carent: quibus cum aliorum mentes, quaſi hamo trahuntur. Et tandem ſubſequitur vt concionatores non ſint, & cùm cernimus populum eos non ſequi propter hoc vitium, id faciunt, vtpote quia inſulſi, & illepidi ſunt, natiuum vocis accentum mutantes. Cęterùm qui proprium obſeruant tonum, vibrantes vndique vocem, hoc boni ſortiuntur, qui tametſi nihil parúmue moueant, delectant tamen, cùm optimam habeant repræſentatiuam, quod ſufficit vt ab alijs audiãtur, & delectentur. Hoc ſanè punctum maximè cõcionatori annotandum eſt; ſiquidem nullus eſt in priuatis, domeſticis, ac peculiaribus eloquijs qui probè, & rationaliter non ſe gerat. Vnuſquiſq; enim proprium obſeruat vocis tenorem, dum loquitur cum ſuis domeſticis, aut ſodalibus. Quam quidem dicẽdi normam, ſeu ſtylum nonnulli ex prædicatoribus ſi obſeruarent, dum pulpitum aſcendunt, non tanta in loquendo illepiditas, ſeu indecentia vigeret. Vnde infertur, inter prædicandum proprium vocis tenorem fore obſeruandum, non ſecus, ac ſi cum domeſticis ſermonem iniret. In vno duntaxat diſcriminare tenetur: vtpotè quod altiorem ducat vocem, ſecus ac ſi familiariter loqueretur. Ad quod prædicta conſideratio deſeruit, vbi cœpimus dicere, quod percipiat mente illum

aliquantulum diſtantem ſecundum ſuæ vocis extenſionem. Et ſic prædicet, quaſi ille ſolùm aſtaret, & ſecundum Eccleſiæ longitudinem, & aſtantium cœtum ſic tollat vocem. Hinc aliud notatione dignum obſeruabit: quòd exęquet, & contemporizet in vocis torrente cum populi aſtantis turba, & locis, in quibus prædicat. Namque (vt plerique faciunt) in locellis, & humilibus ſacris tectis magnum vocis torrentem emittunt, & quaſi præcones penetrant humilia tecta ſacrorum. Nec diſcrimen ſtatuunt, ſiue magnus irruentium aſtet vndique cœtus, ſeu aniculàrum congeries pauca circunſtet, aut in excelſis, vel in humilibus prædicet templis, omninò æqualem vocis accentum, ſeu torrentem obſeruat.

Secundum verò documentum ad hoc vt concionator æquè, & ſecundùm optimam, & congruentem rationem leuet vocis torrentem, hoc eſt, vt omnino ſit intentus, vt quæcunque dixerit ex animo proferat, minimè autem intentus, an vocis accentus æquè, & naturaliter feratur. Siquidem illud quaſi natiuum videtur (vt communiter fit apud omnes) dum quiſque ſermonem facit de quauis re propoſita cùm vocis tenorem obſeruat, quem eiuſmodi res poſtulare videtur. Vt quidam ruſticanus omnino rhetoricæ ignarus, interim tamen cùm de aliqua re pertractat, mediocrem leuat vocis accentũ, & quietè procedit, inſtar cuiuſdam præceptoris, & dum opus eſt, verba ſuſpendit. Mox, dum ſocium, aut filium ad opus allicere ſtudet, paulatim incenditur, & vibrans, mouet brachium, & artubus ludit, & cæt. Hæc omnia facit abſque eo, quod quicquam intendat ad motum, & operatio-

nem artuum, ſeu proſodiæ. Dum obiurgat, increpat, & aliorum crimina taxat, vultum comprimit, & collum erigit, & lingua dum inſectatur, & cæt. Qui dum humanè, piéque loquitur, vultum extendit, & humiliat. Vbi ſolùm intendit ruſticus, & obſeruat illud inducere quod monet duntaxat. Nam ipſa natura ſuggerit vocis varios accentus, abſque eo quod iuxta idipſum ſtudeamus. Hoc documentum eſt egregium, & ſatis optimum, vt Euangelicus concionator cõgruenter loquatur, dum prædicat, nec vocis mutet natiuum accẽtum: ſed proprium obſeruet, cui quidem præſit, & opportunè eo vtatur.

De æquabili motu artuum, ac prædicandi ſtylo.

Cap. XXXIII.

MONEO tamen verbi diuini concionatores, vt à quorundam abuſu prorſus diſcedant, qui inter mouendum ſubſiliunt, & mox eò membra complicant, & incuruant, vt penè intra pulpitum deſilientes, abſcondantur, (inſtar vrinantium ſub aqua (& varijs diſtorſionibus, & vultibus propriam oris ſpeciem exterminare videntur. Vlnas tamen, manúſque licebit mouere, & vndique proſpicere cœtum, & ad ſacramentum, dum loquitur cum Deo, vertatur. Quapropter ea religione, & grauitate ibi aſtare intendat, quantam maximam requiritur vt habeat, qui virtutis theatrum adiuit: & tanti miniſterij exactor, & tanti muneris miniſter extat & præeſt. Cæterùm niſi æſtuantis veris expicaumata premant, & angant eos, vt aliter fieri nequeat dum prædicant, cucullo, ſeu pileo contegant caput. Nonnunquam tamen pro tem-

poris opportunitate, vt dum aliquod grauiſſimum increpat vitium, vt eorum moueat animos, & indurata pectora tundat, ad Deum conuerſus, manibúſque poſitis, loquatur. Tunc inquam licebit aperire caput, nõ ſecus tamen. Motus quidem ſecundum ea, quæ monet, docetve, fieri debent: ſiquidem æqualiter repræſentatiuam comitatur proſodia. Vtpotè ſi Abſolonis illius miſeri hiſtoriam enarraret, cuius quidem Ioab acerbis iaculis viſcera ima transfixit, leuabit in altum brachium, & aridã verſus minabitur: quaſi qui iacula mittit, ſignificans ipſum Ioab. Eodem modo ſi Euangelij verba referret, vt illa: Si tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero manum protendat, quaſi aliquid volẽs tãgere. Quæ omnia probè habent intelligi: dum temporis occaſio poſtulat facienda, ordinéque ſeruato, non ſecus. Caueat tamen vt in motibus quaſi iaculator ſe oſtendat. Inſuper & alias incongruas dexteritates manuum fugiat, quæ ad gladiatores magis ſpectant, quàm quod ſuggeſti honeſtas poſtulet, grauitáſque depoſcit. Iuxta quod notare licet illud, quod præcedenti capite prælibauimus in fine, loquendo de vocis accentu, quem naturaliter obſeruãt, qui familiariter, & domeſticè loquuntur: & idem obſeruandũ eſt in motibus membrorum. Nam Euangelicus cõcionator obſeruet oportet illud, quod communiter & in exteris negotijs gerẽdis obſeruat. Nã cùm ediſſerit, diſceptat, & arguit, indicem mouet, & manum. Dum admiratur, aut exclamat, os ſuprà intentum habet, & cæt. Idem prorſus inter prædicandum obſeruet, & nihil omninò horum mutet, vt dictum eſt, & ipſa res poſtulat.

Dicendi autem ſtylum, obſeruare debet iuxta modum enarrandi, & iuxta ea omnia, quæ dicere habet, non inſtar cuiuſdam Dialectici ſe gerat, qui ſyllogiſmorum obſeruat modum, & figuram ad hunc modum dicens. En maior, en minor. Nec ſcholaſtico modo, aut diſſertiuè procedat: ſed quaſi quidem orator nonnunquam enarrando, amplificando, aliâs exclamando, rationes deinde afferat, & authoritates citet. Non, inquam, ſcholaſtico dicendi charactere. Itaque ſi quadrifariam propoſitam concluſionem, aut aſſertum eſſet comprobaturus: id nimirum probet, abſque eo quod dixerit, quadrifariam, bifariamve hoc comprobabo: & mox, prima ratio, ſecunda ratio ſic ſe habet, &c, Hic ſiquidem dicendi ſtylus acerbus nimis eſt. Veruntamen ſic poterit has omnes dicti rationes referre, abſque eo, quòd dixerit, prima, ſecunda, tertia ratio eſt, Sed finita priori, ſubdat, dicens: Et ſimiliter hoc ita ſe habet, nanque, & cæter. Aut alio huiuſmodi vocabulo vtatur, quod haſce rationes connectat, & eo probè conſutæ, connexæque ſint, vt audientium aures minimè offendat: ſiquidem Euangelici præcones ſumus, non autem ſcholaſtici Doctores, ſeu magiſtri, qui argutijs, & probationibus ſuadent, dicentes: Prima, ſecunda, tertia ratio, &c. vt eorum doctrina luculenter, planéque oſtendatur, & facilius percipi valeat.

Vti recordabitur dum obliuiſcitur cuiuſdam puncti, & incongruè aſſertum corriget.

CAP. XXXIV.

SI fortè contigerit(vt enim memoria hominis labilis eſt!) eorũ quæ cœpit dicere quicquam obliuiſcatur, aut prorſus labatur è mente, poterit quidem ad Deum conuerſus, dicere terque quaterque: A,a,a, Domine Deus, vt moleſtè grauiterque fero, cùm viderim tua verba parum inſectari, & percipi. Interim niſi recordatus fuerit, ſimilibus ironicis vti poterit verbis. Cæterùm ſi hæc omnia minimè proderunt, vt recordetur, dicat: Hæc miſſa faciamus, nec vltra immoremur. At verò vt in memoriam facilè reducat, nec omnino obliuiſcatur eorum, quæ habet prædicare, hoc ſingulari vtatur documento. Nonnulla ſumito peculiaria, & ſignata puncta, & horum notabilium initiatiua verba ex corde ſatis habeto, atque primordia, vt in his initijs, quaſi ſtapeda firmiter innixus procedas: quamprimum enim illius exordij quod ante memoriæ mandaueras recordaberis, reliquorum memoraberis dicendorum. Itaque prius quàm pulpitum aſcendat concionator mente recolat quęcunque habet prędicare, & ordine ea enumerans dicat. Primum punctũ ſic incipit, & ſecundum huiuſmodi, & cæt. Hæc viciſſim mente iterúmque euoluat, vt cordi figantur, nec ita facilè fugiant. Et initium cuiuſque puncti plerumque repetat. Quod ſi inter concionandum contigerit, vnum, aut alterum punctum elabi, ad aliud tranſire poterit. In hiſcę quidem dębet concio-

nator ſtapedis inniti, qui debilem ſortitus eſt memoriam. Verùm, vt iam diximus, initiatiua notabilium verba memoriæ inſideant: quòd ſi velles, minimè tamen elabi poſſint. Hi autem memoria debiles concionatores cõtinuò deducere poterunt ex Euangelij contextu, & modicas facere digreſſiones.

Verùm ſi acciderit vt inconſultò, nec verba perpendens aliquam falſam, diſſonámve nimis propoſitionem dixerit, ne vltra gradiatur, ſed potius in ſe reuertatur. Quod ſi oportuerit exceptionem & additamentum exhibeat. Exempli cauſa: hanc ſi aſſertionẽ proferret. Nemo adhuc hominum fuit, quem peccati labes fugerit. Hæc quidem aſſertio vt liquet, falſa eſt, & ſic reuerſus iterũ dicat: Nemo, inquã, culpæ expers fuit, exceptis, Chriſto Domino, & eius matre ſanctiſſima. Quod ſi diceret hanc propoſitionem: Omnes, qui ex Aegypto exierunt, perierunt in deſerto: ſimiliter eſt falſa. Quam iterum repetens, excipiat dicens: Præter Ioſue & Caleb. Alius inſuper eſt modus ad reſarciendum & celandum, quod incongruenter eſt aſſertum. Non per additamentum ſiue exceptiuè, ſed expoſitiuè, ſe ipſum planè explicando, & inſuper addens aliquid illi aſſerto. Huius quidem exemplum eſt. Si inter prædicandum, in illud Euangelij: Fides tua te ſaluam fecit, diceret. Fides omnes ſaluificat. Iterum dicat: Eius fides, & charitati comes ſaluificat. Deinde ſi diceret: O vos, qui tot ante ſæculis in peccati labe volutati permanſiſtis, & adhuc correctionem minimè adhibuiſtis: & iam diuturna vos carpſit deprauata cõſuetudo peccati: dico vobis, omnes peribitis in gehennalibus flammis præcipitandi. Hoc corriget, ſua ver-

ba exponens, vtpote dicens, niſi pœnitentiã habueritis: quam difficillimè habebitis, qui aſſuefacti eſtis peccare. Si autem talis fuerit aſſertio, ſeu propoſitio, quæ correctionem, aut additionẽ non admittit: tunc quidem non eſt defectus, vt ad ſe reuerſus dixerit: Non hoc ita habet. Haud probè dixi. Modò ſic aſſero, vel ſic, &c. Et ſic fideliter eam proponat. Quòd ſi ſpiritus ardore inflammatus, & feruidus dixerit aliquam propoſitionem, quam iterare non eſt locus, per ambages, & circumloquia eam tandem repetat ſecundùm verum dicendi modum, ita vt populus intelligat, ne fortè aliquem percipiat errorem, & tandem decipiatur falsè edoctus.

De confutatione obiectionum, & reſponſione earum. Cap. XXXV.

PLerumque accidit Euangelico concionatori, dum aliquam doctrinam populo ſanè arduam, & intellectu difficilem tradit, facere quidem in ſe argumentum, quod populus obijcere poſſet, vti ſi aſſereret. Qui eleemoſynam impertit, plus lucri ſibi comparat, quàm amittat illud. Plus recipit, quàm quod erogat. Statim diceret: Vide quid dixeris ô pater? Quomodo hoc verum ſit prorſus ignoro. Ego qui antea promptuaria mea plena, & exuberantia habebam: dum impertio, en vacua ſunt. Qui antea ſignatos loculos, & imbutos cernebam, dum erogo vacui & inanes mihi videntur: & ego egenus & propemodum mendicus factus. Qui ad populum conuerſus, dicat: Hoc quàm veriſſimum eſſe, vobis oſtẽdam. Nam dato quod fideles eſtis vos, ſcripturæ aſſertis tenetis alludere:

Creuerat ingens fames in Iſraël. Miſit ergo Dominus Eliam Prophetam, vt egenum, & mendicum in Sareptam Sidoniorum, vt apud viduam maneret, & ab ea paſceretur, &c. Narra hiſtoriã, & dicito. Nonne cernitis planè vt vidua plus accepit, quàm quòd Eliæ impertiuit? Alijs namque varijs modis poterat Deus Eliã paſcere: verùm ita diſpoſuit, vt illam ditaret viduã, ad eam egenum Eliam mittere. Maius quidem beneficium recepiſſe diuitẽ de manu pauperis conſtat, cùm hic ſuã eleemoſynam accipit, quàm diues inferat illi erogando. Et ita cum muneribus, & donis quendam diuitẽ vult Deus afficere, egenum & mendicum ad ſe mittit: vt potius ab eo diues recipiat. Hanc loquendi phraſim, quæ vos ſanè fugit, rectè calluit ille ſanctiſſimus Patriarcha Abraham, cùm dixit ad Angelos, quos peregrinos eſſe putabat: Si inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ. Nouerat quidem Abraham, quòd diuites beneficio tunc afficiebantur, cùm eorum eleemoſynam pauperes volebant accipere. Proptereáque dixit: Si inueni gratiam in oculis tuis. Hæ nimirum obiectiones refutantur, & facillimè ſoluuntur, gemina ſi vtramque lançe ponderes. In altera earum, lucrum perennium gaudiorum locato, & in altera iacturam terreſtrium bonorum ſtatue. Nunc perpendere licet, quam ſint nullius momenti huius lutulenta prædia ſæculi, & caduca: illa autẽ æterna, pretioſiſſima ſuper omnia bona. Et conſequenter quàm parum, eadem erogando, deperditur, imò lucratur, cùm acquirantur perennia, impertiendo vilia, & abiecta. Hoc eodem modo Diuus Chryſoſtomus plerumque vtitur, peculiariter

in Homilia, quæ inſcribitur: De oratione Annę, & quod vtilis ſit paupertas, hoc dicendi ſtylo probat feliciorem diuite pauperem eſſe, & beatiorem gaza ipſa, paupertatē. Quæ homilia habetur in primo Tomo poſt Homil. in Geneſim. Atque etiam prope finem quinti Tomi, Homil. ſeptuageſima octaua, quæ inſcribitur: Quod melius eſt iniuriam pati, quàm inferre. Deinde, poſtquam dixit, & nunciauit commodum quod ex hoc conſequitur, in hunc modum ſubdit: Sed eſt graue (inquit) iniuriā pati, & calumniā. Non eſt graue, non eſt. Quouſque circa præſentia ſtupidus hæres? Neque enim id Deus inſtituſſet, ſi graue foret. Animaduerte verò, qui fecit iniuriam, abijt, habens quidem pecunias, ſed & conſcientiam perculſam: læſus autem, pecunijs quidem priuatus, habens autem apud Deum fiduciam, poſſeſſionē, innumeris theſauris digniorem, &c. Hinc iacturam temporalē, quæ minima eſt, locato, iſtinc ſpirituale damnū reponito, quod ſibimet machinatur, qui alium lædit, & contumelia afficit. Et ita D. Chryſoſtomus cōcludēs, inquit: Quid ais? Priuatus ſum omnibus meis: libet tacere. Calumniam ſum paſſus, & ferre iubes æquanimiter, & quomodo potero? facillimè profectò, ſi tamen in cœlum reſpicias, ſi ſpectes hanc pulchritudinem, & quod te Deus ſuſcipere promiſerit, iniuriam generosè ferentem. Hoc argumentum fac, & cælum reſpiciens, cogita, quod illi ſuper Cherubim ſedenti factus es ſimilis. Nam ille contumelijs affectus fuit, & tolerauit: opprobria pertulit, nec vltus eſt, percuſſus, & non ſurrexit: ſed contra beneficia reddidit ijs innumera, qui talia patrauerant. Nóſque ſuos eſſe iuſſit imitatores. Vbi quidē Chryſoſtomus

ſoluit

ſoluit quæſtionem cum ſpe præmij, & Chriſti Domini exemplo, eiuſdémque præcepto. Non ſecus ad ſuadendum populo ignaro inimicos diligendos fore, hiſce quatuor medijs vti oportet. Primùm quidem eſt agere de damno, & iactura, quam Zoili, detractores, & inimici noſtri ſibi comparant: & ſimiliter de commodo, quod inde prouenit nobis. Secundum quidem medium, eſt, agere de præmio quod ſanè conſequemur: quia erimus filij Dei, & hæredes, cohæredes autem Chriſti. Tertium eſt exẽplum Dei aſſerentis: Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos: & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Quartum autem medium confirmatur Dei præcepto. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Quod niſi feceritis, peribitis, & in æternum ardebitis: modò verò eligite vtrum horum præſtet vobis, numquid diligere, an pœnas luere? *Matth. 5.*

Magnum quidem ingenij acumen, & artificium requiritur ad abolendas, & radicitus extirpandas falſas, & erroneas populi, quas habet, opiniones. Vt Salomon ille in Eccleſiaſtico facit, plerunque opiniones reijciens, quæ iuxta ſummum bonum ferebãtur. Et Apoſtolus ad Romanos aduerſus contrarios eos, qui perſecutionem docebant, propter meram fidem duntaxat, abſq; operibus legis. *Rom. 5. 6. & 7.*

Vti Euangelicus præcò ſuadeat.

CAP. XXXVI.

CVM noſtrę voluntatis, quo tendit obiectũ, ſit verè bonum, aut ſaltem apparens bonum, nunquam enim noſter appetitus fertur in malum, niſi ſub aliqua ſpecie boni. Quã-

obrem plerique ſunt, qui ſibijpſis imponunt,& ſenſualium rerum deſiderio trahuntur. Vt autem hæc inimici fraus deſtruatur, Eccleſiæ Dei concionatores præſunt. Ea propter medijs,& rationibus vti debent, quibus populo ſuadeant: ſcilicet peccati bonum & gaudium mundi, & carnis fucatum,& lutulentum,& omnino doloſum eſſe. Secus autem de virtutis commodo ſuadeat: nimirum virtutis bonum verum, & amabile eſſe: & ſeruire Deo non modò vtile, & honeſtum, ſed & delectabile. Et ſicut prouidi quique duces,dum bellum gerere cum alio ſtudent, optimam quamque munitionem debēt parare, vt hoſtes aggrediãtur,& militibus adunatis bellicum canere,vt tandē trophæum obtineant. Ad hunc quippe modum Euangelici concionatores ſummo ſtudio,& opera exquirere,& rationes adinuenire tenentur, quibus cùm planè oſtendant virtutis viam non modò honeſtiorem, verùm & vtiliorem, & magis delectabilem eſſe, quàm vitij, perditionis & interitus. Quòd ſi ſuadere nequeat: ipſam delectabiliorem, dulciorémq; eſſe ſaltem probet: atq; ſuadeat vtiliorem, ac magis cõmodam eſſe,proptereáque inſolētię maximæ eſſe ipſi virtuti velle præponere vitium. Et abſonum nimis, ipſam peccati obſcœnam voluptatem,honeſtæ virtutis cõmodo,& dulcedini præferre. Aliàs operæ pretium eſt rationibus oſtĕdere,quod vitium,& ſi oblectet,& iucundet,cæterùm maximè nocet. Ad hoc autem expedit plerunq; recitare,& inquirere damna, quæ ex quocunq; vitio emanant, vt ab huiuſmodi audientes abhorreāt. In hiſce,quę dicta ſunt,latiſſimus patet concionatori mediorum campus ad ſuadendum. Nā ad hoc, vt aliquid appetatur,& diliga-

tur, neceſſarium eſt oſtendere illud delectabile, & oppidò ſatis iucundum, & honorificum nimis eſſe, facile, & non arduum, ſcilicet ipſam virtutem. Hæc quidem omnia oſtendi poſſunt, ſi eius, quod docetur, explicetur definitio, nonnunquã per ſuas cauſas eius commodum oſtendendo: aliàs per ſuos effectus demõſtrando. Idem omninò licet fieri in ipſo damno, quod ſubterfugere poteſt. Nam cùm contrariorum eadem ſit ratio, & voluntas noſtra propenſa cùm ſit ad bonũ ſectandum, ex eoq; eius commodum ſibi oſtenditur, ita quidem diuertit à malo cùm eius nocumentum requirit & videt, vtpotè moleſtum, odioſum, inhoneſtũ, & ignominioſum illud eſſe, &c. Qui rhetorices documentis delibuti ſunt, longè lateq; hoc ipſum facere poterunt. Ceterũ quibus ſors non ſuggeſſit, eis aduertere ſufficiat, quoniam honores, & commoda in bono contineantur: & quod opprobria habentur in malo. Quibus probè libratis, vtique virtutem ſectandam fore, & vitium fugiendum ſuadebit.

A quibus recitandis cauere debet concionator.

Cap. XXXVII.

CAVEAT Euangelicus præco, ne ſuggeſtum aſcendens, ſummet honoris gloriam autumet, aut prædicet. Vel quia nouerit obtrectatores nomen ſuum ignominioſè detrahentes, ſeipſum haud defendat ibidem. Nec ſe iuſtificet, virum vtique probum, nec infimæ notæ eſſe, nec literis delibutum ſe eſſe dixerit. Hoc enim eſt, quod latebat, prodere, & quod inter duos tresve ferebatur, vniuerſo cœtui manifeſtare. Et, quod peius eſt, quod alijs patientiam

cùm prædicet, ſe elatum omnibus præbet, & veſtimenti lacinia dum tangitur, ægrè fert. Ideóque tacere, & æquo animo tolerare præſtat, ſiquidem ea eſt rerum viciſſitudo, & tempus omnium medicus eſt, ad cuius currum omnia decidunt, & labuntur, cunctáque prætereunt. Deinde ſuos æmulos confundet, & maximo cum trophæo ſuperabit, & tandem victoriæ palmam reportabit. Veruntamen qui hoc ipſum non faciunt, ſed in pulpito ſe ipſos prædicant, præterquam quòd aſtantium aures offendunt, inſuper ab eis poſthabentur, & eorum doctrina minus recipitur.

Caueat ne iactabundus ſui ingenij acumen, & agilitatem oſtentet, aut quæ dicere habet, nimis collaudet, & ad nubes vſque tollat, dicens. Quòd adhuc nemo tam egregium, & propè diuinum excogitauit punctum, & ſimiles huiuſmodi vanitates, & iactantias. Ad ſummum autem dixerit: Attendite, & notate hoc: abſque eo quòd ſubdat, quia nimis acutum, aut præſtantiſſimũ eſt. Nam ſiue bonum, ſiue malum illud ſit, denique audientes viderint & iudicabunt.

Caueat abſona, & longè extra à præſenti concione verba proferat: illud verò quod à concione diſſidet, vt pote ſermones, qui ad ædificationem populi non conferunt, hæc nimis penſanda ſunt, & maximo cum ſtudio examinanda, antequam proferantur in pulpito. Namque in hiſce, & ſimilibus ſermonibus, ineptiæ dici plerunque ſolent.

Caueant dixerint forſan quòd ſerò nimis ei ſermonem ipſum commendarunt: huiuſmodi nanque iactantiæ verba ſunt. Non ſecus ac ſi diceret. Si tam breuis temporis ſpatio & præte-

ſpem, talia tamque mirifica prędico: quid ſi temporis anguſtia non premeret? Hoc ſibi ſuadeat concionator, eo audientium aures, alacres, & ſubtiles iam eſſe, vt probè eorum animum, mentemque calleant, & percipiant. Quos & vilipendunt, & in deriſum habent, cùm eos iactare cernunt.

Caueat oſtenderit ſe moleſtè ferre, aut potius obtrectet ex eo, quod modicus audientium cœtus ſit. Siquidem præſentes non ſunt noxij, cùm adſint: & abſentes non percipiunt, cùm abſint: & ſic taxatio volaret in aërem, & præſentes malè iudicant de eius patientia, & æquanimitate. Grauiter enim ferunt cùm cernunt ſe vilipendi, & pro minimo reputari. Quin potius meminiſſe *Ioan. 4.* tunc habet, quod Chrſtus Dominus prædicauit mulierculę Samaritanę. Propterea ſpiritu, & deuotione, ante oculos ponat Chriſti crucifixi amorem, & pro eius amore, & cum amore prædicet duntaxat. Aſtantes enim quamprimum promulgantes, & illius optimam famam circumferentes, alios quidem trahent vt ſuam egregiam doctrinam ſectentur.

Caueat citò credulum ſe omnibus præbeat, vt cuncta, quæ à ſæcularibus illi nũciantur, ſibi ſuadeat, detrahentes apud eum clericos, aut ciuitatis rectores, & præſides, & hiſce ſimilibus obtrectantes, & apud eum conquerentes. Plerunque enim euenit vt quidam ſibi illatæ iniuriæ non ſecus vindictã ſumere valẽtes, ipſum concionatorem, quaſi inſtrumentum ſumunt, quem cautionibus informant & verbis doloſis ſatis dant, & fortè longè aliter, quàm ſe habet res. Quod ſi Euangelici concionatores nullo habito conſilio, nec veritatem ipſius rei vndequaque inquirant,

ſed nimis credulè ſuggeſtum aſcendentes,protinus idipſum euomunt, & eorum falsò impoſita crimina taxant, pullulabunt quidem in populo ſcandala, plerunque inſontes damnabit,& ipſe vultu confuſu m inebit, cùm tandem veritas vbique ſit non celãda,ſed planè videnda eſt Hoc maximè notandum eſt concionatori. Huiuſmodi namq; res poſtulat eum perſpectum,& nimis callidum,ne omninò concipiat quæcunq;audit: ſed probè omnia penſare,& vtrum dolus aliquis diliteſcat ibidem, rimari. Quòd ſi attentas aures præbere debet calumniantibus, non ita facilè eorum detractionibus aſſentiatur, quin prius omnia ruminet. In vteri namq;lege prohibitum

Leuit. 2. erat, ne offerrentur in holocauſtum animalia,
Deut. 14. quæ non ruminabant.

Caueat inter increpandum luxum, & prodigalitatem, erga victum, & veſtitum, dixerit, vt plerique ineptè faciunt, dicentes: Ea eſt rerum viciſſitudo, vt iam iam ſutoris coniunx ita lautè ſe gerat,& monilibus,ſericíſq;veſtibus ornet, vt quaſi cuiuſdam principis vxor luculenter incedat,& varietatibus induta. Hoc enim ignominioſum eſt valdè, & ſutorum detrahere honori. Sed potius alio dicendi charactere,& ordine dicat. Ea eſt rerum viciſſitudo, vt iam fabri vxor, &c. Non autem in particulari, Sutoris, ſartoriſve. Et ſic de reliquis.

Caueat ne nimis Doctorum prolixas authoritates Latino ſermone ibi recitet: ſed breues ſatis. Verùm longiuſculas(ſi tamen compendioſæ ſint)licebit referre duntaxat. Huiuſmodi namque populus ignarus faſtidiuit nimis, & offenditur. Præterea quiq; ſapientes viri non ita facilè ferunt cùm iterum Hiſpano ſermone recitanda

ſint: Faſtidit miſeros crambe repetita magiſtros. Veruntamen, quicquid Latino ſermone recitauerit, vtpotè ſcripturæ, doctorúmue authoritates referendo, paulatim luculenter, & clarè illud pronunciet. Caueat autem neotericos ibi Doctores recitet: namque ſuggeſtum ea pollet authoritate: & grauitatem tantam poſtulat, vt ſacram Scripturam duntaxat, & ex ſacris Doctoribus iam priſcos citare liceat. At inter Doctores ſcholaſticos S. Thomam, & D. Bonauenturam ſolùm recitet: hóſq; rarò. Nuſquam tamen Durandum, Scotum, nec Paludem, Gabrielem, aut Caietanũ, nec reliquos inſuper Doctores Scholaſticos.

De ſermonibus Sanctorum.

Cap. XXXVIII.

AEQVVM ſanè eſt, & acceptum ſatis Diuorum merita inclyta promere, verbis & præconijs edere, atque eorum heroicas efferre virtutes, & victorias, trophæaque pangere. Idque ſancti Patres, & priſci, ſacrique doctores fecere. Diuus enim Chryſoſtomus Tomo quinto, Homilia 5. prædicat ſanctimoniam patientiſſimi Patriarchæ Iob. Et Homilia ſexta idem omnino facit de Elia Propheta. Et Homilia ſeptima de Machabæorum præſtantia: Homilia octaua de tribus pueris, qui in camino æſtuantis incendij metro ludentes, ordinatè ad laudem omnipotentis Dei omnia elementa prouocãtes, tripudijs incedebant. Et Homilia nona laudibus effert cœlibem, coſtámque Suſannam. Non ſecus videntur facere ſancti Eccleſiæ Doctores, D. Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, D. Baſilius, Nazianzenus, & pleriq; alij. Quapropter Eccle-

Eccl.44 ſiaſticus dicit: Laudemus viros glorioſos in generatione ſua. Et Chriſtus Dominus laudat ſanctum præcurſorem,& D. Petrum,& D. Mariam Magdalenam: & alios ſanctos quamplurimos: Quod ſi ex noſtris cantionibus & laudibus, & diebus feſtis, in quibus eoſdem ſanctos colimus, nihil emolumenti, aut gloriæ eis accreſcat: cæterùm quoniam ſuis laudibus trahuntur fideles ad eorum virtutes ſectãdas, atq; vt deuotionem habeant in eis, idcirco ab eorum laudibus non de-
Galat 1 bemus abſtinere. Paulus ad Gal. inquit: In me
Hebr.11 clarificabant Deũ. Et in epiſt. ad Hebr. Memores eſtote eorum, qui præſunt vobis, qui locuti ſunt vobis ſermonen Dei,&c.

Igitur dato, quòd viri ſancti laudandi ſunt, duo ſunt maximè concionatori notanda iuxta hoc. Primum quidem eſt, quod parum prædicet de ſancto illo, & hoc in fine concionis ſeruet. Haud tamen apocrypha, vanáq; recitet, quæ ſapientũ aures offendãt. Namque Apoſtolus de ſe cùm dixiſſet: In nomine Ieſu mirabiliũ multitudinem feciſſe: S. verò Lucas in Act. Apoſtolorũ non multa recitat. Eiuſmodi quidem concionator pauca referat de ſancto:& ea vera ſint, & authenticè comprobata, vt conferant ad populi ædificationem, & fidem augeat ſuæ doctrinæ, non fidem minuat.

Secundum, quod aduertere debet concionator, eſt iuxta modum laudandi. In quo duæ ſimul conſiderãdæ ſunt laudandi rationes. Prima quidem eſt, ne communia, & trita nimis de aliquo ſancto prædicet: ſed aliquam peculiarem, & exquiſitam prærogatiuam, & hæroicam virtutem ei aſcribat, in qua reliquos excellat ſanctos. Namq; arma ex eodem metallo fabricantur, ve-

rùm hanc materiam ſi armarius temperet, lucidiora quidem apparent reliquis armis. Ita quidem omnes ſancti fuerunt vtique viri perfecti, & omnibus virtutibus inſigniti: nonnulli ſuas virtutes eatenus expolierunt, & igne examinarunt, vt in ipſa virtute facilè primatum obtineant, & eximij valdè, egregijque ſint. Eapropter & mater Eccleſia pro omnibus concinit. Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi. Quòd ſi in hoc omnes conueniunt, ingenioſus cõcionator exquirat aliquod peculiari encomiũ, vt eum præferat cæteris. Hic namque laudandi modus eſt iuxta rhetorices documenta: & ipſe quoq; ſanctus maximè exltatur. Sic enim Chriſtus Dominus ſatis collaudat S. Ioannem Baptiſtam, dicens: Inter natos mulierum non ſurrexit maior, &c. Et Centurionem, dum dixit: Non inueni tãtam fidem in Iſraël. Et Magdalenam, pro ea reſpondens Marthæ ſorori eius. Si de S. Ioanne Euangeliſta ſermo fiat, dicito omnium dilectiſſimũ Deo fuiſſe, & quòd ipſe ſolus inter Apoſtolos duodecim virginitatis aureolam obtinuit. Si de Ioanne Baptiſta prędicet, dicat, quod à ventre matris rationis particeps fuit, & ſancto flamine delibutus. Si de S. Paulo, quod vas electionis inter omnes Apoſtolos in prædicationis miniſterio facilè princeps fuit. Si de S. Iacob. quòd lux & decus totius Hiſpaniæ fuit: & inter omnes Apoſtolos primus fuit martyrio laureatus. Si de S. Franciſco, vti præ omnibus ſæculi contemptor extitit, poſt ipſos Apoſtolos. Si autem de S. Antonio, de ſuorum mirabilium excellentia, quòd inter omnes clarus fuit. Si de Catharina, quòd inter omnes ſanctas meruit ipſa ſola tres aureolas deportare, vtpotè virginis, martyris, &

Eccl. 44

Marc. 11.
Mat. 8.

Luca 10.

doctricis, poſt ipſam virg. Mariã. De Magdalena autem dicito „ quòd torrẽtem lacrymarum fudit, & maximam compunctionem, & dolorem præ omnibus habuit. Ad hunc ſanè modum poterit cæteros laudibus Sanctos efferre, & peculiaribus donis anteponere, non autem quæ ſunt communia, de eis peculiariter prædicent. Nec tamen opus eſt totius vitæ curſum enarrare, aut à quibus ortus, oriundusve parentibus eſt, & quanam peragrauit, aut quò tandem peruenit, & reliqua huiuſmodi, quæ ad garrulos, & loquaces ſpectare videntur, & quaſi librum ibi recitare, qui floſculus Sanctorũ dicitur. Sat ſit, vt prælibauimus, aliquod peculiare donum, quo illum præ omnibus Deus inſignire voluit, recitare: ac ſingulare priuilegium, quod illi Deus conceſſit, ac piè communicauit, oſtendat. Quòd ſi ad hoc recitandum operæpretium fuerit nonnihil ex ſuæ hiſtoriæ curſu recitare, breuiter, & ſuccinctè perſtringat, & reliqua, quę ad hoc punctum non ſpectant, miſſa faciat. Hæ ſanè laudes intelligendæ ſunt, quod fiant in eorum Eccleſijs, & aduocationibus. Nam ſi in feſto Diui Bartholomæi concio fiat apud Diuum Franciſcum, non eſt opus quicquam laudis pro S. Bartholomæo edere: ſed Euangelium duntaxat prædicare, ſine aliqua prorſus D. Bartholomæi cõmemoratione. Quòd ſi in ipſius ædibus, & Eccleſia prædicetur, congruum quiden eſſet, nonnihil de eo laudis recitare (quod in fine concionis ſeruandum eſt,) pro ipſius honore, & deuotione populi. Vtcunque tamen illud ſit, nuſquam tamen vtilem doctrinam animabus omittendam ſuadeo: vt totum tempus conſumetur in Sanctorum laudibus recitandis.

Secundus laudandi modus eſt, cùm prius laudantur hi, quibus ipſe anteponitur: quod quidem fundamentum habetur etiam ex rhetoricæs cœumẽtis. Homerus enim priſcus Poëta, & ſanè egregius, in Iliade, quam in laudem Achillis ſcripſit: vt Ahillem probè, & ſecundum animum collaudet, prius Hectorem collaudat, & eius præclara geſta recitat: deniq; verò vnico dũtaxat verbo Hectori præfert Achillem, dicens: quod vicit, ac ſuperauit Hectorẽ. Quantò enim laudibus ipſum Hectorẽ effert: tãtò magis laudat Achilẽ, qui victor euaſit. Non ſecus Dei Apoſt. vt legem nouã magis ac magis collaudet, & probet, prius veterem Moyſi legem collaudat, ad Hebr. dicẽs: Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè, &c. Deinde ait, quomodo hæc lex gratiæ à Chriſto Domino data eſt. Et mox quantum Chriſtus, ſiquidem Dei filius eſt, Angelicis ſpiritibus præſtet, qui ſerui, & miniſtri Dei ſunt. Itaque (vt ad propoſitũ reuertamur) ſi in feſto D. Petri placuerit immortalib. laudibus eum efferre: prius quidem de ſuprema Apoſtolorum dignitate proloqui decet. Qui quaſi Seraphim ſacroſanctæ militãtis Eccleſiæ extiterunt, & quaſi principes eius. Et quæcunque prędicauerunt, & exarârunt, omninò Euangelium eſſè, & Scripturam ſacram, & ſciẽtiam à Deo illis infuſam. Poſtquam in communi de huius celeberrimi, & propè diuini miniſterij verba fecerit, & de Apoſtolorum excellentia, dicito. Audiſtis principatum, & ſupremam dignitatem Apoſtolorum? Modò aduertite quòd Diuus Petrus omnium princeps fuit, & caput eorum. Exactius (profectò) & luculentius ita D. Petrum efferes, atque ſi eas, quaſi diſcepta- *Hebr.1.*

tiones cũ Simone Mago geſſit, recitares, aut ea, quæ vbique gentium peregit miracula referres: aut geſta alia enarrares, quæ audiẽtium animos tepefaciunt, & tandem eorum non mouent affe- ctus, nec in deuotionem, & maiorẽ reuerentiam ſanctorũ eos trahũt. Inſuper ſi S. Matthiam in- tendis laudibus inſignire: prius illius Ioſephi pe- culiarem probitatem laudato, qui cognomina- tus eſt Iuſtus, pro ſua ſingulari ſanctitate: hoc modo dicẽs. Aduertite quiſnam S. Matt. ſit. Hic enim S. Spiritus electione, qui probè hominum corda nouit, nec decipi poteſt, Apoſtolatus mi- niſterium ſortitus eſt, & Ioſepho præpoſitus, & cœleſti ſigno ab Apoſtolis electus, & in eorum numero computatus. Hæc duo exẽpla ſufficiãt, vt quiſque ingenioſus verbi diuini concionator ſumat ſtylum ac dicendi modum, & Rhetorices documentis vtatur, vt optimis rationibus & co- lorib. rhetoricis artificiosè, & maxima cum bre- uitate ſciat Sanctorum merita laudibus extolle- re, in eorũ ſolẽnitatibus, & Eccleſijs, ſecundum eũ modũ, qui melius videbitur expedire. Quod etiam eligere poterit ex gemino dicendi modo iam poſito.

De ſermonibus pro defunctis.

Cap. XXXIX.

Sancti quippe Doctores, & iam priſci pro de- functis prędicare conſueuerunt, & ad huiuſ- modi quidẽ fuereos excogitârunt ſermones: In ſcriptis namq; D. Greg. Nazian. inuenimus conciones pro obſequijs Magni Baſilij, & D. A- thanaſij: atque etiam in funeralibus parentis ſui Gregorij, & fratris Cæſarij, & ſuæ ſororis Gor- goniæ. Et D. Ambroſij quoq; duæ extant fune-

bres conciones, altera pro Theodoſio, alia pro Valentiniano Imperatoribus. Quibus ſanè concionibus præordinandis vtilis quippe materia, & fundamenta extant:vtpotè, De recordatione mortis: De miſeria, & fragilitate hominum, Vti ſtipendium peccati ipſa mors eſt: De ſæculi vanitate,& contemptu: De perenni gloria: De iudicij magni die: De pœnis Inferni, & beatorum gaudijs. Pro ipſis verùm defunctis, vnũ, aut alterum verbum ſolum addat, & hoc prope concionis finem, & quaſi in compendium præfata renis finem, & quaſi in compendium præfata redigens, illud verbum applicet dicens, quia probè vitæ ſuæ curſum conſummauit & ipſe, & quaſi fortiſſimus quiſq; miles perſtitit vſq; in finem, & omnia tandem ſacramenta percipiens, migrauit. Et ita piè credendum eſt: gaudia meruiſſe ſempiterna. Cætera, quæ hiſce inſuper addi poſſunt, vanitas, & maxima dementia eſt, quod audientium aures offendit nimis. Præterquam ſi mortuus fuerit aut Rex, Reginave, aut aliquis alius princeps, ſeu optimates, tunc enim licentiã habebit concionator plũſculum extendi ſecundùm præclara illius principis merita: verùm & hoc cum prudentia & verborum delectu fiat. Namq; ſi dum prædicamus de illis ſanctis, quos iam Eccleſia recipit, & in numerum ſanctorum computauit, non licet doctrinam vtilem omittere pro eis laudibus decantandis: quanto minus licebit in pulpito eorum immortales laudes recitare, quod quidem ſalui ne facti fuerint, ignoramus, quamuis viſum fuerit nobis fœliciter diſceſſiſſe?

Quidnam facere debeat poſt ipſam prædicationem.

CAP. XL.

HAVD tamen concionator vana efferatur iactantia, cùm ſe rectè prædicaſſe cognouerit: ſed conſiderandum ipſi eſt, hoc propè diuinum & cæleſte donum ſibi collatum fuiſſe, pro communi Eccleſiæ vtilitate, pro ſalute animarum. Et inſuper quod Chriſtus Dominus in Euãgelio dicit, quod in nouiſſimo magni iu-
Matth. dicij die multi dicẽt: Nonne in nomine tuo pro-
7. phetauimus, & dęmonia eiecimus? quos Deus ig-
1. *Cor.* norabit, nec amplius cognoſcet. Et Apoſtol⁹ ait:
13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Itaq; ne quis pro peculiari fandi, aut mouendi chariſmate ſe iactet, & cæteros vilipendat. Plerunq; enim maximus DEVS ſolet indignis & ſibi aduerſis hæc, & ſimilia dona communicare, non pro ſe, ſed pro aliorum vtilitate duntaxat. Propertereáq; debet exiſtimare forſan aliquam humilem aniculam adfuiſſe concioni bonæ, ad cuius merita reſpiciens Deus concionatori gratiam dedit, & ſpiritum prædicandi, & ſcientiam, & leporem dicendi infudit, cùm tamen hoc non meretur. Plerunq; enim Deus adminiſtrat bona, & ea ſuggerit medijs quaſi vilibus, & abiectis inſtrumen-
3. *Reg.* tis. Vt Eliæ prophetæ carnes ſuggeſſit, per mini-
17. ſterium coruorum. Noluit quidem Deus Eliam per manus Aquilarum, aut miniſterio Accipitrum (quæ nobiles vtique ſunt) alere: ſed coruo-
Iudic. 15 rum ope. Samſon quoque per aſini mandibulam potauit: quæ fœtidum, turpe & viliſſimum quid Hæc quidẽ ita placet Deo operari, vt magi

ac magis eius ſapientia,atq;potentia coruſcet,& fulgeat. Et propterea dedecet maximè concionatorem gloriari,& collum erigere, ſiquidē per reprobos fieri ſolent magnalia, & excelſi ſermones. Quamobrem cùm Dei peculiare auxilium ſenſerit hiſce meditationibus ſe colligat. Nec patiatur ſe laudibus erigi, ne forſan vanitatis venticulus omne meritum tollat, & peculiare Dei auxilium dirimat,& in ſubſequentibus concionibus deſit. Cæterũ ſi aliter fieri neuit, quin laudes ſui audiat, ſe non audire ſimulet: obſeruet, & taceat. Nec vt quidam faciunt,effœminatis, eſt mollibus, ſe excuſet verbis,quandoque ſe nihil omninò ſcire fatentur, quorum ſuperbia, & iactantia intrinſecus latitat. DEO tamen in imo cordis gratias age pro omnibus, quæ tibi communicare dignatus eſt.

Debet inſuper concionator peculiarem quendam amicum conſulere, & ab eo diligenter inquirere, & percontari, nunquid in pluribus offendat,aut deficiat:& vtcunq; illud ſit oſtendere dignetur: quod ſanè inquirat cum animo corrigendi ſeipſum, & lætetur deinde cùm ſuos illi defectus obijciunt, præcipuè cùm amicorũ correptio facilis ſit,nec fraterna admonitio grauiter ferenda eſt.

Tandem quibuſcum maior fructus animarum percipiatur,interroget, illudque ſectetur& prædicet ad laudem omnipotentis Dei,qui trinus, & vnus viuit in ſæculorum ſæcula. Amen.

IN PSALMVM CENTESIMVM TRIGESIMVM SEXTVM.

CONCIO I.

Super flumina Babylonis , illic ſedimus, & fleuimus . dum recordaremur tui Sion.

HIC Pſalmus inſcriptionem nō habet:& ita nonnulli animo hęrent,& dubitant , variáque nimis ſentire videntur, dum eius ſignant authorem. Putant enim fuiſſe conſtructum à quibuſdā Hebræis, vtpotè ſpiritualibus, & deuotis viris per modum cantilenæ, & lamentabilis carminis luſum: in quo exprimunt intimum cordis dolorem, ſimul & afflictionem , quam in acerba & dura nimis captiuitate Babylonis habuēre. Alij ſentire videntur, hunc Pſalmum fuiſſe compoſitum ab illo clariſſimo & egregio populi Hebraici duce Eſdra in exitu,& regreſſu Babylonicæ captiuitatis. Alij credunt eius authorem, regium Dauid fuiſſe. Et hi quidem veritati magis videntur appropinquare : & ſecundùm hoc in nonnullis ſacris Biblijs habet huiuſmodi titulum inſcriptum: Pſalmus Dauid, propter Hieremiam. Habet namque quandam congruentiam cum illa miſera lamentatione, quam Hieremias imo cordis tactus dolore , amarè flens diram populi ſui captiuitatem, & Babylonis ergaſtu-

gaſtulum, lacrymis, & ſingultibus faciebat: de cuius etiam captiuitate in hoc pſalmo agitur, & ſanè videtur quaſi quoddam compendium, & finis Lamentationum Hieremiæ. Quomodo ſedet ſola ciuitas, plena populo facta eſt quaſi vidua, domina gentium, &c. Et illius deprecationis quam fecit: Recordare, Domine, quid acciderit nobis, &c. Diuus Hieronymus in præfatione in Abdiam Prophetam, huic alludit ſententiæ: & etiam D. Auguſtinus, qui in libro decimo ſeptimo de ciuitate Dei, quarto decimo capitulo, & in Pſalmo nono, huic connectitur opinioni, nimirum omnium Pſalmorum authorem fuiſſe Dauid. Cui alludunt D. Ambroſ. D. Hilarius, Origenes, Theophylactus, Euthymius, Caſſiodorus: quæ & probabilior, atque communior eſt opinio. Et Diuus Auguſtinus loco citato inquit: Quod quemadmodum ſolus Chriſtus habuit clauem Dauid, vt nimium abdita myſteria, & Pſalmorum arcana reſeraret, & luculẽter enodaret: ſic ſolus Dauid habuit Dei ſpiritum in pſalmis conſtruendis & ludendis. Multi enim hoc adire munus tentauerunt: ſed nullus adhuc eius gratiam & leporem pſallendi obtinuit, nec ſatis longè peruenit. Quòd ſi obiiciatis mihi, vti fas ſit, quod regius Dauid fuerit eius autor, in quo agitur de miſerabili captiuitate filiorum Iſraël in Babylone, per ſpatium, & curſum annorum ſeptuaginta, quæ quidem captiuitas multos poſt dies Dauid facta eſt. Hæc quæſtio difficilem haberet exitum, niſi Dauid Prophetam eſſe vtique crederemus. Non autem mirum debet eſſe, quod tam ſplendidè, & luculenter ventura prædixerit nobis, cùm ipſe egregius, & peculiaris, inſigniſque Propheta extiterit. Quòd ſi mihi nõ cre-

Thrẽ. 1.

Thrẽ. 5.

2. Reg. 23. ditis,audite quid de ipſo ſcribatur. Hęc ſunt verba nouiſſima,quæ dixit Dauid filius Iſai. Dixit vir,cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius pſaltes Iſrael : Spiritus Domini locutus eſt per me:& ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi,locutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum : iuſtus dominator in timore Dei. Sicut lux auroræ Oriente Sole manè abſque nubibus rutilat , & ſicut pluuiis germinat herba de terra. Primũ quod aſſumpſit,eſt,quòd eſt Propheta: Inſuper & egregius. Dixit vir egregius pſaltes Iſrael. Egregius enim ſignificat,quaſi ſingularis,& extra aliorum gregem. Secundum aſſumptum eſt,quòd ferè omnia , quæ concinit in pſalmis,Chriſto & gloriæ eius ſunt aptanda. Dixit , vir cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob. Tertium quidem aſſumptum eſt,quod pſalmorum ſcriptura à Deo fuit reuelata,& authentica. Qui ſpiritus Domini locutus eſt per me: & ſermo eius per linguam meam. Quartum aſſumptum dicit : Quod egregius pſaltes manifeſtius, & amplius ventura prædixit ſiue ad Chriſtum Dominum,Eccleſiæue,ſeu ad populi Chriſtiani ſucceſſum , aut ad populi Iſraël euentus pertinet, quia dicit : Sicut lux auroræ Oriente Sole. Et ſic non mirum debet eſſe, quòd euidenter , & nimis perſpicuè Babylonicam populo euenturam captiuitatem prædicaret. Namque regius noſter Dauid tantus , tamque inſignis propheta extitit, non ſecus ac ille , de quo habetur tertio Regum,quod prophetauit coram Ierohoam nequiſſimo principe, & idololatra bonum, quod Iſraëli foret euenturum per ſucceſſum cu-
3. Reg. 13. iuſdam regis, quē & proprio nomine nuncupauit,dicens : Altare, altare, hæc dicit Dominus.

Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt; & oſſa hominum ſuper te incendet. Quòd factum eſt, quãdo Ioſias deſtruxit altare hoc, quod erat in Bethel, & excelſum quod fecerat Ieroboam: quia peccare fecerat Iſraël: vt quarti Regum enarrat hiſtoria. Et ab hac prophetia quouſque adimpleta eſt, bis centum annorũ tranſiit. Eſaias quoque Cyri Regi nomen prophetauit, qui nimirum fuit, qui captiuitatem hanc reduxit, ac populum Iſraël in priſtinam libertatem reſtituit: quæ prophetia priuſquã adimpleretur, bis centum ſimiliter annorum pertranſiit. Modò quid mirum quòd Regius Pſaltes hanc duram captiuitatem prædiceret, ſiquidem prophetes propterea dicitur, quod euentura nobis nunciet, & prophetet? Hæc inquam, captiuitas, de qua Pſaltes noſter pertractat in hoc pſalmo, ſucceſſum habuit in diebus Ieremiæ prophetæ, regnante Sedechia in Iſrael, viro quidem parum deuoto, nec virtuti propenſo. Et quo pergit caput, eo tendunt & pedes. Qualis enim dux eſt, tales & milites eius: & qualis Rex, tales domeſtici eius: Et, vt ſcriptura ait: Qualis rector populi, tales inhabitantes in eo. Cùm ergo rex Sedechias improbus extitiſſet: ſui quoque eum imitabantur. Cernens autem Deus præuaricationem, & ſcelera huius principis, & ſuorum verſutiam, impulſus eſt hac tetra, & dura nimis captiuitatẽ eos punire, & in ſeruitutem redigeret. Nam inter ea quibus in populum ſuum animaduertens minabatur Dominus, ni obſeruarent eius præcepta, & legis indita cuſtodirent, hoc vnum erat & quidem acerbiſſimum, eos nimirum tradere in ier-

4. Reg. 23.

Eſaia 45.

Eccl. 10.

ſuitutem alienarum gentium, & in ſuorum inimicorum poteſtatem: derelinquentes patrias ſuas, deſerentes receptacula, eorúmque vrbes diſſipandas, & à ſuis hoſtibus euertendas. Vnde

Deut. 28. in Deuteronomio habetur. Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem Aquilæ volantis cum impetu: gentem procaciſſimam, quę non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli, &c. Hoc modo omnino contigit in hac miſera captiuita-

Iere. 32. te, vt refert Ieremias: Ecce ego tradam ciuitatē iſtam in manibus Chaldæorum, & in manibus regis Babylonis, & capient eam: & venient Chaldæi præliantes aduerſus vrbem hanc, & ſuccendent eam igne propter malitiam filiorum Iſraël, & filiorum Iuda, &c.

Aduertite tamen, quod plerumque contingit, & Deus permittit, vt nobis mala eueniant, & plagis, & languoribus nos afficit, & punit, non ratione culpæ, nec reſpectu criminis, ſed vt ma-

Ioan. 9. nifeſtetur gloria Dei, & ipſe in nobis glorifice-

Dan. 3. tur, vt patet de cæco à natiuitate. Qui etiam voluit vt tres illi pueri ſancti Anania, Azarias, Miſaël, traherentur in Babylonem captiui: nō propter eorum delicta, ſed vt gloria Domini in ipſis manifeſtaretur: quam oſtenderunt cùm præceptum fuit eis à Nabuchodonoſor, vt ſtatuam colerent, cui dixerunt: Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis: & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quos cùm eriperet, & incolumes in medio æſtuantis incendij ſeruaret, ludentes pſalmis glorificabant Deum. Inſuper Deus non doloribus, & fla-

2. Cor. 12 gellis ſolet afficere, vt ipſe præueniat culpæ. Vnde Paulus. Nę magnitudo reuelationum extolla-

me, datus eſt mihi Angelus Satanæ, &c. Quas etiam tribulationes, & anguſtias nobis accidere Deus permittit, vt probet nos, nunquid impulſibus, & tentationibus ſuccumbamus. Vnde Angelus Raphael dixit Tobiæ: Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te. Proinde regius Pſaltes alloquitur Dominum dicens: Proba me Deus & tẽta me, vre renes meos, & cor meum. Ad hæc permittit Deus vt mala, & infortunia nobis eueniãt, vt virtus iuſti manifeſtetur, & ab omnibus cognoſcatur. Sic legimus factum cum Abraham Patriarcha, probãs eũ, dum ſuum vnigenitum Iſaac vt immolaret, præcepit illi. Patiẽtiſſimum quoque Iob tot laboribus, ærumnis, & vlcere peſſimo afflixit, & tentauit. Eademque nobis accidiſſe vult piiſſimus Deus, vt ſuæ perennis gloriæ augmentum, & incrementum gratiæ nobis ſuperueniat, vt cernimus in Apoſtolo qui dicit: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Hoc ita quamuis ſit quòd plerunque hiſce, & ſimilibus ærumnis ſuos viſitat, & pro aliis ſibi occultis iudiciis: nunquam tamen regnum aliquod Deus euertit, aut populum quendam in ſeruitutem redigit, & captiuitatem, quàm pro ſceleribus & nefandis criminibus. Proinde ſcriptura ait: Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Cùm in diebus Noë Deus euertit, & diſſipauit vniuerſum, nõne pro ſceleribus hominũ. Vnde ſacra ſcriptura inquit: Videns Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, &c. Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ. Et antequam plueret

Tob.12. *Pſal.26.* *Geneſ. 22.* *Iob.1.* *2.Cor. 12.* *Eccl.12.* *Geneſ. 16.*

Dominus ſulphur, & ignem ſuper Sodomam, &
Gene. 18 Gomorrham, dixit Abrahæ. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, quod peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Non ſecus in ciuitate Niniue fecit, quam voluit diſſipare, quin prius oſtenderet quod propter ſcelera eorum foret euertenda; ob idque dixit Dominus Ionæ: Surge & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia aſcendit malitia eius coram me. Et prædictum eſſet: Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. Igitur propter ſcelera deſtruit ciuitates Deus: & eius habitatores in ſeruitutem redigit: Atque etiam ciuitatem Hieruſalem voluit Deus euertere per manus Regis Babylonis, & Chaldæorum: vt filij Iſrael in miſeram captiuitatem traherentur. Bonum quidem nobis erit in alieno capite exemplum ſumere. Namque res noſtra agitur, paries cùm proximus ardet. Formidemus ergo Dei iudicia, & fugiamus peccatum: ne nobis eueniat
Rom. 15. quod Hebreis accidit: quos rigidè Deus puniuit. Nã vt Apoſtolus ait: Omnia quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Voluit enim Deus vt hoc exemplum ſcriberetur, vt attenderemus, & vitæ correctionem adhiberemus, & eius abdita, & minantia horreamus iudicia, & piè viuamus. Cùm Deus occidit ducentos illos,
Num. 6. & quinquaginta viros incēſum offerentes, tunc locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron ſacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, producátque ea in laminas & affigat altari. Tulit ergo Eleazar ſacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi, quos incendium deuorauit: & produxit ea in laminas affigens altari: vt haberent poſteà ſi-

lij Iſrael, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron ad offerendum incenſum Domino, ne patiatur ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio eius. Ex hac hiſtoria planè cōſtat, quod Deus vult vt ſua minitantia horreamus ſupplicia, & præ oculis ſemper habeamus quæ aliis euenerunt mala, vt piè, ſobriè, & ſecundum rationem viuamus, ne fortè quod aliis accidit, in nobis exerceatur.

Ad hæc, quæ Deus fecit erga populum ſuum terribilia Dei iudicia prouidè fugiamus. Nec eius duntaxat ſupplicia nos terreant, ſed & mirabilia nimis & abſcondita perterreant iudicia. Aſpice populum Iſrael, populum dilectum, & illecebris educatum, in ſublimi throno munificentiæ Dei exaltatum. Et captiuum illum, plorantem, & in ſeruitutem miſeram redactum, ſub pedibúſque Chaldæorum, idololatrarum, & barbaricæ prolis: & quomodo facta eſt ſub tributo domina gentium? Sunt etenim terribilia Dei iudicia, quæ horrere oportet. Vnde regius Dauid in Pſalmo ait: Cōgregans ſicut in vtre aquas maris, & ponens in theſauris abyſſos. Quid ſibi *Pſal. 32* vult, quod ponit Deus in theſauris abyſſos? Nāque congruentius dictum videretur, ſi contrà aſſumeret dicens: Ponens in abyſſis theſauros ſiquidem in ſpeluncis, & foſſis ſolēt abſcondi theſauri. Illud tamen difficile eſt intellectu. Quam dicis abyſſum? Ipſemet regius Propheta alibi ſe explicat in Pſalmo dicens, Dominum allocutus. Iudicia tua abyſſus multa. Hæc Dei iudicia *Pſal. 35.* quæ ſunt quaſi abyſſus multa, poſuit DEVS in receptaculo theſauri ſui. Dicito mihi, bone Deus: Nūquid hæc mundi machina dicetur the-

ſauri tui? Receptaculum ſiquidem bonis tuis plenum eſt. Vnde Dauid in Pſalmo inquit: Impleta eſt terra poſſeſſione tua. Igitur domus, tui theſauri dicetur? nequaquā dicetur. Namque equile regis plenum cùm ſit bonis regis, ob id tamen non dicitur domus theſauri Regis. Pretioſiſſimum Dei theſaurum ſecum ipſe geſtat Deus, & vbicunque Deus eſt, ibi & theſaurus eius eſt, & Deus cum ipſo: nā idem ſunt. Et ita cùm ait Pſalmiſta: Ponens in theſauris abyſſos: hoc ſibi vult, quod in ſe, & ſibi ſoli duntaxat ſua iudicia ſeruat: namque Dei iudicia in ipſo ſunt. Curnam paruulus dum naſcitur, ſtatim moritur, & ſenex centum & viginti annos vixit? vt hic Rex, ille verò ſeruus & humilis? Quamobrem antequam boni, aut mali quicquam egiſſent ait Dominus:

Malac.1 Iacob dilexi, & Eſau odio habui? Et tādem quod populus Iſraël modò in miſeram ſeruitutem ſit redactus, & oppreſſus? Quidnam reſpondebitur, niſi quia abdita nimis, & inſcrutabilia Dei

1.Cor.16 iudicia ſunt? Qui ſtat (ait Apoſtolus) videat ne cadat. Vnuſquiſque pertimeſcat, & ſuæ ſalutis rationem habeat: ſiquidem quis illum maneat exitus, prorſus ignorat, aut quò tendat, neſcit omnino. Haud tamen vllus glorietur ſe Deum offendiſſe, nec deinceps audeat illum offendere. Nam vbi peccamina vigent Dei aufertur charitas: & cum eis agetur, quod factum eſt cū populo Hebræorum, quem, quia Deum offendit, quamuis à ſanctiſſimis Abraham, Iſaac, & Iacob Patriarchis deſcendiſſet, cum Deus puniuit, & in miſeram ſeruitutem redegit, & in poteſtatem inimicorum tradidit eum. Igitur in tam miſerabili, & dura nimis ſeruitute poſiti, inſtar illius grauiſſimæ captiuitatis, quam patres ſui in die-

(Marginal note beside line 2: *Pſ. 103.*)

bus Pharaonis,& Moyſi recordari patriæ ſuæ,& illecebrarum, quibus enutriti fuêre, inſuper & priſtinæ libertatis,qua deambulauerant, prouoluti, & iuxta torrentem fluuiorum Babylonis proni iacentes, & lacrymis in maxillis eorum, cordibus ſuis in Deum locatis, & in templum Hieruſalem, & in domum Sion verbis ludentes amaris ſingultibus,& ſuſpiriis crebris adiunctis, pſallebant.

Super flumina Babylonis,illic ſedimus,& fleuimus,&c. Namq; ciuitas Babylon,& ei adiacẽtia loca obſeſſa quippe erant,& ornata maximis fluuiorum torrentibus peculiariter geminis, qui de paradiſo exeunt, nimirum Tigri, & Euphrate. Lamentabantur autem iuxta hæc flumina. Ibi namque conſpicuè, & oculatius typum ſuæ miſeræ ſeruitutis cernebant. Nam quemadmodum duo illa flumina, quæ à paradiſo voluptatis exibant,vtpotè dulcia, nimis cõmixta tamen cum aquis Babylonis amaris ſuũ priſtinum nomen amittebant, & confundebantur: Haud aliter illi conſiderabant quod populus Iſraeliticus, & domus Iacob, quæ ortum habuerat à ſanctiſſimis Abraham, Iſaac, & Iacob, Patriarchis, tamquam à quodam paradiſo, quæ Babylonem ingreſſa vtique confundebatur, & honorificum encomium Iſrael perdiderat, inuoluta idololatrarum Babylonis abominationibus, & amaritudinibus. Quæ omnia mente,& animo recolentes impulſi lacrymas fundebant oculis, quibus depictam ſuam duram nimis, & acerbam captiuitatem,&aduerſam fortunam cernebant. Quòd ſi hi omnes labores,breues forent, & citò tranſituri,tolerari vtiq; ea captiuitas poſſet, & aliqualiter moderamine, & æquanimitate ferri:ſed iſtã

Exod.1.

IN PSALMVM CENTESIMVM TRIGESIMVM SEXTVM.

CONCIO I.

Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus: dum recordaremur tui Sion.

HIC Pſalmus inſcriptionem nō habet: & ita nonnulli animo hęrent, & dubitant, variáque nimis ſentire videntur, dum eius ſignant authorem. Putant enim fuiſſe conſtructum à quibuſdã Hebræis, vtpotè ſpiritualibus, & deuotis viris per modum cantilenæ, & lamentabilis carminis luſum: in quo exprimunt intimum cordis dolorem, ſimul & afflictionem, quam in acerba & dura nimis captiuitate Babylonis habuēre. Alij ſentire videntur, hunc Pſalmum fuiſſe compoſitum ab illo clariſſimo & egregio populi Hebraici duce Eſdra in exitu, & regreſſu Babylonicæ captiuitatis. Alij credunt eius authorem, regium Dauid fuiſſe. Et hi quidem veritati magis videntur appropinquare: & ſecundùm hoc in nonnullis ſacris Biblijs habet huiuſmodi titulum inſcriptum: Pſalmus Dauid, propter Hieremiam. Habet namque quandam congruentiam cum illa miſera lamentatione, quam Hieremias imo cordis tactus dolore, amarè flens diram populi ſui captiuitatem, & Babylonis ergaſtu-

gaſtulum, lacrymis, & ſingultibus faciebat: de cuius etiam captiuitate in hoc pſalmo agitur, & ſanè videtur quaſi quoddam compendium, & finis Lamentationum Hieremiæ. Quomodo ſedet ſola ciuitas, plena populo facta eſt quaſi vidua, domina gentium, &c. Et illius deprecationis quam fecit: Recordare, Domine, quid acciderit nobis, &c. Diuus Hieronymus in præfatione in Abdiam Prophetam, huic alludit ſententiæ: & etiam D. Auguſtinus, qui in libro decimo ſeptimo de ciuitate Dei, quarto decimo capitulo, & in Pſalmo nono, huic connectitur opinioni, nimirum omnium Pſalmorum authorem fuiſſe Dauid. Cui alludunt D. Ambroſ. D. Hilarius, Origenes, Theophylactus, Euthymius, Caſſiodorus: quæ & probabilior, atque communior eſt opinio. Et Diuus Auguſtinus loco citato inquit: Quod quemadmodum ſolus Chriſtus habuit clauem Dauid, vt nimium abdita myſteria, & Pſalmorum arcana reſeraret, & luculēter enodaret: ſic ſolus Dauid habuit Dei ſpiritum in pſalmis conſtruendis & ludendis. Multi enim hoc adire munus tentauerunt: ſed nullus adhuc eius gratiam & leporem pſallendi obtinuit, nec ſatis longè peruenit. Quòd ſi obiiciatis mihi, vti fas ſit, quod regius Dauid fuerit eius autor, in quo agitur de miſerabili captiuitate filiorum Iſraël in Babylone, per ſpatium, & curſum annorum ſeptuaginta, quæ quidem captiuitas multos poſt dies Dauid facta eſt. Hæc quæſtio difficilem haberet exitum, niſi Dauid Prophetam eſſe vtique crederemus. Non autem mirum debet eſſe, quod tam ſplendidè, & luculenter ventura prædixerit nobis, cùm ipſe egregius, & peculiaris, inſigniſque Propheta extiterit. Quòd ſi mihi nō cre-

Thrē. 1.

Thrē. 5.

2. Reg. 23. ditis, audite quid de ipſo ſcribatur. Hęc ſunt verba nouiſſima, quæ dixit Dauid filius Iſai. Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius pſaltes Iſrael: Spiritus Domini locutus eſt per me: & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum: iuſtus dominator in timore Dei. Sicut lux auroræ Oriente Sole manè abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuiis germinat herba de terra. Primũ quod aſſumpſit, eſt, quòd eſt Propheta: Inſuper & egregius. Dixit vir egregius pſaltes Iſrael. Egregius enim ſignificat, quaſi ſingularis, & extra aliorum gregem. Secundum aſſumptum eſt, quòd ferè omnia, quæ concinit in pſalmis, Chriſto & gloriæ eius ſunt aptanda. Dixit, vir cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob. Tertium quidem aſſumptum eſt, quod pſalmorum ſcriptura à Deo fuit reuelata, & authentica. Qui ſpiritus Domini locutus eſt per me: & ſermo eius per linguam meam. Quartum aſſumptum dicit: Quod egregius pſaltes manifeſtius, & amplius ventura prædixit ſiue ad Chriſtum Dominum, Eccleſiæue, ſeu ad populi Chriſtiani ſucceſſum, aut ad populi Iſraël euentus pertinet, quia dicit: Sicut lux auroræ Oriente Sole. Et ſic non mirum debet eſſe, quòd euidenter, & nimis perſpicuè Babylonicam populo euenturam captiuitatem prædicaret. Namque regius noſter Dauid tantus, tãque inſignis propheta extitit, non ſecus ac ille, de quo habetur tertio Regum, quod prophetauit coram Ierohoam nequiſſimo principe, & idololatra bonum, quod Iſraëli foret euenturum per ſucceſſum cuiuſdam regis, quẽ & proprio nomine nuncupa-
3. Reg. 13. uit, dicens: Altare, altare, hæc dicit Dominus.

Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt; & oſſa hominum ſuper te incendet. Quòd factum eſt, quādo Ioſias deſtruxit altare hoc, quod erat in Bethel, & excelſum quod fecerat Ieroboam: quia peccare fecerat Iſraël: vt quarti Regum enarrat hiſtoria. Et ab hac prophetia quouſque adimpleta eſt, bis centum annorū tranſiit. Eſaias quoque Cyri Regi nomen prophetauit, qui nimirum fuit, qui captiuitatem hanc reduxit, ac populum Iſraël in priſtinam libertatem reſtituit: quæ prophetia priuſquā adimpleretur, bis centum ſimiliter annorum pertranſiit. Modò quid mirum quòd Regius Pſaltes hanc duram captiuitatem prædiceret, ſiquidem prophetes propterea dicitur, quod euentura nobis nunciet, & prophetet? Hæc inquam, captiuitas, de qua Pſaltes noſter pertractat in hoc pſalmo, ſucceſſum habuit in diebus Ieremiæ prophetæ, regnante Sedechia in Iſrael, viro quidem parum deuoto, nec virtuti propenſo. Et quo pergit caput, eo tendunt & pedes. Qualis enim dux eſt, tales & milites eius: & qualis Rex, tales domeſtici eius: Et, vt ſcriptura ait: Qualis rector populi, tales inhabitantes in eo. Cùm ergo rex Sedechias improbus extitiſſet: ſui quoque eum imitabantur. Cernens autem Deus præuaricationem, & ſcelera huius principis, & ſuorum verſutiam, impulſus eſt hac tetra, & dura nimis captiuitate eos punire, & in ſeruitutem redigeret. Nam inter ea quibus in populum ſuum animaduertens minabatur Dominus, ni obſeruarent eius præcepta, & legis indita cuſtodirent, hoc vnum erat & quidem acerbiſſimum, eos nimirum tradere in iet-

4. Reg. 23.

Eſaia 45.

Eccl. 10.

ſuitutem alienarum gentium, & in ſuorum inimicorum poteſtatem: derelinquentes patrias ſuas, deſerentes receptacula, eorúmque vrbes diſſipandas, & à ſuis hoſtibus euertendas. Vnde

Deut. 28. in Deuteronomio habetur. Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem Aquilæ volantis cum impetu: gentem procaciſſimam, quę non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli, &c. Hoc modo omnino contigit in hac miſera captiuita-

Iere. 32. te, vt refert Ieremias: Ecce ego tradam ciuitatē iſtam in manibus Chaldæorum, & in manibus regis Babylonis, & capient eam: & venient Chaldæi præliantes aduerſus vrbem hanc, & ſuccendent eam igne propter malitiam filiorum Iſraël, & filiorum Iuda, &c.

Aduertite tamen, quod plerumque contingit, & Deus permittit, vt nobis mala eueniant, & plagis, & languoribus nos afficit, & punit, non ratione culpæ, nec reſpectu criminis, ſed vt ma-

Ioan. 9. nifeſtetur gloria Dei, & ipſe in nobis glorifice-

Dan. 3. tur, vt patet de cæco à natiuitate. Qui etiam voluit vt tres illi pueri ſancti Anania, Azarias, Miſaël, traherentur in Babylonem captiui: nō propter eorum delicta, ſed vt gloria Domini in ipſis manifeſtaretur: quam oſtenderunt cùm præceptum fuit eis à Nabuchodonoſor, vt ſtatuam colerent, cui dixerunt: Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis: & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quos cùm eriperet, & incolumes in medio æſtuantis incendij ſeruaret, ludentes pſalmis glorificabant Deum. Inſuper Deus non doloribus, & fla-

2. Cor. 12 gellis ſolet afficere, vt ipſe præueniat culpæ. Vnde Paulus. Nę magnitudo reuelationum extollat

me, datus eſt mihi Angelus Satanæ, &c. Quas etiam tribulationes, & anguſtias nobis accidere Deus permittit, vt probet nos, nunquid impulſibus, & tentationibus ſuccumbamus. Vnde Angelus Raphael dixit Tobiæ: Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te. Proinde regius Pſaltes alloquitur Dominum dicens: Proba me Deus & tēta me, vre renes meos, & cór meum. Ad hæc permittit Deus vt mala, & infortunia nobis eueniāt, vt virtus iuſti manifeſtetur, & ab omnibus cognoſcatur. Sic legimus factum cum Abraham Patriarcha, probās eū, dum ſuum vnigenitum Iſaac vt immolaret, præcepit illi. Patiētiſſimum quoque Iob tot laboribus, ærumnis, & vlcere peſſimo afflixit, & tentauit. Eademque nobis accidiſſe vult piiſſimus Deus, vt ſuæ perennis gloriæ augmentum, & incrementum gratiæ nobis ſuperueniat, vt cernimus in Apoſtolo qui dicit: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Hoc ita quamuis ſit quòd plerunque hiſce, & ſimilibus ærumnis ſuos viſitat, & pro aliis ſibi occultis iudiciis: nunquam tamen regnum aliquod Deus euertit, aut populum quendam in ſeruitutem redigit, & captiuitatem, quàm pro ſceleribus & nefandis criminibus. Proinde ſcriptura ait: Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Cùm in diebus Noë Deus euertit, & diſſipauit vniuerſum, nōne pro ſceleribus hominū. Vnde ſacra ſcriptura inquit: Videns Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, &c. Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ. Et antequam plueret

Tob.12. *Pſal.26.* *Geneſ. 22.* *Iob.1.* *2.Cor. 12.* *Eccl.10.* *Geneſ. 16.*

Dominus ſulphur,& ignem ſuper Sodomam, &
Gene. 18 Gomorrham, dixit Abrahæ. Clamor Sodomorum,& Gomorrhæorum multiplicatus eſt,quod peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Non ſecus in ciuitate Niniue fecit,quam voluit diſſipare, quin prius oſtenderet quod propter ſcelera eorum foret euertenda:ob idque dixit Dominus Ionæ:Surge &vade in Niniuem ciuitatem grandem,& prædica in ea:quia aſcendit malitia eius coram me. Et prædictum eſſet:Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. Igitur propter ſcelera deſtruit ciuitates Deus:& eius habitatores in ſeruitutem redigit: Atque etiam ciuitatem Hieruſalem voluit Deus euertere, per manus Regis Babylonis,&Chaldæorum:vt filij Iſrael in miſeram captiuitatem traherentur. Bonum quidem nobis erit in alieno capite exemplum ſumere. Namque res noſtra agitur, paries cùm proximus ardet. Formidemus ergo Dei iudicia, & fugiamus peccatum: ne nobis eueniat
Rom. 15. quod Hebreis accidit:quos rigidè Deus puniuit. Nã vt Apoſtolus ait:Omnia quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Voluit enim Deus vt hoc exemplum ſcriberetur, vt attenderemus, & vitæ correctionem adhiberemus, & eius abdita, & minantia horreamus iudicia, & piè viuamus. Cùm Deus occidit ducentos illos,
Num. 6. & quinquaginta viros incẽſum offerentes, tunc locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron ſacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, producátque ea in laminas & affigat altari. Tulit ergo Eleazar ſacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi, quos incendium deuorauit: & produxit ea in laminas affigens altari: vt haberent poſteà ſi-

lij Iſrael, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron ad offerendum incenſum Domino, ne patiatur ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio eius. Ex hac hiſtoria planè cõſtat, quod Deus vult vt ſua minitantia horreamus ſupplicia, & præ oculis ſemper habeamus quæ aliis euenerunt mala, vt piè, ſobriè, & ſecundum rationem viuamus, ne fortè quod aliis accidit, in nobis exerceatur.

Ad hæc, quæ Deus fecit erga populum ſuum terribilia Dei iudicia prouidè fugiamus. Nec eius duntaxat ſupplicia nos terreant, ſed & mirabilia nimis & abſcondita perterreant iudicia. Aſpice populum Iſrael, populum dilectum, & illecebris educatum, in ſublimi throno munificentiæ Dei exaltatum. Et captiuum illum, plorantem, & in ſeruitutem miſeram redactum, ſub pedibúſque Chaldæorum, idololatrarum, & barbaricæ prolis: & quomodo facta eſt ſub tributo domina gentium? Sunt etenim terribilia Dei iudicia, quæ horrere oportet. Vnde regius Dauid in Pſalmo ait: Cõgregans ſicut in vtre aquas maris, & ponens in theſauris abyſſos. Quid ſibi vult, quod ponit Deus in theſauris abyſſos? Nã- *Pſal.32.*
que congruentius dictum videretur, ſi contrà aſſumeret dicens: Ponens in abyſſis theſauros ſiquidem in ſpeluncis, & foſſis ſolẽt abſcondi theſauri. Illud tamen difficile eſt intellectu. Quam dicis abyſſum? Ipſemet regius Propheta alibi ſe explicat in Pſalmo dicens, Dominum allocutus. Iudicia tua abyſſus multa. Hæc Dei iudicia *Pſal.35.*
quæ ſunt quaſi abyſſus multa, poſuit DEVS in receptaculo theſauri ſui. Dicito mihi, bone Deus: Nũquid hæc mundi machina dicetur the-

bus Pharaonis,& Moyſi recordari patriæ ſuæ,& illecebrarum, quibus enutriti fuêre, inſuper & priſtinæ libertatis,qua deambulauerant, prouoluti, & iuxta torrentem fluuiorum Babylonis proni iacentes, & lacrymis in maxillis eorum, cordibus ſuis in Deum locatis, & in templum Hieruſalem, & in domum Sion verbis ludentes amaris ſingultibus,& ſuſpiriis crebris adiunctis, pſallebant.

Super flumina Babylonis,illic ſedimus,& fleuimus,&c. Namq; ciuitas Babylon,& ei adiacētia loca obſeſſa quippe erant,& ornata maximis fluuiorum torrentibus peculiariter geminis, qui de paradiſo exeunt, nimirum Tigri, & Euphrate. Lamentabantur autem iuxta hæc flumina. Ibi namque conſpicuè, & oculatius typum ſuæ miſeræ ſeruitutis cernebant. Nam quemadmodum duo illa flumina, quæ à paradiſo voluptatis exibant,vtpotè dulcia, nimis cōmixta tamen cum aquis Babylonis amaris ſuū priſtinum nomen amittebant, & confundebantur: Haud aliter illi conſiderabant quod populus Iſraeliticus, & domus Iacob, quæ ortum habuerat à ſanctiſſimis Abraham, Iſaac, & Iacob, Patriarchis, tamquam à quodam paradiſo, quæ Babylonem ingreſſa vtique confundebatur, & honorificum encomium Iſrael perdiderat, inuoluta idololatrarum Babylonis abominationibus, & amaritudinibus. Quæ omnia mente,& animo recolentes impulſi lacrymas fundebant oculis; quibus depictam ſuam duram nimis, & acerbam captiuitatem,&aduerſam fortunam cernebant. Quòd ſi hi omnes labores,breues forent, & citò tranſituri,tolerari vtiq; ea captiuitas poſſet, & aliqualiter moderamine, & æquanimitate ferri:ſed iſtā Exod.1.

eò miſeram captiuitatem prolongari videntes, nec ſuæ priſtinæ libertatis negotium tractari, hoc ipſum eos magis ac magis augebat. Cuius quidē rei ſtatum cernentes, & ſe ipſos non tāquam viatores, & peregrinos, ſed potius quaſi colonos, & diu permanſuros, conſiderantes (non enim ſtantes, quaſi ille, qui pertranſiuit) veruntamen ſedētes, & ibi permanentes dicebant:

Super flumina Babylonis: illic ſedimus, & fleuimus, &c.

Modò videre licet vti in hac patria nimis fœcunda, duobus egregiis obſeſſa fluminibus, illecebris, & vbertatibus plena Babylonis ciuitatem magnam colebant, gens perfida, voluptuoſa, abominationibus, & idolis ſeruiens. Mirabile quidem eſt, vti maximus Deus hæc temporalia, & caduca propè ſemper iniquis, & ſceleſtis nimirum impertit: parcè autem, & ſtrictè probis, piéque viuentibus erogat: & ſecundum modicam menſuram ſuggerit, & illud abiectius. Sodomitis, & Gomorrhæis dedit Dominus terram nimis fertilem, & adeò virentem, & vbertate ſcatentem, vt ſcriptura comparet eam paradi-
Geneſ. 13. ſo voluptatis: Eleuatiſque Loth oculis, videns omnem circa Regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam ſubuerteret Dominus Sodomā, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini: At populo ſuo daturus habitationem, & terram, quā colant, montibus ſeptam, campeſtrem, fluminum indigam, & aqua deſertā tradit. Vndè Dominus: Terra, ad quam ingredieris poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, de qua exiſti vbi
Deut. 11. iacto ſemine, in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ: ſed mōtuoſa eſt, & campeſtris è cœlo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus

ſemper inuiſit. Non inuideatis, ô Chriſtiani, his, qui in hoc ſæculo fœlicem terram colunt, nec eis, quos Deus huius ſæculi prædia abundè ſuggeſſit, & Babylonicis fluminibus oblectat: nā cùm hi nequam ſint, & nefarij homines, malum ſignum quippe eſt bonis eos ſatiari terrenis, & opulenter ditari. Et proinde in venturo ſæculo dira eos manent ſupplicia. Regius ille Pſaltes aliqualiter moleſtè, grauiterque tulit, & ſe afflixit, videns fœlices peccatorum euentus in obtinendis huius ſæculi opibus: inſuper & iuſtorum afflictionem, & miſeram ſeruitutem. Quam bonus Iſrael Deus. Pedes mei penè moti ſunt, pacem peccatorum videns. Pacem, id eſt, quod ad libitum & ſecundum animi deſiderium omnia illis eueniunt. Nihil omninò eos moleſtat, non paupertas, infamia, non ægritudo, non dolor, non triſtitia, &c. Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias. Et alibi peculiariter, & quadam ſerie eorum proſperitatem enarrat: Quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circum ornatæ ad ſimilitudinem templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ abundātes in gregibus ſuis. Non eſt ruina maceriæ, neque trāſitus, neq; clamor in plateis eorū. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Quibus tamen non inuidere licet, namque mercedem in hoc ſæculo Deus reddit eis, vt ab eis beatitudinem tollat. D. Auguſtinus in Pſal. 72. in illum verſiculum: In labore hominū non ſunt, inquit, quod mali ſunt quaſi iuuēci, & boues paſcentes virentia prata, & ad libitum, vndique errantes: & laute ventri indulgentes, vt ſic impinguati, in locum occiſionis tripudian-

Pſal. 17.

Pſalm. 143.

tes, & inuicem ludentes ducantur. Sic tu in voluptatibus enutritus, impinguatus, & dilatatus, lætus, & incraſſatus: pergis in Infernum: ad hoc enim tam lautè, & opiparè viuis. Vnde Pſalmographus ait: Vidi impium ſuperexaltatum, &c. Namque ſi peccator certus eſſet, bona, quæ illi Deus ſuggeſsit, præmium ſuæ vitæ futura, aut alicuius boni operis ſtipendium, nec deinceps aliam beatitudinem ſe adepturum, vtique medius creparet, videns ſe priuatum tam egregio tãque mirifico fine, ad quem fuit creatus, pro vtiliſsimo, & abiecto huius ſæculi ſtipendio. Non illis inuideatis, nec corũ Babylonis flumina appetatis, vel eorum fœlicitates, aut nimium ſecundos cuẽtus. Ipſi viderint. Tandem flumina ſunt, quæ continuo fluunt, nec bona ſunt ſtabilia, aut firma, ſed potius caduca & inania. Diuus Auguſtinus ſuper Pſalmum: Flumina Babylonis (inquit) ſunt omnia, quæ hic amantur, & tranſeunt, quia tranſit mundus, & cõcupiſcentia eius. Cùm diu permanent, hoc eſt, ad obitum vſque poſsidentis, eodémque deficiente, omnia deficiunt, & ruunt: Ita Deus per Eſaiam: Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ſicut flos agri. Exiccatum eſt fœnum, &c. Percontamini principes, & huius ſæculi primates vbinam ſua regna ſunt? Vbi pulchritudo? quonã Salomonis diuitiæ, & eius voluptates, quantum permãſerunt quærite? Et Cæſaris Auguſti imperium quantum viguit? Inſuper & Tiberij, Commodi, & Heliogabali execranda vitia durauerunt; Erant quippe hæc omnia Babylonis flumina, quæ ſunt in cõtinuo fluxu & motu. Ideo amici Dei quorum animus, & fœlicitas non in fluminibus Babylonis ſita eſt, ſed in ciuitate Hie-

ruſalem , modò ſuper flumina Babylonis ſunt. Non in medio eorum, nec in profundo ſubmerſi, vt Auguſtinus ait, ſed ſuper flumina. Nam qui in medio fluminis iacet, aut ſubtus flumine vrinatur, ſuæ ſalutis iacturam patitur: at qui ſuper flumina iacet, incolumnis ſanè eſt. Fluebāt aquæ Babylonis per profundiſsimas conualles, & in ſummo illius excelſæ rupis iacebant: filij Iſraël conſiderantes vti fluebant, & laberentur aquæ: quibus non ita magna fluentia videbantur, cùm in ſummo vertice montis ſederent. Locus enim excelſus eſt in cauſa, vt quod magnum eſt, paruum & humile videatur, vt experientia liquet. Si cacumina excelſæ turris petas, videbitur tibi & cenſebis hominem, quaſi formicam, & arborem, arundinem eſſe iudicabis. Ita his, qui infixi ſunt & in medio fluctuum bonorum huius ſæculi conſtituti, magnum quid eis videtur, & quaſi quędam beatitudo hæc terrena cēſent. Ceterùm quibus illis prædominantur, & ſuperſunt, tamquam nihilum reputantur omnia. Dei Apoſtolus, cuius conuerſatio in cælis erat, in excelſum elatus dicebat: Omnia arbitratus ſum vt ſtercora: & Pſaltes Dauid: Filij hominum vſquequo grauí corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendaciū? Fallunt quippe eadem poſsidentes, quę promittentes ſatietatem, requiem, & perenne gaudium, non ſuggerunt. Quare quæ ſurſum ſunt, non quæritis, & nō quæ ſuper terram? Vt quid diligitis vanitatem? Numquid bonum ex vanitate expectatis? Quis ex tenebris lumen trahet? & aurum à nubibus petet, aut vitam ex morte? Nō autem ex Sole lumen, ex cauernis aurum, ſiue à Deo vitā exhauriet? Et quæritis mendacium. Mendax eſt arbor, quæ gratum fructum

Phil.3. Pſal.4. Colo.3

datura,ſolum folia germinat. Mendax eſt ficulnea,aut vinea , quæ pro fructibus, tribulos germinat. Mendax eſt iaculator qui collimare ſemper ſe autumans, longè errat,nec ſcopum attingit: Sic ſe habent huius ſæculi prædia & cuncta eius bona. Igitur ſuper flumina ſtare debemus, omnibus terrigenis prædominantes rebus. Omnibus tam bonis,quàm honoribus, ſeu valetudini prædominantes. Nam cum in quolibet horum offendimus Deum, flumina tunc nobis ſuperſunt. Non ſic ſed ſuper flumina , vti omnia corruunt,pereunt,& in continuo fluxu ſunt, cōſiderantes. Animaduertendum tamen eſt, quod non dicit,quod illi conſiderabāt flumina, quamuis ſuper ipſa erant:nam fortè periclitabantur vt exinde ruere poſſent. Namque in loco excelſo cùm eſſent , & ſupra rupem ſedentes, ſi crebro verſus flumina aſpicerent, euaneſcerent quidem & inde præcipitarentur. Quandoque tamen cōſiderabant,& forſan non poterant præ lacrymis, quæ ab oculis fluebant, & quaſi riuuli emanabant. Periculoſum quippe eſt in hæc lutulenta prædia oculos figere : niſi lacrymis,& ſingultibus videantur. Nauigantibus per mare,in quo fertur Sirenas vagari,ne forſan earum dulciſſimæ vocis harmonia audiatur (fieri namque poſſet vt illi abſorpti , & ſoporati in mare præcipitarentur) hoc duntaxat remedij reliquum eſt eis aures obturare , adeò vt nihil prorſus percipiant ſuauiſſimi cantus. Qui aliquid ſi audierint, illud ſit in confuſo, nec dulci ad modum Sirenarum reſonet harmonia. Sic vos,ne profundiſſima Babylonis flumina auidè aut ſerio occultetis nimis:ſeducent enim vos , & ſic dilapſi in profundum Tartari ducemini, & traducti præcipi-

tamini. Ideo admonet Salomon : Ne intuearis *Pro. 27.*
vinum, quando flaueſcit, & cùm ſplenduerit color eius in vitro. Ingreditur blandè, ſed in nouiſsimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Quod ſapiens hic dixit: Ne intuearis: Regius Pſaltes, de bonis, & terrenis diuitiis ſubiunxit dicens. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. *Pſal. 6.* Ne fortè ſubdolus ille & fucatus voluptatis color vos fallat. Namque ſi eadem te affectare demonſtres, prorſus euerteris. Vnde Paulus: Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum, & in tentationem Diaboli. *1. Tim. 6* Nunquid opes deſiderare, eſt in laqueum hoſtis incidere? Igitur omnes ſunt labefactati? Non vtique quilibet aſpectus ſufficit, vt euaneſcat caput & in fluminibus Babylonis præcipiteris: ſed quædam quaſi aſsidua & fixa ſpectatio, crebra & quaſi abſorpta ſpeculatio. Ideo Propheta: Nolite cor apponere. Quędam expectatio, quæ rationis fines non tranſcendat, nec legis pręcepta, non quidem ſubmergit hominem, nec in manus incidit hoſtis: ſed quidam firmus horum bonorum effręnis & immoderatus affectus, & quaſi quoddam centrum, & animæ noſtrę beatitudo forent, hæc appetere, hoc valde nociuum, & tetrum eſt: Diues ille qui decidentia de menſa Lazaro mendico negauit, in Inferno ſepultus iacet. *Luc. 16* O Babylonis flumina, aſpectu quãuis grata, & amœna, nociua tamen viſui! O flumina, affectui quãuis iucũda, ipſi tamen periculoſa! Quot in vobis, quãtique perierunt? O flumina, quãtis cordis affectum abſtuliſtis? vtpotè fingẽtes quod eſſet in vobis vera amœnitas, vera pulchritudo, requies non ficta, aura ſalubris, vmbroſa nemorum loca, vanitas, & reliqua. Hęc omnia poſt.

quam conſecuta fuerint quid inde? Dolor, confuſio, pœnitudo, mœſtitia & fletus emanant. Vnde Paulus: Quem fructum habuiſtis ex his, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorũ mors eſt. Nam quid regiũ Dauid labefactauit, & funditus euertit, & lachrymis & ſuſpiriis Pſalmo illo ludere fecit: Miſerere mei Deus? Quidnam: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: & lacrymis meis ſtratum meum rigabo; vt diceret; Quidnam: Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei: vt cantaret? Quidnam: Tota die contriſtatus ingrediebar: vt promeret: Quidnam: Miſerere mei, quoniam infirmus ſum, ſana animam meam, quia peccaui tibi: vt laudaret: Quidnam huius rei in cauſa fuit, quàm quædam flumina, quæ oculatius inſpexit, quàm par erat & in ipſis quandã vidit figuram, quæ ſi ſpecioſa, attamen vana, pernicioſa, & valde nociua? Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Dum conſiderauit Berſabee, mox corruit, & inundatus eſt. Quid quodnam Euã à ſuo fœliciſsimo vt rueret ſtatu fecit? auidus mali aſpectus. Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrũ oculis, aſpectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. Vtique euentũ ſi conſideraſſet, non pulchrũ illi videretur. Quæ fœminæ pulchritudo, quàm optima diſpoſitio, & mira ſpecies? ait inſanus. Væ tibi delire, qui extra ſolùm conſideras: dulcedinem & fucatum aſpicis colorem, ſucceſſum verò mortem, & calamitatem, non conſideras. Babylonis flumina ſecundùm exteram ſimilitudinem ſolum conſpicis, eius nempe riuulos ſuſurrantibus labentes aquis, amœna quippe loca, & ridentia prata vndique nemoribus ſepta, variiſque

Rom. 6. *Pſal. 50.* *Pſal. 6.* *Pſal. 37* *Pſalm. 40.* *2. Reg. 11* *Prouer. 31.* *Geneſ. 3.*

que vallata arboribus, vlmis, & nidificantium in eis auium cantus: non tamen eius pericula, nimiam profunditatem, captioſas eiuſdem foueas, naufragia, & varias fluctuationes. Hæc tamen peccatoribus relinquite: quibus duntaxat ſunt contēti. Noc verò haud oculos noſtros in Babylonis fluminibus locemus: ſed potius in Sion transferamus: & mente euoluamus illam ciuitatem Sion, & illum gratiæ ſtatum, quem amiſimus, & acerbam nimis duramque Babylonis captiuitatem plangamus, & miſeram hoſtis ſeruitatem, & infœlicem noxæ doleamus ſtatum, noſtramque ſortem ploremus, atque vicem: recordantes Sion. Præceperat Deus ſibi turturem offerri, & inter cæteros, quibus offerebatur, ritus, vnus quippe erat, vt collum eius torqueretur, ita vt caput eius tergum verſus reſpiceret. Ita quidem vt nos faciamus vult ipſe Deus. Quod tergum verſus reſpiciamus, & vitę, quam amiſimus olim propter peccatum, recordemur, & ciuitatem Hieruſalem aſpiciamus. Inſuper & miſeram ſeruitutem, & hoſtis captiuitatem conſideremus. Hoc ipſum Deus poſcebat alloquens Epheſi ciuitatis Epiſcopum. Habeo aduerſum te pauca: eo quod charitatem primam dereliquiſti. Memor eſto vnde excideris, & prima opera fac. Hoc ipſum fecit prodigus filius, & parentis ſui priſtinam domum mente reuoluens, & animo ſimul, & lautam vitam, & quibus enutriebatur dapibus, recordatus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei ſunt? &c. Sic dixit Ezechias rex: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Sic & nos recordemur illius Hieruſalem, quam perdidimus, ac de miſera ſeruitute Babylonis, & confuſionem peccatorum, in qui-

Leuit. 1
Apoc. 2.
Luc. 15.
Eſaia.

bus prouoluti ſumus, plangamus: omnémque adhibeamus operam, vt in illam priſtinam libertatem redeamus, amarè crimina noſtra, velut iſti flentes: & veram compunctionem, & dolorem habeamus, vt illa perennia gaudia obtineamus. Amen.

CONCIO II.

In ſalicibus, in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.

DVM probus ac magnanimus quiſque miles per longum temporis curſum in rebus militaribus ſe exercuit, fortiter, ac viriliter pugnando: interim dum exoſa ſenectus accedit, poſt innumeros caſus, varioſq; militiæ euẽtus, ferè eneruatus viribus, & propemodũ truncatis manibus & omninò debilis, atque ad hoc militiæ munus exercendum inhabilis, arma figit domi, iam valedicens eis. Hoc ipſum fortem illum Antenorem feciſſe legimus, de quo Virgilius primo Æneidos:

Hic tamen ille vrbem Pataui, ſedeſq; locauit
Teucrorum: & genti nomen dedit armaque fixit
Troja: nunc placida compoſtus pace quieſcit.

Poſtquam Antenor ille Patauij condidit vrbem, atque ſedes Troianis dedit, iam pene defeſſus, & aſſiduo militiæ labore conſternatus, ſua fixit & arma. Aut verò quaſi quædam ſpecioſa fœmina, quæ dum iuuenilis permiſerat ætas, coniugalis ſedes conceſſerat, varietatibus induta, & monilibus ornata incedebat. Verùm cùm moleſta, ac inimica ſenect⁹ adeſt, eiuſque pulchritudinem tollit, aut fortè coniuge orbata re-

manſit: tunc omnibus ſe expoliat ſericis veſtibus,monilibuſque exuit, & in thecis reponit,& quaſi eorum iam ſemper oblita, mox ſempiternum vale eis dicit. Nō ſecus filij Iſrael in atram Babylonis ſeruitutem redacti: poſtquam in ſua patria in templo Dei cecinêre dulciter hymnos in lætitia,iucunditate,&exultatione, nunc verò oppreſſi,& miſeram captiuitatem ducentes,vbi nec tempus, nec dura ſeruitus lætitiæ ſuggerit tempus,vt ſuæ calamitatis,& mœſtitiæ dolorem oſtendant,nunc muſices inſtrumenta,ſiue organa quæ à patria ſua petierant, vt nonnihil tam acerbæ ſeruitutis, & doloris ſubleuarent, atque anxietatem coercerent,& pauxillum mœſtitiam ſedarent,ſalicibus affixêre. Verùm ipſi cùm cernerent ſuam triſtitiam in dies augeri, propterea quòd Babylonij eos in ſtrictiorem ſeruitutem ſubiugaſſent,quibus (vt aiunt) vt caput ſcalperent,aut prorſus reſpirarent,nec tempus concedebant, nedum vt organa temperarent, & fidibus canerent, ipſi velut qui omnem iucunditatem,&ſolatium excutit,&prorſus deuiat à ſe, & quaſi qui vltimum vale ſuis delicijs, atq; illecebris,dicit,ſalicibus ſua organa,citharas, & pſalteria,ſimul & lætitiam figunt. Ideo Ieremias in ſua preccatione dixit: Defecit gaudiū cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter. En vltimus gaudiorum, & huius ſæculi deliciarum finis,&eorum, quæ illicitè poſſidentur,meta. Ea quippe ſunt,dolor, & acerbitas nimia. Extrema gaudij luctus occupat. Aeque Deus captiuatum punit peccatorem, dum prorſus omni gaudio & lætitia eum priuat:&quæ natura ſua iucunditatem afferre videntur,illi non afferant, nec nati, nec vxor, nec ſocij, aut amici, nec res fami- *Prou.* 3.

liaris, aut organa prorſus eum iucundeat. Omnis quidem mœſtitia adiacet peccato. Nam quẽdam ſuæ deprauatæ conſcientiæ tortorem illis Deus dat, nec prorſus aliquod iucunditatis veſtigium: ſed quod tympana, pſalteria atque organa fixa habeant, illis reliquum eſt. Omnis denique lætitiæ ſpe dimiſſa, vitam miſeram degentes, inſtar peregrinantium, & eorum qui velut noctuæ atram diligunt noctem, noctuq; incedunt, iudicis fugientes atque horrentes aſpectum. Vt iſte iniquitatis oſtendatur effectus, & noxæ, quã peperit, fragilitatem ſignificemus. Poſtquam ille impius Caim odio cœpit habere fratrem ſuum Abel, quædam illum mœſtitia grauior ipſa nocte circumdedit, & magis atra obſedit illum: quam
Gene. 4. probè Deus conſpiciens, dixit ei: Quare concidit facies tua? mox, cùm homicidij noxam contraxit, ſtatim debitam criminis pœnam indidit illi, atque adiecit: & ſic miſer ille locutus eſt, dicens: Ecce proijcis me à facie tua, adſcondar, & ero vagus, & profugus ſuper terram. Omnis qui inuenerit me, occidet me. Huiuſmodique lætitia poterit peccatori eſſe? Egregiè Salomon & propè diuinè nobis depinxit, quàm ſint aliena, ea-
Sap. 7. demqúe fixa habeat peccator, vtpotè iucunditatem, & lætitiam, & longè diſtant ab eis, quæ huiuſmodi afferre videntur. Siue ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo, deficientes faciebant illos præ timore. Hæc omnia loco iucunditatis pariunt dolorem & ſempiternam mœſtitiam. Sic

iſti miſeri captiui fidibus & organis luſuri vt dolorem ſuum ſedarent, hæc omnia ſuſpendunt, & figunt ſalicibus. Omnis quippe lætitia captiuis interdicta eſt, his, qui in duram Babylonis captiuitatem ſunt abducti, & abalienati ab vrbe Sion. *Tob. 5.* Cùm Raphael Angelus Tobiam ſalutaſſet, dicẽs: Gaudium tibi ſit ſemper. Ille reſpondit: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video? Dum anima noſtra profuga ab illa ſuprema Hieruſalem abeſt, quæ eſt paradiſi gloria in tenebris & in vmbra mortis ſedens quale gaudium, quæ iucunditas illi poterit eſſe? Vbi namque ille ſplendor, ille Sol iuſtitiæ non adeſt, quid reliquum eſt, quàm quòd tenebræ horror, triſtitia occupet, & calamitas? Nam ſicut omnium bonorum maximum eſt, Deũ habere: ſic & malorum, Deo carere, & in peccati captiuitatem redactum eſſe, maximum eſt. Ille nequiſſimus Michas plorabat: à quo cùm milites quidam de tribu Dan, cur ploraret, quidve ipſe vellet, inquirerent, ille reſpondit: Deos meos, *Iud. 18.* quos mihi feci, tuliſtis: & dicitis, quid tibi eſt? Quanto magis plorare debet, ac dolere anima noſtra ſuo ſponſo videns ſe orbatam? Noli lætari Iſrael, noli exultare, ſicut populi: qui fornica- *Oſea. 9.* tus es à Deo tuo: ait Dominus per Oſeam. Nam ſicut fœmina viro orbata, quæ vidua & omni viri præſidio deſtituta cũ ſit, omnes aduerſus eam inſurgunt: ita contra animam noſtram, cùm à Deo deſerta, & prorſus relicta eſt, omnes inſurgunt: dæmones illam peſſundant, & creaturæ aliæ vilipendunt. Vnde rigius Dauid in pſalmo: *Pſal. 70* Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebãt animam meam, conſilium fecerunt in vnum, dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, &

comprehendite eum quia non eſt, qui eripiat. Anima iuſti eſt velut ciuitas turribus obſeſſa, & probè munita. Quæ mox vt diſcedit, & ſeparatur à Deo, omninò labefactata, pariterque euerſa, miſera & varijs ictib⁹ ſubiecta eſt. Vnde Do-

Eſa. 1. minus per Eſaiam: Et derelinquetur filia Sion vmbraculum in vinea, ſicut tugurium in cucu-

Cant. 4. merario: & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur. Antea iuſtus, hortus conciſus erat, deinde fons ſignatus: nunc verò ſepibus, parietibuſque euerſis, & ſolo ęquatis ab hoſtibus compilata, eam vindemiant, & expoliant. Eodem modo cùm ſe no-

2. Reg. 13. ſtra viderit anima, quale gaudium illi eſſe poterit? Mox atque peccauit Ammon cum Thamar ſtatim maximus illum tenuit dolor, quod tunc maiori odio proſecutus eſt, & maximè exoſam eam habuit, quam antea amauerat. Vnde Pau-

Rom 6. lus: Quem fructum habetis ex his, in quibus nũc erubeſcetis? finis illorũ mors. Et finis omnium huius ſæculi rerum. En vobis miſeri, effrænatæ concupiſcentiæ, & affectuum petulantia veſtrorum, & acerbos libidinis exitus. Cedat omnis harmonia dulcis, cedat pſalmodia, iucunditas, lætitia, & vniuerſum gaudium in anima peccatoris, & iniqui. Ploret, vlulet, nec dulciter pſallat, & ſic in ſalicibus Babylonis figat organa, cithara & pſalteria.

In ſalicibus, in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.) Indicat tibi magnã ibi fuiſſe ſalicum copiam: quæ iuxta flumina ſolent in locis humidioribus libẽter & ſua ſponte naſci: quemadmodum è contrariò Myricæ in locis arentibus. Quamuis iuxta littora fluminum ſolent aliæ arbores paſtinari, quæ varia mala germinant, ſed iuxta hæc flumina non aliud, quàm ſalices

indicat eſſe. Non mala punica, non palmæ, non mala Perſica, non Cydonium, aut Citrium, non Syricum, non Amygdala, ſeu Ceraſa, quibus ſua poſſent organa figere, ibi erant. Non aliud quidem, quàm ſalices videas. Num Babylon alias arbores, quàm ſalices germinare poteſt? Salices quippe ſunt ſteriles, & infructuoſæ quædam arbores, aſpectu iucundæ, viſu delectabiles, & eorum amœnitas inuitat, animoſque trahit: fructum autem eorum ſi requiras, non inuenies. Omnia, quæ ſub cælo ſunt, vanitas, & quaſi quoddam ſimulacrum, & velut vmbra, quædum apprehenditur, fugit. Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia oculorum, cõcupiſcentia carnis, aut ſuperbia vitæ. Poſtquam mundani carnis ſuæ affectus compleuêre, ſibi imponẽtes, omnia quaſi ſalicũ vmbras inuenêre, & hoc modo ſeducti in inferno clamant, dicẽtes: Quid profuit nobis ſuperbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierũt omnia illa, tanquam vmbra & tanquam nuncius præcurrens. Omnia (inquit) velut vmbra fuerunt, quæ eſtuantibus nonnihil animum refocillant, atque recreãt: verũ dum fame perit, brachiũ extendens, nihil omninò inuenit ad veſcendum. Vmbra eſt quaſi veritatis effigies, & typus rei præſentis: verum neq; opaca, nec moles aliqua eſt. Huius ſæculi bona, dum affectum iucundant, ſunt velut quædam ſimilitudo perennium gaudiorum: & ſic apud ſacram ſcripturam ſignificãtur hæc humana, & fragilia. Verùm hęc poſtquam deguſtãtur, nihil fructus, nihil emolumenti, nihil omninò ſatietatis percipias. Sunt enim velut ſalices virides & vmbroſæ, aſpectu iucundæ: infructuoſæ tamen. Num quempiam vidiſtis adhuc arbo-

1. Ioan. 2.

Sap. 17.

rum vmbra ſatiari? Nõne vobis videretur inſania, ſi quiſpiam famelicus, & æſtuans recubans ſub tegmine arbuſti, & capiens pugillos vmbræ, in os ſuum intruderet, ſic volens famem ſedare ſitimque extinguere? Quę maior dementia? O miſeri & nequam peccatores, qui ex infœcundis arboribus Babylonis veſtra deſideria vultis, & affectus ſatiare! O hominum inſania! O ſæculum impurum, & labefactum! in quo nihil inuenies, quàm opulentas ſalices, at infœcundas. Surgant omnes, qui iacent in ſepulchris, Principes, & Monarchæ, & omnes ſæculi primates, qui iam tranſierunt: & nuncient nobis, num iucunditate abſque mœſtitia potiti fuerint? Num voluptatem abſque dolore inuenerint? Bonum ſine calamitate? Solatium abſq; tribulatione, & anguſtia, num deguſtauerint? Denique prædia, quæ veram animi quietem eis attulerint, nunquid habuerint? Omnes quidem vna voce negabunt. Vnde
Eccl. 2. Salomon: Magnificaui opera mea (inquit) ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomæria, & conſeui, &cæt. Et cùm me cõuertiſſem ad omnia quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaueră, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole. Non ſunt in Babylone niſi ſalices, nec in hoc ſæculo aliud, quàm vanitates & lutulenta prædia. Satietas autem plena & fructus, qui ſtomachum animæ reficit, in Deo eſt.
Geneſ. 8 Noli extra vagari, velut coruus extra arcă Noë, quod eſt refugium Dei, & receptaculum eius, victum inter cadauera quærens. At velut ſimplex columba in manus Noë, nempe Ieſu Chriſti reuertere, in quo perenne gaudium, requies plena, iucunditas vera: & ſæculi huius fluctuationes &

amarulenta flumina fuge. Si tibi videris in his omnibus requiem, aut ſolatium inueniſſe: haud quidem oculos in alta leuaſti. Videns huius ſæculi prædia Salomon, vt ſapiẽs dixit: Tæduit me vitæ meæ, videns mala vniuerſa eſſe ſub Sole. *Eccl. 2.* Poſtquam enim ſapiens dixit: Omnia quæ conſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, ſubdit: Mala eſſe vniuerſa ſub Sole. Quid Salomon ait? Nonne Moyſes dicit: Quod vidit Deus cuncta, *Geneſ.1.* quæ fecerat, & erant valdè bona? vt optimè D. Hieronymus ſuper Eccleſiaſticum annotat. Hoc Salomon cùm dixit, erat in extaſin raptus, & in contemplationem Dei. Verùm oculos in terram declinans, & circumcirca omnia proſpiciens tanquam nihilum reputauit. Nam qui Deo fruitur, illi omnia alia à Deo videntur amara. Eſaias *Eſaia.6* Propheta Dei maieſtatem cernens, duos Seraphim intuitus eſt, qui terram verſus proſpiciens, vidit eam plenam fumo. Omnia hæc quaſi fumus, & quaſi nigror, quæ mentis excæcat lumen. Hoc planè inſpexiſſe videtur, qui Deum habentes, in alta rapiuntur. Hoc fecit vt Moyſes ille *Hebr.11* Regia Pharaonis tecta contemneret, & opprobrium Iſraël amplecteretur. Hoc Paulus, vt diceret: Omnia arbitratus ſum vt ſtercora. Omnia *Philip. 3.* vanitas, & nihil omninò eſt quod meum ſatiet affectum. Prodigus filius cupiebat ſatiari de ſiliquis porcorum, & adhuc illi non concedebatur, & ita miſer ille fame periens, extra domum patris, dicebat: Quanti mercenarij in domo patris mei ſunt? & cæt. Nequit anima noſtra hic ſatiari. Nam cùm infinitæ capacitatis mens noſtra ſit, nequit minimis refici. Eccleſiaſtes ait: Vanitas *Eccleſ.1* vanitatum, & omnia vanitas. Proptereáq; Deus cuncta, vt media ad hominem, condidit: non ve-

rò tanquam vltimum eius finem,&centtum. Et ſicut medium non ſatisfacit, aut quietat, ita hæc omnia non ſatiāt:ſed ipſe ſolus Deus reficit, qui eſt vltim⁹ animæ noſtræ finis, & requies in ſempiternum. Ideò Auguſtin⁹: Feciſti nos Domine propter te, &inquietum eſt cor noſtrum, donec perueniat ad te. Iniqui fame abſorpti ſemper incedunt: quoniam verum pro ipſius effigie relinquunt. Vnde Hieremias: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ,&foderunt ſibi ciſternas diſſipatas,in quibus non erat aqua? Et alibi: Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidā? Omnia, velut vmbra, pertranſeunt, in quibus nulla eſt ſubſtantia: ſed quidam quaſi defectus luminis ſunt. Adhuc verò fugit ad eis, qui auidè hanc vmbram ſectantur. Ionas ſub tegmine hederæ iacebat,quæ flante aura arefacta eſt. Adeſt languor, aut febris, ſiue pleuriſis & laterum morbus,&omnem pulchritudinem,omnemque decorem abolet. Ignis tecta conſumit, ignominia tollit honorem, ſobolemquè diffamat. Omnia quippè Badylonis ſalices erant, quæ aliud ab vmbra non faciunt. Et tanquam nuncius præcurrens. Dies mei veloces tranſierunt, curſoriè tranſierunt & non viderunt Solem: aut tamquam auis, & cæt. Omnia velut infœcundæ ſalices fuêre. Nihil aliud quàm rumor, & vulgaris opinio remanſit:illum, magnanimum & inictum extitiſſe, clara ſtirpe natum, priſco ſanguine, & varijs ſtemmatibus inſignitum: & ſic immortalem famam, ac nomen condidiſſe. Aut illam ſpecioſum nimis fœminam fuiſſe? Illum verò primus, apud Regē obtinuiſſe:quę omnia ſempiternis ſtemmatibus condunt, & pro foribus ſigunt. Solet vere, dum caumata pre-

Hiere. 2.

Iere. 2.

Sapient. 5.

munt adhuc in aëre temporis ſerenitas vigere, repente tamen coaleſcere vndique nubes, mox tonitrua, coruſcantia fulgora cernas, & denſum nubibus cælum: mox grando, pluuia, ſtrepitus & calamitas ſubſequitur, vt cuncta ruere prorſus videantur. Breui tamen temporis ſpatio nubes euacuantur, & dilabuntur: & quædam apparet quies, ſerenitas, & perſpcuus Sol, &c. Nunquid illa calamitas fecit, quã parũ luti in arida? Parturiũt montes, naſcetur ridiculus mus. Eiuſmodi huius ſæculi principes videas, quibus magna aſtat miniſtrantium turba, & magno ſtrepitu incedẽtes præeunt equites, currus triumphales rotant, magna comitatur caterua, quorum omnes horrent aſpectũ. Iam lethalis febris, aut quiuis languor veniẽs hos tollit è modio: deniq; in lutum, & aridam couuertuntur, & humiles & mendici, quos intueri dedignabãtur, eos peſſundant. In quo illa veritas conuerſa eſt? Sicut tonitruum magnum in pluuia perſonauit. Dormierunt ſomnum ſuum: & nihil inuenerunt viri diuitiarũ in manibus ſuis. Vos ergo ne citharas, & organa veſtra ſalicibus Babylonis vmbroſis, atq; iucuncis ſimul & gaudium figatis. Aliæ ſunt paradiſi arbores: de quibus Ezechiel vt Platani, & Oliuæ, quæ ſub earum myſtica ſignificatione bonis ſpiritualibus gratiæ, & gloriæ alludunt. Ibi pſalteria, & organa veſtra ſuſpendite. Ibi ſpem, iucunditatem, & corda figite veſtra, vt regius pſaltes inquit. Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Et iterum. Tibi dixit cor meum: vultum tuum Domine requiram.

Pſal. 75. *Pſal. 72* *Pſal. 26.*

At vero quamuis ea, quæ adhuc dicta ſunt, ſit vulgata Doctorũ, ac communis expoſito in hũc locum: iſte tamen locus in hunc modum intel-

ligi poteſt, dicendo, quòd filij Iſrael, qui in Babylonem captiui ducebantur, pſalteria, & organa, quæ in ſalicibus Babylonis ſuſpenderent, non habebant. Namq; ſacra ſcriptura ait, quòd illi Chaldæi non ſolum templum Hieruſalem, ac domum regiam combuſſerunt: verùm & plebeiorum humilia tecta cõcremarunt, & horum, qui fortè ignem euaſerunt, in miſeram ſeruitutem ſunt redacti. Vnde non parum fecerunt, incolumem vitam ſeruãtes. Nec vacabat tempus vt organa ſua, aut chordas geſtarent. Verus itaque & germanus literæ ſenſus eſt, quod iſte populus ſe muſicis inſtrumentis, & pſalmodijs priuari fatetur, quia muſica nõ congruit luctui. Vtitur autem hoc dicendi charactere, quia iſte loquendi modus vſitatior eſt. Vt profitentes aliquod exercitium à ſe abdicaſſe oſtendant muſices inſtrumenta loco ſuæ calamitatis fixiſſe. Exempli cauſa. Qui ob aliquem languorem à literarum ſtudio ſe abdicauit, inquit: Ego meos in lectulo libros amiſi: & ſic de ſimilibus. Eiuſmodi loquendi ſtylo dicit nunc populus Iſraeliticus quod in ſalicibus ſuſpenderunt organa ſua: ſignificantes quod habitatio inter ſalices iuxta Babylonis flumina omnem anſam lætitiæ ab eis abſtulit. Modò ſuſpẽdere organa, & muſices inſtrumenta figere, eſt quaſi omnem lętitiã abdicare. Sed de his ſit ſatis.

4. Reg. 25.

Prætereà aduertendum ſummoperè hic eſt, quòd non ſolùm miſeri filij Iſrael Babyloni erãt, in cuius ſalicibus ſua organa ſuſpenderunt, ſimul & omnem iucũditatem, & gaudium amittentes: verùm etiam ſubdit, quòd hoc ipſum in medio Babylonis fecêre.

In ſalicibus, in medio, &c.) Qui iuxta ciuita-

tis, aut muri adiacet portam, quamuis intra ipſam vrbem eſſe dicatur, cæterùm minimo negotio extra petit: vno, aut altero greſſu foris eſt. Veruntamē qui in medio ciuitatis eſt, aut in plateis, foribúſque vagatur, non aliter quàm magno labore ducitur extra, per ambages, ſeu vicorum anfractus luſtrans. Magnum quippè malum eſt & ingens calamitas, quòd non ſolùm captiui in Babylone ſint: at quod peius, & dolēdum magis eſt, quòd in medio illius ſint. In miſerā peccati ſeruitutem redactum eſſe, malum quidem eſt: at in medio ipſius ſubmerſum, & vertice tenus abſorptum, & innexu criminis irretitum, & in limo profundi infixum eſſe, horrendum, & execrandum eſt. Ille qui iam in peccato callos obduxit, & Deum offendere aſſuefactus eſt, & ipſi peccato tenaciter hæret: maxima cum difficultate ſe ab ipſo crimine ſoluit & abdicat. Nam eorum deprauata conſuetudo eos trahit, & impellit: quæ quidem eſt habitus, qui difficulter remouetur. Iacob in Ægypto vita defunctus eſt: Gene. verùm filijs ne illum in Ægypto ſepelirēt, præ- 49. cepit. Peccatum, animæ mors eſt, iuxta illod. Anima, quæ peccauerit, ipſa morietu. Iam iam Ezec. 18 quòd Ægypto perijſti, te precor, ô chariſſime, ne te condas in Ægypto. Deliquiſti, & vitam amiſiſti in hoc ſæculo: noli in eo ſepeliri. O quanti perierunt in Ægypto, & in ipſo adhuc ſepulti iacent: O quot, quantique peccatores in ipſo mortui ſunt peccato: & hactenus ſepulti ipſi tenaciter hærent: Nonne tibi ſufficit offendiſſe, aut peccatū contraxiſſe: ſed in ipſo volutaris? Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri te precor, ſi peccas, quaſi homo, & non quaſi dæmon pecces: Si offendis, ſurgere protinus conare, ve-

lut homo, non quaſi dæmon, qui mox, vt peccauit,induratus eſt,&in ſua verſutia infix⁹. Quid
*Baruc.*3. eſt Iſrael, quòd in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum deſcendentibus in Infernum. Nō miror tui, ô Iſraël, inquit Baruch Propheta, quòd inhabites intra hoſtes, & cū sãguinibus tuis deſcẽderis, animę tuæ hoſtibus: ſed quid inter ipſos inueteraſti, & in tota anima callos obduxiſti. Tot anni tranſierunt, multiplicãs, & inſuper addẽs peccata, nec te pudet? & retib⁹ noxæ illapſus in dies te magis implicas, & in atra nimis peccatorum confuſione te confundis? Cùm ille Pharao impius Aegyptiorū Rex, planè videns poteſtatem Dei Iſrael, qui pro eis pugnabat, dixit: Fugiamus Iſrael, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Qui retrocedere vo-
Exod. lens, iam aquæ maris ſimul conuenerant, & in-
14. uiū iter remãſit: qui vt ſerò ſapuit, miſer in medio ipſius maris perijt, & in Inferno ſepultus eſt. Sic tu, ſi in peccatis conſternatus iaces, & hæres, praua conſuetudo pellectum tuum trahet affectum: & tandem non poteris inde elabi. Modò quod congruit illud eſt, vt quàm primùm Babylonem fugias, & mox à peccati labe diſcedas, & tantum Deum offendiſſe doleas, nec pœnitentiam ad vltimum vitæ protrahere debes. In 3. li-
1.*Reg.*2 bro Regum habetur, quòd cùm pugnaſſet Ioab dux regis Dauid contra Abner ducem exercitus Iſrael, dixit Abner ad Ioab. Num vſque ad internecionem tuus mucro deſæuiet? Cui Ioab: Viuit Dominus, ſi locutus fuiſſes manè receſſiſſet populus. Sic tu Deum inuocare debes, dum iuuenilis viget ætas, dum iuuat, & ſalus, & optima corporis poſtulat valetudo, vt te pœniteat,

nec peccandi vſus præſcribat. Nam ſi ad Solis occaſum clamabis, & dolores mortis anguſtiæ premunt, non ita facilis erit conuerſio, nec dolorem habere poteris. Tunc enim ſi clames, dicet Deus: Si locutus fuiſſes manè, exaudiſſem te? & ſic in æternum peribis. Poſſibile quidem eſt, vt couuertatur aliquis in vltimo ſuæ vitæ, qui maximus extitit peccator: ſed hoc terribile, nec ita facile eſt, vtpotè in illa hora verum habere dolorem, qui omnem vitæ curſum in malis conſumpſit, Age tandem, Dei maximi amore, irritas fac, quas cum ipſo mundo veteres amicitias inijſti: frange vincula peccatorum, nec Babylonem inhabites, nedum in medio ipſius. Ibi namque cecidit omnis iucunditas, cuncta lætitia, non reſonat harmonia dulcis: viget tamen fletus, increſcunt gemitus, vlulatus, ſingultus, & lachrymæ. Quid inde, quàm infœcundæ ſalices? Nec te abdas, aut prorſus Babylonem irruas, ſed mox vt exeas, cura. Quòd ſi te videris in medio illius per diurnam peccandi conſuetudinem, & exitus quamuis arduus, difficiliſque ſit, clama ad Deum ſine intermiſſione, qui potens eſt, & miſericors, & pius, vt exaudiens tuas preces, miſereatur, & tibi parcat: ac demum vitam præſtet æternam. Amen.

CONCIO III.

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.

INTER pleraque damna, & varias calamitates, & infortunia, quæ in hoc miſeræ noſtræ vitæ captiuitatis ergáſtulo dignè patimur: hoc boni, & ſolatij reliquum eſt inte-

rea, quod nos, qui vitā degimus, ſubiecti ſimus, ac nos miſeriæ, languores & infirmitates manent. At quamuis hæc omnia à parū prouidis, & minus perſpectis hominibus tāquam mala, & valde nociua reputentur: veruntamen à probis, & ſapientiſſimis quibuſque viris, & qui optimè omnia hæc norunt, intrinſecus callēt omnia nobis aduerſantia, atque moleſta, tanquam Dei illecebras, viſitationes & beneficia quædam reputant. Nam demus (vt ipſa experiētia docet) quòd ſecundi & fœlices euentus, vt Dei obliuiſcamur efficiant, in contrarium tamen aduerſa nobis, & acria naturæ, vitæ ſpem futuræ, ad quam ſemper debemus anhelare, in mentem nobis reuocant. Propterea que noſtræ naturæ hoſtes optimè videntes hanc noſtræ vitæ fallacem lætitiam & iucunditatem, omnem venturi ſæculi cogitationem abolere, & funditus ad eis mentem abdicare, & terrena nobis quærere gaudia, & ad ea nos impellere ſtudent. Ne nobis ſit curæ ciuitas illa Hieruſalem vera patria, & requies animæ noſtræ. Hoc ipſum eſt quod noſtri Pſalmi carmen ait.

Quia illic interrogauerunt nos, &c.) Noſtri hoſtes iniqui, videntes nos in miſeram ſeruitutem redactos, qui nondum contenti, nec ſatiati adhuc, vt noſtra calamitas magis ſe extenderet & in perpetuum maneret, & Babylone ſemper moraremur: ſaltem in Sion ne meditaremur, ipſi prohibebant. Veruntamē vti illius obliti & acerbæ noſtræ captiuitatis, & quaſi in priſtinam libertatem iam redacti nos ſubſannantes, dicebant, vt quodam modulamine pſalleremus, ac cantionibus laudaremus. Inimici animæ noſtræ nobis ſuadēt, vt in hoc ſæculo, miſeriæ, & luctus jucun-

iucunditatem capiamus. Ne forſan meditantes miſeram & atram nimis captiuitatem, & ſortem noſtram doleamus patria profugi. Subdola nobis gaudia inimicus proponit, ne noxas intrinſecus coruſcantes videamus, nec bullientem conſcientiæ vermiculum ſentiamus. Volunt enim noſtræ naturæ hoſtes, quod pſallentes ſimul, & gaudentes obliuiſcamur tui ô Sion. Nabuchodonoſor quandã ſtatuam conflauit, mox vti præconio ederent, dicentes. Vobis dicitur populis, tribubus & linguis, in hora qua audieritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, & pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, cadẽtes adorate ſtatuam, quam erexit Nabuchodonoſor rex. Vt quid tantus clangor, ſtrepitus, & tot buccinæ, & interdum vt ſtatuam adorarent, præcepit? Vt ſic illi occupati, & ſonitu inſtrumentorum detenti, peccatum, quod contraxerant, ſimulachrum adorantes, non viderent. Sic mundi ſibilus reſonat in auribus noſtris, ipſe nobis pſallens, & cantionibus ludens, cachinnos exciat, nos modulamine trahit, ac vanitatibus captiuos ducit: vt ſic ambitus ignitos ardore, & huius mundi rerum ſtrepitu attoniti, ſtupefacti, & ſenſibus obturati noſtram miſeram ſortem non videamus, nec vt recta via inferni domicilia petamus. Ita enim noſtros excæcat ſenſus, vt lutulenta prædia auidè ſectantes, ſuperna domicilia contemnamus. Namque hæc omnia ſæculi, vtpotè vanitates, delitiæ, & honores, illecebræ, & fortunæ, hominum corda prædantur, & eorum affectus capiunt, ac tenent, & quaſi retia captant, vt perpetuas tenebras mentibus noſtris offundant, ne æterna bona petamus. Filij Iſrael iter facientes per deſertum cùm ex Æ-

Dan. 3.

gypto exierunt, venientes propè montem Galaad, iuxta terram promiſſionis cernentes virentia prata filij Ruben, & Gad, petierũt facultatem à Moyſe ſe velle ibi commorari, dicentes nec terram promiſſionis intrare. Horum rationem ſacra ſignat Scriptura. Habebãt enim pecora multa. Quoniam huius mundi bona pulchra tibi videntur, & amœna: terram promiſſionis & gaudia ſempiterna contemnis. Illa cæleſtis patria,
Pſ 141. illa ſuprema Hieruſalem, quæ tibi condita eſt, de qua Regius Pſaltes cecinit: Deus meus tu es: portio mea in terra viuentium; ab his contemnitur, quin magnum poſſident gregem, ab his qui multa pecora habent. Eiuſmodi ſunt opulenti ſæculi diuites, quorum opes & delitiæ fortiter tenent, ne æternas diuitias habeant. Babylonis amor eos tenet, & ſic obliuiſcũtur tui Sion. Virẽtia Galaad eos inuitant prata: propterea terram promiſſionis contemnunt. O amor ſæculi huius! O Babylonis amor, quicunque in te ſuos locat affectus, à Deo longè eos repoſuit. Vt autẽ inimica caro in huiuſmodi pellectos nos inducat amorem, & eius illecebris ſeductos à Dei charitate ſeparet, vt canamus, & iucunditatem ſumamus, nos admonet: & vſquequaque detenti, & innoxæ captiuitatem redacti nũquam recordemur Sion. Laban ſecutus Iacob vſque in mon-
Gen. 31. tem Galaad, qui deſerẽs domum Laban in terram ſuam reuerſus eſt, ſicut Dominus præceperat illi. Dixit autem Laban ad Iacob. Malè egiſti mecum. Cur, ignorante me, ſugere voluiſti, nec iudicare mihi, vt proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? Non quidem hoc dicebat Laban quaſi feſtum diem acturus foret Iacob, propterea quòd ab eo diſcederet;

ſed duntaxat vt muſicis illis inſtrumentis illum ſecum teneret, ac in ſeruitutem vſquequaque ſui redigeret. Sic mundus pſalteria, & tympana, pariléſque fiſtulas pulſat, & modulo ſua carmina pangit, vt nos inducat terrena diligere prædia ſub tegmine, & dolo, latet anguis in herba: vt ſic Dei ne meminerimus, ſemper ipſi mancipati. Eapropter Chaldæi dicebant Hebræis, vt canerent & lætarentur Babylone: vt ſuæ patriæ Hieruſalem, &; priſtinæ libertatis immemores deinceps fuiſſent. Quidam enim patria profugus eò lautam, ocioſam, & tot illecebris & voluptatibus plenam vitam degere poteſt, vt ſuæ priſtinæ libertatis, ſiue redeundi in patriam nullam prorſus curam habeat. Illud verò quòd hoſtis noſter intendit, eſt, de ſuis facultatibus diuites, ſuíſque bonis eò inclitos nos facere, vt vltra quicquam non quæramus, nec Dei meminerimus vſquequaque. Secus tamen Deus noſter nobiſcum facit, cuius pia voluntas eſt, vt eo fruamur, & ad huiuſmodi finem creauit, & erexit nos. Ipſe tamen cernit quod huius ſæculi terrea nos tenent, atque noſtræ ſaluti maximo impedimento ſunt: proptereaque tribulationes, & anguſtiæ nobis adeſſe permittit, vt ſic calamitatibus, atque miſeriis affecti, ſingultibus & ſuſpiriis cæleſtem patriam petamus, & anhelantes ad ipſam aſpiremus, & lutulenta peſſundantes prædia, ſuperna diligamus bona. Dum æſtus caumata vigent, ſi iter faciens quidam penè ardore conſumptus, & æſtu conſternatus iuxta ipſum iter cernat puteum arbuſtis vndique obſeſſum, ſeu quoduis aliud receptaculum offendat, aut tegumentum, vt ſe defendat à Solis æſtu, animumque reficiat, & illa captus amœnitate,

& quaſi pigritans, ibi diu commoratus dudum adhuc expećtans, facturus iam iter, & ſic noctis illũ obcœcat nigrior, & tenebras duplicari cernat, tandem nemoribus obſeſſus, quò ſe vertat, prorſus ignorat. At verò ſi in totius viæ, aut itineris curſu omne refrigerium, omníſque animi refocillatio deſit, premunt caumata. Sed quid proderit? vt concitè pergat quouſque domum peruenerit ſuam opportunè ſatis. Curnam iſti Chaldæi Hebræos vt canerent poſtulabant, & mundus quoque voluptatibus, honoribus & illecebris te trahit? Vt ipſis deceptus, ſeductus, & prorſus intẽtus ne recta, qua ire via cœpiſti, pergas. Dudum tamen mortis nox adueniens operæpretium ſit, vt in Inferno exceptus vſquequaque remaneas, ad tuam minimè domum perueniens, quæ gloria Dei eſt. Cæterùm Deus noſter verus hoſpes, & exceptor noſter, vt nobis viam aperiat ad vitam, non per huius ſæculi delicias venire iubet, non cantionibus, & illecebris vitam degere, ſed lacrymis, & dolore per tribulos vt incederent, non per amœna, & vmbroſa loca. Hæc eſt via beatorum, quæ ducit ad vitam. Nam qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.
Mat. 7. Euntes ibant & flebant, &c. inquit Dauid. Vn-
Pſa. 123 de etiam Beatus Gregorius: Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. At fallax, & ſeductor mundus eſt, velut fraudulentus ille ſenex, qui ſeductionibus & blanditiis generum ſuum leuitem Bethlehem obnixè tenuit, atque vt ſecum maneret ſuaſit. Dies tamen cùm iam recederet, in domum ſuam opportunè haud peruenire potuit, qui hoſpitatus in Gabaa, ibi grauiter offenſus eſt. Eiuſmodi noſtis ſeductor, inimicus animæ noſtræ, ſe gerit erga nos. Pro-

ptereà in medio Babylonis, vt obliuiſceremur Sion,& antiquæ patriæ, & priſtinæ libertatis.

Illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.)

Illic, ait: Vbinam gentium? Babylone. Quàm egregia ciuitas Babylon ad pſallendum! Babylon noſtræ peregrinationis ergaſtulum, in ea modulamini non eſt locus. Cedat fœcunditas, cedat gaudium, vigeat fletus, increſcant gemitus, exeant ſingultus & præſit dolor, dominetur triſtitia, vlulatus adiaceant. Vbi enim mundus te iubet lætari, ibi dolendum tibi eſt. Nam vbi deliquiſti, illic dolendum tibi eſt, illic pœnitendum eſt. In hac vita deliquiſti, hic ſoluere debes: Ne in venturum ſæculum pœnitentiam differas: vbi nihil validum, nihil profuturum. Vbi noxa contrahitur, ibi ſoluenda eſt: ne in poſterum, malum tibi contingat, & debitas pœnas luas. Sapientiæ liber de improbis dicit: Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: & tandem nihil eis profuit, quia in poſterum, & in venturum protelârunt. Vnde Dominus Achab dixit: In loco, vbi linxerunt canes ſanguinem Naboth, lingent ſanguinem tuum. Et Caino dixit Dominus, qui occidit fratrem ſuum Abel: En vox ſanguinis tui clamat ad me. En, oſtenſiuum eſt: & vbi fratrem ſuum occidit, ibi periit ille: & ſuam illic ſententiam contra illum Deus fulminauit. Adhuc tamen Antiocho Regi (quamuis eſſet Ethnicus, & Gentilis) perperã illi viſum eſt facinus, quòd Andronicus ille patrauerat, qui Oniam ſacerdotem necauit de illo vindictã ſumens, vbi delictum contraxit, ibi occiſus eſt, vt habetur in libro ſecundo Machabæorũ. Ideoque Ioel Propheta dixit: Scindite corda veſtra. In

Sap. 5. *3. Re. 21* *Geneſ. 4* *2 Mach 4.* *Ioel. 2.*

cordibus peccatum conflatum eſt, ibi pœniten-tia agenda. Hoc ipſum Regius Pſaltes prouidēs, & rectè cognoſcens quod labes vbi contrahitur, itidem pœna luenda eſt,& vindicta ſumenda, ipſe dicebat: Cor contritum, & humiliatum DEUS non deſpicies. Sic etiam DEUS vult cor noſtrum

Pſa. 50. attritum & contritū dolore & pœnitentia transfixum. Et ſic iuſto DEI iudicio, & ſibi optimè placito Abſalon triplici cordis ictu transfixus pe-

2 Re. 18 riit miſer. In ipſo nanque corde maximè dolus fuerat conflatus, Regij patris imperium dirimere machinatus, ſic tulit pretium temeritatis ſuæ. Vbi Babylonius nobis cantare præcipit: ibi nos DEUS lugere iubet. Ploremus ergo, qui captiui, & in vincula ſumus redacti, & à cœleſti Hieruſalem profugi,& abſentes.

Eccl. 22 Nota quòd illi Chaldæi cantiones poſtulant ab Hebræis qui capti erant. Eccleſ. ait, quòd muſica in luctu importuna narratio. Nihil omninò ab re magis eſſe poterat, quàm triſtem, vt moduletur inducere. Sic mundus aliena ſatis,& importuna nimis vſquequaque poſtulare videtur. Ca-

Iud. 16. ptus Samſon à Philiſtæis vt choros duceret luminibus priuatus, ab eis conſiliatus eſt. Cœcum tripudiare vultis? Vt ſaliet, qui vbi inuitatur, prorſus non videt, aut quoquo ſe vertat, neſcit? O hoſtis! ó caro inimica, vt nos in peccati retia lapſos impellis ſaltare, vt cachinnos excitare: cùm potius vicem noſtram dolere,& fortē plangere debeamus! Nec enim locus eſt gaudio, vbi prædominatur luctus. Væ vobis, qui nunc ride-

Luc. 6. tis, quoniam flebitis: ait DOMINUS Ieſus. Hi vitæ noſtræ perſecutores nondū ſatiati in noſtra corporali ſeruitute, etiam animam noſtram ſubiugare ſtudent, cum illa cantica, quæ pſallebamus

in Hieruſalem Domino,ad ſua idola conuerteremus, dicentibus illis.

Cantate nobis de canticis Sion.) Poteſt hoc ipſum dupliciter intelligi. Primò ironicè,& irriſoriè hoc eos dixiſſe, populum Domini ſubſannantes: ac ſi dicerent. Nunc illa cantica,quæ canere conſueuiſtis,& nobis pſallite. Cur non canitis? Quare non gaudetis? Quemadmodum irriſoriè ſubinde ad afflictos loqui ſolent illudentes quidam, qui malis afflictorum congratulantur, maximè illis qui prius in magno gaudio, & throno ſedebant excelſo,antequã ſubita tribulatio,& inopinata calamitas eos ſubiugaſſet. Huic alludit ſenſui, quod vertit Felix. Quia interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantici:& deridentes nos,lætitiam,adde,interrogauerunt nos dicendo: Cantate nobis de canticis Sion.) Neq; diſſonat,quod habet paraphraſis Chaldaica. Ibi interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos,vt diceremus verba cantilenarum:& raptores noſtri lætitia affecti dicebant: Pſallite nobis cantica,quæ dicebatis in Sion. Huiuſmodi locutionibus ſæpè vtitur ſcriptura: vt eſt illud: Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. Si filius Dei es, deſcende de Cruce. Et illud Sapientiæ. Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Amos etiam, Venite ad Bethel, & impiè agite in Galgala, & multiplicate præuaricationẽ. Et Ieremias in Threnis: Gaude,& lætare filia Edon,quæ habitas in terra Hus. Multa de his diſſeruimus nos in commentariis noſtris ſuper Lucam, quæ nuper edidimus, cap. 11. iuxta illa verba: Date eleemoſynam,& omnia ſunt munda vobis.

Ma. 27
Eccl. 11.
Amo. 4.
Thre. 4.

Alio modo poteſt ſumi hæc poſtulatio, vt ſeria

& non ironica: vt videlicet exegerint Babylonij ſeriò ab ipſis modulari carmina conſueta laudis Dei Iſrael ad eorum irriſionem,&ludibrium, vel ob nimiam ſuperbiam ad ſui oſtentationem. Itaque intelligi poteſt, Babylonios, ob ſuperbiam, & quandam iactantiam, velle vt illa carmina coram ſe canerent Hebræi, & ſuas modulo aures oblectarent; quibus ludentes in Hieruſalem ſoli Domino cantauerant. Nec tantùm iſti ob ſuam inſolentiam, eos cantare monebant: ſed etiam vt canticis illi abutentes ad iram Dominum prouocarent, idolis ſacrificarent laudibus,& hymnis. Quaſi diceret: Cantica quæ Deo veſtro offerebatis in Hieruſalem, Diis noſtris cantate modò. Hæc ſunt portēta & facta dæmonis, qui miſcere vult ſacra prophanis, & aurum infimo ære conflare: & quæ ad cultum Dei ſunt deſtinata, in mundi viſum vendicare. Nonnulli ex gentilibus, & poëtis hoc idem fecēre: qui ſi nullum aliud peccatum, quàm hoc commiſiſſent, meritò, quas & nunc ſuſtinent, pœnas luerent. Ouidius enim forſan Geneſim perlegit, & quæ ſacra Scriptura ait de Noe,& de diluuio, quod in diebus eius euenit, ipſe cuncta diſtorquet,& funditus euertit, atque prophanat. Chimerica finxit monſtra, & ludicra conflauit portenta, omnia Deucalioni,& ſuæ coniugi Pyrrhæ adſcribens, vt in 1. Metamorphoſeos inquit, quòd lapides illi,quos ſumens Deucalion, & tergum verſus mittebat, in homines conuertebantur:& quos Pyrrha mittebat, in fœminas. O ſoror, & dilecta coniunx, &c. Et etiam Virgilius quàm plurima carmina ex Sibylla Cumæa,quam alij Erithræam dicunt, quæ aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti prædixit,ille deſumpſit:eaque

Cæſari Auguſto per modum adulationis, vt gratioſus apud ipſum factus facilè primas teneret, aptauit, affirmãs quod propter ipſum prefata ſunt, quòd longè aliter ſe habeat. In illa enim ecloga, quæ incipit: Sicelides Muſæ, &c. hæc ſubdit:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cælo demittitur alto:
Tu modò naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

His ergo cæteríſque gentilibus omiſſis, qui Deum omninò ignorabant, modò verò inſani, & parum modeſti noſtri ſæculi quaſi iuuenes, nedum Chriſtiani, haud tamen carminibus ludere poſſunt, quin ſacras literas diſtorqueãt, & dehoneſtent ſuis cantilenis, & vanitatibus illarum adaptantes loca. Quàm iniquum, & execrandum hoc ipſum ſit, & Deo maximè diſpliceat, videre licet in illo ſatis ſupérque occulto Dei iudicio, dum Balthaſar regem Babylonis meritò puniuit: de quo in Daniele habetur. Quòd in illo grãdi conuiuio, cùm ille iam temulentus eſſet, & opiparè omnes epulati, iuſſit vaſa aurea, & argẽtea, quæ Nabuchodonoſor pater eius de templo Domini aſportauerat, quod fuit in Hieruſalem, tunc polluentes illa vaſa, & in eis omnes bibentes, ſubitò (inquit ſcriptura) apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis, &c. Sic Deus ſtrictiſſimam rationem ponet cum his, & appendet peccata eorum in ſtatera, duréque eos puniet, diuidens Regnum ab eis, videlicet, animam à corpore, & humo tradet corpus, & animam in

perpetuum comburendã gehennalibus flammis, quoniam cantica Sion, & Hieruſalem cecinerũt in Babylone,& miſcuerũt ſacra prophanis: Ideò Chaldæi inimici, vt populum Domini idololatrare facerent, & ita animas ſimul eorum captiuarent,ab eis contendebant dicentes:

Cantate nobis de canticis Sion.)

Perpende quoque hominum impiorum ingenium. Ipſi quippè volunt alios ſibi cõſimiles fieri,& conſortium ineunt inter ſe. Hi Babylonij, vt nequam, & turpiſſimi erant, filios Iſrael ſibi ſociari volebant, & conſortes ſuorum delictorum habere,& hymnos,& cantica Dei, ſuis immolari idolis. Sic mater Eua labefactata crimine, impulit Adam vt comederet, & ſic particeps culpæ fieret. Idem feciſſe legimus Loth filiam natu maiorem,quæ poſtquam peccauit cum patre ſuo, iuniorem impulit ſororem, vt idem faceret. Namq; impiis non ſufficit ſolos in gehennam mitti,ſed ſocios ſibi ducere ſtudent. Aleator ſibi comitem quærit,& prodigus ſimiliter, & ſic iugati bini incedunt: ſic ſuas mundus congregat acies, vt apud Tartareas caſtrametetur ſedes. Vnde Sapiens egregiè de impiis ſibi inuicem animum adhibentibus ad peccandum dicit. Impij dixerunt cogitantes apud ſe nõ rectè. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & cæt. Venite ergo & fruamur bonis, quæ ſunt: & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Qui vt conſortes culpæ ſunt, eiuſmodi pœnas luent. Vnde etiam Chriſtus Dominus in Euangelio de impiis loquitur, dicens: Congregate faſciculos ad comburendum. Hæreſiarcha, qui ſuis dogmatibus alios euertit, ipſe cum eis, tanquam faſciculus comburetur. Epiſcopus qui ſuis v

Geneſ. 3

Gen. 19.

Sap. 2.

Mat. 13.

cognatis ſuggerat adhuc pueris , & luxurioſè viuentibus & literis exutis, redditus & beneficia eccleſiaſtica impertiuit, optimè meritos derelinquens, ille & ſui cognati, tanquam faſciculus, comburétur. Turpis lucri cupidus & ſui domeſtici, qui eius vſuram celant, tamquam faſciculus, comburentur. Et vrbis moderator, atque ſedem eius obtinentes, qui impiè iudicant & cauſarum exactores, & qui publicos aleatorum alueos domi habent: Inſuper illi qui ſuis abuſibus, & ſceleratis moribus cæteros euertunt, & corrumpunt: Et qui ſcandala oriri faciunt, & qui ſcandalum permittunt. Præceptores iniquitatis, & horum diſcipuli. Omnes iſti, tanquam faſciculus comburentur. Vnde Regius Dauid in Pſalmo ait: declinantes in obligationibus, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Hi enim qui in officio non ſunt, nec ſui voti exactores ſe præbent, à virtutibus ad vitia declinare videntur. Obſtrictus eſt religioſus, quæ vouit obſeruare, videlicet, obedientiam, pauperiem & caſtitatem. Cæterùm cum hæc irrita facit, iam declinare ab officio dicitur: & malum de ſe præbens exemplum, ſuum proximum ſcandalizat, qui eius ductus exemplo, malè viuit, & iniquitatem operatur. Nunc ergo dicit pſaltes, quòd nos omnes tam criminis inuentores, quàm eorum ſectatores in Infernum ducentur. Putant enim nonnulli ſe præclarum facinus committere, cùm cæteros ad peccandum prouocant. Cùm ſecus ſe habeat res, eorum ſiquidem augentur ſupplicia. Oportuerat iſtos Babylonios contentos eſſe, ipſos duntaxat labefactatos manere, nec ſibi ſocios, & iniquitatis conſortes filios Iſrael vendicare, & ſibi copulare: & quod ſi-

Pſal 13.

mulacris verba cãticorum, quæ vero Deo, & immortali congruebant, ſuis dijs pſallerent. Proptereaque

Cantate nobis de canticis Sion.)

Quibus illi hoc dedêre reſponſum in ſubſequẽti carmine.)

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?)

Non ſolùm aliena propterea, quod peregrina & longè diſtans ab vrbe Hieruſalem: verùm etiã longius, quia à Deo aberat fidei lumine deſtituta, verum Deum non colens. Filij Iſrael longè à dulci patria vagantes cantare minimè poterant Babylone cantica Domini. Optimè quidẽ faciabant: Modulari enim non ſatis poterant, qui tantum aberant à Deo, & Hieruſalem. Hoc
Pſa. 41. eſt, quod Regius Pſaltes canebat: Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi eſt Deus tuus? Optimè, nec quidem ab re ipſe faciebat, dum plorabat, ſiquidem de Deo ſuo interrogatus, rationem reddere prorſus neſciebat. Modò vt poterit modulari pecca-
Pſa. 64. tor tam longè diſtans ab ipſo Deo? vt poterit in medio Babylonis cantare? Vnde Pſalmus. Te decet hymnus, Deus, in Sion. Non Babylone, ſed potius in Sion vult Deus laudari. Nam ſicut peccatorum laudes Deus non accipit, ſic in Babylone cantica illi non placent. Huius ſæculi diuites, qui cãticis Babylonis putant ſe placere Deo va-
Iacob. 5. nè, & turpiter oblectantes, Iacobus Apoſtolus exhortatur & monet, dicens: Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miſeriis veſtris. Vt quid tu peregrinus cùm ſis & in captiuitatem redactus,
Eſa. 22. profugus à patria Hieruſalem, modulari vis, vbi lugere præſtat? Audi Eſaiam: Vocabit Dominus

Deus exercituum in die illa ad fletum, & planctum, ad caluicium, & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur. In hac ergo peregrinatione & lacrymarum valle, non oportet oblectari: ſed potius plorare & pœnitentiam agere.

Poteſt etiã hic locus exponi, ac ſi illi dixiſſent: Qualiter poſſumus verbum Dei hominibus vanis, alienis à Deo, & à ſemetipſis, cantare? Vnde Pſaltes: Errauerunt à vulua, abalienati ſunt retrorſum. Vt procacibus hominibus, & longè diſtantibus, verba cantionum de canticis Sion modulabimur? vt prædicabimus iſtis? Hoc eſſet dare ſanctum canibus: & mittere margaritas ante porcos. Porrò Hebraica veritas habet: *Pſa.186* *Matt.5*

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?)

Sic & Hieronymus tranſtulit. Haud tamen noxij, & à ſtatu gratiæ diſtantes, & inimici Dei cõſtituti, nec Babylone captiui canere poſſumus. Propterea Deum ſi dignè volumus laudare, & ſuos modulari, dulcitérque reſonare pectoris hymnos, fugiamus Babylonem, deſeramus eius captiuitatem, vt in ſtatu gratiæ laudemus Deum, & in venturo ſæculo vſquequaque. Amen.

CONCIO IV.

Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea.

IN ſuperiori concione vidimus, quòd Babylonij ab Hebræis, videlicet, captiuis vt in medio Babylonis pſallerent petiêre: & huius tunc rationem inter alia aſſignantes, eamque præci-

puam eſſe diximus, vt illis cantionibus occupati Hebræi ſuæ priſtinæ libertatis, nec Hieruſalem omnino recordarentur, aut montis Sion. Cùm autem horum præcipua ſuæ poſtulationis cauſa hæc ſit, videlicet, ne illi meminiſſent Hieruſalem: modò in tribus ſubſequentibus carminibus populus Dei captiuus reſpondet dicens: Nihil tam validum omninò fore quicquam, nihil tam acre, ſeu robuſtum, vt eos ſepararet, & abigeret ab aſſidua meditatione dulcis Sion: & memoriam charæ, & amabilis Hieruſalem aboleret. Ob idque moleſtas Chaldæorum ſuaſiones, tamquam ſuperfluas putabãt, cum nihil ita præpotens fore poſſet, vt ſuæ patriæ cogitationem dimoueret, & ſic conuerſi ad Hieruſalem ipſi dicunt: Si oblitus fuero tui, Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea.) Vnde Euthymius dicit: Obliuiſcatur dextera mea. Sic etiam legit D. Auguſtinus. Quaſi illi dixiſſent: Si oblitus fuero tui, pulſandi fidibus vſus, ſeu tangendi organum artis, dextera mea obliuiſcatur. At quia manibus muſices inſtrumenta pulſamus modulamur & ore, propterea de ipſa dextera, & linguâ hic facit mentionem. Et ſic ſtatim ſubiunxit, dicens: Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.) Dum quempiam parentibus nuper orbatum modulantem, & gaudentem dudum videmus, ſuorum parentum memoriam perdidiſſe dicimus. Eodem modo, ſi oblitus fuero tui, ô Hieruſalem, muta fiant labia mea, & dextera mea areſcat ſi non meminero tui. Volunt hi quaſi æmuli mei, & qui animam meam perdere curant, quod tui oblitus, ô Sion, modulamine cantem. At ſi oblitus fuero tui vſquequaq; mutus ſiam, & tibiis canendis minus præpotens.

Adhuc minimè pſallam, quouſque videro Hieruſalem cum trophæo in priſtinam gloriam redactam. Hanc fidelitatem, & immortalem memoriam vult Deus in hominibus permanere, & firmiter hærere: & quòd nihil inueniri poſſit in vniuerſo, quòd Dei beneficia ex memoriis noſtris abolere faciat. Nec eorum, quæ de ſua manu percepimus obliuiſcamur. Sic Deus ad Moyſen. Nec obliuiſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cũctis diebus vitę tuæ. Memores vt ſimus beneficiorũ ſuorũ Deus vult, vt illum diligamus: & vt gratos nos prębeamus. Vnde Moyſi dixit Dominus: Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retrò generationes: vt nouerint panem, quos alui vos in ſolitudine. Volebat enim Deus ne immemores filij Iſraël eſſent tãti beneficij, & miſericordię, quã illis fecerat in deſerto: ideo ad perpetuæ rei memoriam vaſcula pignore illo iuſſit adimpleri. Sic etiam vult, vt ſuæ rigidæ iuſtitiæ & cenſuræ memoriam teneamus: vt eius occulta iudicia horreamus. Cùm quondam Deus illam tam rigidè punitionem exercuit, & animaduertit in eos, dum mirabiliter ignis è tabernaculo coruſcauit, & bis centum, & quinquaginta illos, qui incenſum obtulerãt, cõſumpſit. Tunc Deus Eleazaro ſacerdoti filiò Aaron præcepit, vt thuribula illorum, quos nuper ignis conſumpſerat, dantes thura, quæ & conflaret, & in laminas produceret, altariſque eos figeret, vt cernant eas pro ſigno, & monimento filij Iſraël, quibus commouerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non de ſemine Aaron ad offerendum incenſum Domino, de patiatur ſicut paſſus eſt Core. Vt quid palã laminas illas Deus affigi præce-

Deut. 4

Exo. 16

Leui. 18

pit? ad perpetuæ rei memoriam illius maximi iudicij, vt deſcendentes illud videntes, horrenda Dei iudicia paueſcerēt, & quomodo ſe geſſerat Deus cum Dore,& ſociis eius,cognoſcerent. Recordatio pietatis, & miſericordiæ Dei nobis vt ſperemus,ſuadet. Et ſuorum meminiſſe iudiciorum,vt pertimeſcamus, vt iſtis duabus virtutibus comitibus, recta via pergamus, aliâs vitæ noſtræ iacturam patiemur. Poſtquam Philihſtiini in bello arcam Domini cœperunt. Cùm reſtituere tandem Iſraeli decreuiſſent, vt plaga Dei in eis ceſſaret, qua eos durè afficiebat, propter-
1.Re.6. ea quod arcam fœderis ſibi vendicaſſent, quam in curru cùm impoſuiſſent, iugatis vaccis,quan-
Heb. 9. uis fœtoſæ adhuc mugientes, recta via tamē gradiebantur vſque ad Bethſames,quę domus Solis dicitur. In arca enim repoſita erāt virga Aaron, & vaſculū plenum manna, vt Apoſtolus inquit. Sic nos hac via vitæ gradientes,recta via ſuperna domicilia petentes,videlicet domum Solis, quæ eſt illa beatitudo, vbi facie ad faciem planè Solem iuſtitiæ videbimus, Chriſtum fulgentiſſimum in gloria Dei patris, baiulantes vſquequaque manna ſuauiſſimum pietatis,& miſericordiæ Dei,& virgam iuſtitiæ,& cenſuræ eius, & interim ab eis non declinare dextra, ſiniſtráve, ſi perire nolumus. Iuuenci mugiebant, ſed vaccæ retrò non cedebant,nec fœtus ſuos,vt viderent, reuertebantur: ſed ſine intermiſſione vlterius gradiebantur. Non aliter ſi noſtri affectus filij noſtræ carnis clamabunt, obturantes quaſi aures noſtræ rationis, eos non audiamus: nec ſibilis
Phil. 3. oris eorū pareamus: ſed, vt Apoſtolus admonet, vltrò petamus: Quæ retrò ſunt obliuiſcentes: ad ea,quæ ſuperiora ſunt,extendentes noſmetipſos.
Curra-

Curramus ergo ad optatam vitæ palmam. Nec ſæculi clamoribus obediamus, nec Babylonum votis pareamus. Si à nobis cantiones exegerint, illos non audiamus: ſed oculos ſurſum leuantes, charam aſpiciamus Sion, & inſuper ſcopum vitæ noſtræ ipſam putemus. Non tamē immemores pietatis, & iuſtitiæ Dei hæc ſemper memoriter hæreant, & fixa præ oculis habeamus, videlicet, vt pium ipſum diligamus & tāquam iuſtum timeam⁹. Hæc recordatio Sion ſufficit ne filij Iſrael modulētur, ne ſua organa pulſent: electi ſui ne auidè lutulenta prædia affectent, nec indecenter voluptatibus, & delitiis ſe inuoluant. At quia obliti ſumus Hieruſalem: ideo pſallimus, exultamus, & lætamur Babylone. Quod ſi illud tremēdum Dei iudicium in mente haberemus, & quo noſtra corpora peruenięt, in eſcā vermibus tradenda, quo illecebris impinguamus, & voluptatibus oblectamus: verè iniquitatis oſtiū tam patulum non haberemus. At nonnullos videas tāquam cribrū, quo aqua funditur aut quo farina mundatur, quod furfures ſeu paleas in ſe retinet, ac mūda pellit. Recordamur voluptatum, & immunditiæ carnis, vt cum offenſione Dei in ſimilibus ſpurcitiis volutemur: haud recordati Sion, & Hieruſalem: ſiquidem abdita Dei iudicia multo retrò omittimus. Rigidè in nobis illata cōuitia perpendimus, & gehennalium flammarum non recordamur: nec ſerpentū, qui viſcera mordent meminimus. Porrò in omnibus delictis, & conuitiis nullatenus Dei meminimus, ſed potius creaturæ recordamur. Proptereáque tā longè abſentes à patria, & ab illius memoria Sion alienati cùm ſimus, ideò cum iucunditate hanc miſerā vitam degimus. D. Aug. in hunc locum Pſalmi

ſcribens, nō nihil à literali & germano ſenſu de-
uiare videtur. At ne hoc honoris ab eo tollamus,
ipſius ſententiæ alludimus, nec reijciendam fore
putamus: Sufficit enim ipſum dixiſſe, vt illi aſ-
ſentiamus, ſicut in omnibus quæ (vt fateor) ſa-
piēter, & propè diuinitus exarauit. Dextera mea
(inquit Auguſtin.) eſt vita æterna, ſiniſtra autem
mea eſt vita temporalis. Semper enim dextera ſi-
gnificat quæq; proba, & honorifica: ipſa namque
dextera eſt ſedes honoris. Vnde S. Matth. inquit
quod in nouiſſimo die probos ad dexteram po-
Mat. 25 net, malos autem ad ſiniſtram. In quibus planè
verbis nihil aliud ſibi voluit, quàm quòd iuſti
in die illa exaltabuntur, & honorabuntur: mali
Pſalm. autē & iniqui punientur, & conuitiis afficientur.
109.] Et cùm in Pſalmo dicit æternus Pater Filio ſuo:
Sede à dextris meis: idem eſt, ac ſi diceret illi, vt
requieſcat, & glorietur in ſupremis, & optimis
bonis gloriæ. Nam ſedere quieti congruit, & à
dextris eſſe, magnalibus, & honorificis bonis po-
tiri. Et ſecundùm hanc D. Aurelij expoſitionem,
cùm populus Iſraeliticus inquit: Obliuioni de-
tur dextera mea: Nō ſecus eſt ac ſi diceret: Faxit
Deus vt cæleſtibus nō fruar bonis, ſi non memi-
nero tui ô Hieruſalē. Modò quamuis (vt ipſe Au-
guſtinus ponderat) ſecus ſe res habet. Quamplu-
rimi enim hūc ordinem euertunt, hinc, inde pro
ſuo placito cuncta diſponentes, & quæ à dextris
locanda eſſent, à ſiniſtris transferre videntur, &
contra. Apud ipſos namque cœleſtia bona à ſini-
ſtris, abiectaque ſunt, & à dextris lutulenta, &
terrena prædia locant. Porrò nihil pretioſius,
nihilve ſublimius apud ipſum peccatorem,
quàm ſtercus terræ: & ſubinde apud eum ni-
hil abiectius quàm bona gloriæ. Vnde Regius Da-

uid in Pſalmo de ipſis peccatoribus loquens ad hunc propoſitum ait : Dextera eorum dextera iniquitatis, & dudum ſubſequitur de hac ordinis confuſione. Quorum filij ſicut nouuellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ad ſimilitudinem templi. Promptuaria eorum plena, &c. Beatum dixerũt, cui hæc ſunt. Attendite, quàm primùm enim dixit: Dextera eorum dextera iniquitatis, tam dexteræ, quàm ſiniſtræ, tranſpoſitionem ſubiunxit, omnia inordinatè confundens : & quæ ad læuam oportuerat ſtare, dexteram verſus appoſuit, dicens : Hæc prophana, & lutulenta, beatitudinem eſſe, & ipſis potientes beatos. Adhæc, quia ipſa dextera eſt beatitudo, à dextris hæc fore ponenda, quæ beatitudinis dona ſunt non ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum falſam hominum æſtimationem. Ideóque dixit pſaltes: Dextera eorum, dextera iniquitatis. O quàm plenus mundus eſt huiuſmodi iniquis hominibus : Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. An fœlix ille Nabal Carmeli rebus ſuis ſeruiens, ipſis mancipatus, & ſubiugatus erat: non Dominus, ſed rerum ſeruus, eo vt virtuti cuncta præferret, & etiam quos in monte Carmelo greges paſcebat magis amabat, quàm ipſum Deum diligeret, aut potius cui obſtrictus erat, videlicet Dauid : qui tot tamque innumera in illum beneficia contulerat, debitum rependere: ita vt cùm ipſe ad maximam penuriam deueniſſet, & ſui ſimiliter, ipſe Nabal inter opiparas dapes temulentus, tam grande celebrauit conuiuium, de quo ſcriptura ait : quod fecit conuiuium quaſi conuiuium Regis, adhuc tamen inſulcè ſatis nunciis Dauid reſpondit, & inſolenter, dicens.

Pſ. 143.

Phil. 3.

Tollã panes meos,&aquas meas,& carnes peco-
1. Reg. 25. rum,quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio,vnde ſint: Sic ſui criminis debitum pretium Deus dedit Nabal & meritas ſibi, quas modò pœnas luit,impoſuit: quem intra decem dies occidit: & cui tempus ſuggeſſerat pœnitendi,nec tamen anſam ſalutis arripuit, tandẽ morte periens in gehennalibus flammis ſepultus eſt. Non ſecus hanc eandem pœnam ſubibunt, qui dexteram ſiniſtram faciunt: & contra.Atque homines eiuſdem genij ſunt vt ipſo Deo cætera prę̨ferant. Quæ omnia remanant ex eo, quòd Dei obliuiſcuntur, reliqua huius ſæculi terrena mente fixa tenent. Faxit Deus vt ſupernis non fruar bonis, nec illius optatam faciem videam,& omnia bona vera animæ meæ non in me veniant,ſed cũcta diſcedant à me, ſi nõ meminero tui ô Hieruſalem, & mihi dulcis Sion.

Poſt etiam intelligi per dexteram virtus, & operatio ſtudioſa,quia ipſa dextera fit quicquid honorificè, ſtudioſè, & laudabiliter fit.

Obliuioni detur dextera mea.)

Hoc eſt non accepta ſint Deo, nec remunerentur opera mea. Obliuiſci enim dicitur. Cùm non ſuggerit, aut opitulatur Deus. Vnde in Pſal.
Pſal.12. habetur: Vſquequo obliuiſceris me in finem? Et
Pſal.43. alibi: Obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ. Vel ſic: Non vltra Deus recordetur ſubuenire dexteræ meæ: nec amplius auxilium opémq; ferat mihi. Solet enim Dei protectio per aſſiſtentiam dexteræ Dei ſignificari: vt in Pſal-
Pſalm. 120. mo: Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, ſuper manum dexteram tuam.

Aduerte autem quod populus Hebræorum non tantum plorat captiuitatem ſuam, quantum

ipſum caſum, & miſerabilem ruinam Hieruſalem: & ſic in primordio iſtius Pſalmi rationem ſui luctus reddentes dixerunt; Dum recordaremur tui Sion ſuper flumina Babylonis ſedimus & fleuimus.) O Sion, tuā ploramus miſerabilē ruinam, & duram vicem dolemus tuam: facta ſub tributo es, quæ domina gentium quōdam fuiſti. Et hic dicit: Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Hoc, parcere cantibus, & fidibus, & organis ſuis: hoc inſtrumenta ſuſpendere ſua non tantum pro miſeræ ſuæ captiuitatis dolore faciebāt, quàm quòd meminiſſent Siō, & labefactatæ Hieruſalem. Nam vera charitas magis pro laboribus, & calamitatib. ſui proximi dolere debet, quā de ſuis perſecutionibus. Egregius ille protomartyr Stephanus inter lapidum aceruos lapidantium miſeram ſortem magis dolebat, Et ita pro ſuis doloribus non conqueritur, ſed pro ſuis hoſtibus dolens, dixit ad Deum: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et ſanctorum princeps Chriſtus in ara Crucis torridus, & liuore confectus, & ipſi affixus patibulo, oblitus dolorum ſuorum, magis angebatur pro inimicorum ruina: & ſic pro illis orauit ad patrem dicens. Pater ignoſce illis, neſciunt enim quid faciunt: O vtinam in noſtri ſæculi diuitum pectoribus hæc charitas arderet: & eximiam, quam adhibent curam in ſuis vel minimis neceſſitatibus fauendis, nonnihil haberent ſtudij in ſuccurrenda pauperum miſeria. Porrò ſi charitatis ignem haberent, & proximorum mala, & penuriam ſentirent, ſicut & propriam requirunt nuditatem, non vtique egenos fame perire paſſim cerneres: nec tanta viduarum, ſeu cœlibum pauperies vigeret. Non ſic ille propè diuinus

Tren. 1.

Actor. 7

Luc. 23.

ipſum caſum, & miſerabilem ruinam Hieruſalem: & ſic in primordio iſtius Pſalmi rationem ſui luctus reddentes dixerunt; Dum recordaremur tui Sion ſuper flumina Babylonis ſedimus & fleuimus.) O Sion, tuã ploramus miſerabilẽ ruinam, & duram vicem dolemus tuam: facta ſub tributo es, quæ domina gentium quõdam fuiſti. *Tren.* 1.
Et hic dicit: Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Hoc, parcere cantibus, & fidibus, & organis ſuis: hoc inſtrumenta ſuſpendere ſua non tantum pro miſeræ ſuæ captiuitatis dolore faciebãt, quàm quòd meminiſſent Siõ, & labefactatæ Hieruſalem. Nam vera chariras magis pro laboribus, & calamitatib. ſui proximi dolere debet, quã de ſuis perſecutionibus. Egregius ille protomartyr Stephanus inter lapidum aceruos lapidantium miſeram ſortem magis dolebat, Et ita pro ſuis doloribus non conqueritur, ſed pro ſuis hoſtibus dolens, dixit ad Deum: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et ſanctorum princeps Chriſtus in ara Crucis torridus, *Actor.* 7
& liuore confectus, & ipſi affixus patibulo, oblitus dolorum ſuorum, magis angebatur pro inimicorum ruina: & ſic pro illis orauit ad patrem dicens. Pater ignoſce illis, neſciunt enim quid faciunt: O vtinam in noſtri ſæculi diuitum pectoribus hæc charitas arderet: & eximiam, quam *Luc.* 13.
adhibent curam in ſuis vel minimis neceſſitatibus fauendis, nonnihil haberent ſtudij in ſuccurrenda pauperum miſeria. Porrò ſi charitatis ignem haberent, & proximorum mala, & penuriam ſentirent, ſicut & propriam requirunt nuditatem, non vtique egenos fame perire paſſim cerneres: nec tanta viduarum, ſeu cœlibum pauperies vigeret. Non ſic ille propè diuinus

2 Cor. 13. Apoſtolus faciebat, qui propterea quod aliena tamquam ſua mala ſentiebat, dixit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur,
Rom. 9. & ego non vror? Et alibi pro ſuorum ſalute proximorum cupiebat & ipſa mala pati, dicens: Optabam enim ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Sanctus ille Domini præcurſor ergaſtulo incluſus, & ligatus catenis, magis do-
Math. 11. lebat ſuorũ diſcipulorũ cæcitatem, quàm ſuam propriam calamitatem, & afflictionem. Quam obrẽ ad Chriſtũ miſit eos, vt ſic mirabilia Chriſti opera cernentes, cum noſſent, & ſuæ cæcitatis tenebras abolerent. Ipſe namq; gloriosus Ba-
Luc. 7. ptiſta noxam ſuorum magis ſentiebat, quàm ſui atri carceris vincula horreret. Ea ita ſuæ iuſtitię, aut libertatis cura eum non tenebat: ſed ſuorum diſcipulorum ignorantia contriſtabat, & eoruũ ſalus illum maximè angebat. O chariſsime, Deũ precare, vt in tuum pijſsimus ingerat pectus ſyncæram proximorum charitatem: vt quodam animi feruore, inſtar optimi Chriſti ſectatoris, magis eorum ruinã doleas, quàm pro tuis afflictionibus te excrucies. Nõ ſecus Hebræi fecêre, qui modulamina, & pſalmodiã, omniaq; muſices inſtrumenta abdicabant, nec pro ſus oblectari volebant, dum recordabantur Hieruſalẽ, nec fore ſibi lætandũ ducebant, donec in priſtinam gloriam reſtitutã eam cernerẽt. Vnde ſubſequens carmen addunt, dicentes: Si non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.) In Græco habetur, Ἐὰν μὴ προανατάξωμαι, hoc eſt, ſi non præpoſuero. Si non prætulero luctum Hieruſalẽ, & eius dolorem omni gaudio Babylonis. Omni namq; terrę gaudio, & lætitia, gaudiũ Dei præire debet. & omnibus pręferri. Amplectere huius ſæculi prædia, at prę omnibus di-

liges Deum. Diues eſto, opibus abunda: dũ modò æternas diuitias grandiores reputes, & incõprehẽſibilis menſuræ. Non peccat diues eo quod diues ſit, nõ præſes, nõ coniugati, nec qui illecebris educatur: verùm quod nocet, illud eſt, hæc omnia magis, quàm ipsũ Deũ diligere. Modò recordatio Siõ ſæculi memoriæ præferẽda eſt: & lętitia, Hieruſalẽ, gaudio Babylonis. Quãuis mihi Babylonis delitiæ ſint, pereã ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ, malum ſit mihi ſi illã omnibus non prætulero. Nam in pectore meo ſpiritus gaudia vigebunt, & bona Dei meam reficient animam: magis quàm prædia terræ. Attendite, & videte. Lex enim Dei non priuat nos terræ gaudijs, nec ridere vetat. Verùm ne his abutamur nos admonet, atque iubet, videlicet, quod gaudia Babylonis ne dent in obliuionem gaudia Sion: nec in vilipendiũ tradant præmia Hieruſalem. Sic enim habetur in Deuterono. quod dixit Dominus ad populũ ſuum Iſrael, per os Moyſi: Obſerua, & caue ne quãdo obliuiſcaris Domini Dei tui: & negligas mandata eius, atq; iudicia, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie. Neq; poſtquam comederis, & ſatiatus fueris, & domus pulchras ædificaueris & habitaueris in eis, eleuetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti: & de domo ſeruitutis. Et Apoſtolus: Induimini Dominum Ieſum Chriſtum: & carnis curam ne feceritis deſideriis. Vbi Paulus non præcipit nobis, ne letemur, aut gaudeamus, & induamur, & cæt. ſed quòd illud non ſit in deſideriis, & quaſi effræni equi currentes, aut quaſi nonnulli hominum faciunt auidè & effrænatè, ſuos quoſque affectus ſectantes, in vitiis ſe volu-

Deut. 8.

Rom. 13

tantes. Hoc nimirum eſt, quod fieri vetat, quod fugiamus admonet. Curã carnis habere vos, ſed non in deſideriis, tamquam gentes, quæ ignorãt Deum in paſſione deſiderij & quaſi bruta, quæ dúcuntur paſſionibus ſuis, nec rationem habent. Vnde liquet non conſiſtere damnum in diuitiis, ſeu dapibus, aut veſtibus: ſed in horum abuſu, & inordinato affectu. Itaque ſi gaudium aliquod, & lætitia nobis offertur: in qualibet occaſione lætitia occurrente, prius noſtræ captiuitatis, in qua nunc degimus, miſeriam ab oculos ponamus, quàm lætitiæ dedamus noſmetipſos: vt hoc modo admixione doloris velut miſceatur, ac temperetur noſtrum gaudium: ne fiat gaudium noſtrũ effuſum & maius quàm exulem, & captiuitatis filiũ deceat. Rubẽ filius ſenior Iacob, quoniam dormierat cum Bala nouerca ſua, & patris ſui Iacob vxore, poſtea pater dixit ei: Effuſus es
Gen. 35. ſicut aqua. quaſi aqua, quæ funditur, quæ nullũ
Gen. 49. veſtigium ſui in vaſe relinquit, nec ſaporis, odoríſue: ſic effrænatè & quadam nimia auiditate peccaſti, quaſi beſtia abſque vlla Dei, ſiue mortis recordatione, nec inceſtus, quem commiſiſti, & iniuriæ, qua patrem tuum affeciſti. Pleroſq; videas peccatores, qui ſunt quaſi equus & mulus
Pſal. 37. (vt inquit Pſaltes) in quibus non eſt intellectus: quos nõ tenet horror, ipſique tã effrænatè peccant, vt nihil eos contraxiſſe pœniteat. Vaſa, quæ in ſe alios continent liquores, vt balſamũ, oleum, vinum, lac, &c. hæc ſi fundas nihilominus remanet in vaſe aut odor, aut calor, & cæt. aut aliquod horum veſtigium: quo cernitur, talem in ſe cõtinuiſſe liquorem. At cùm funditur aqua nihil omninò in vaſe remanet, nec veſtigium eius. Caue tibi, ô homo, ne forſan ſi peccaueris, fundaris

velut aqua prorſus oblitus Dei: ſed ſiſte gradum parumper, & conſidera prius omnium horũ finem, & te pudebit peccare. Verùm quoniã multi in ſecundis rebus & doloſis, nec veris huius ſęculi voluptatib⁹ ſine aliquo termino, nec ratione peccare cõſueuerunt, vult piiſſimus Deus anguſtias, & labores cum his bonis miſcere, & temperare, ne corruamus. Sic per Oſeam animę peccatrici, quæ dicebat: Vadam poſt amatores meos qui dant panes mihi, & aquas meas, & lanã meã, & linum meum, & potum meum. Subdit Dominus: Propter hoc ego ſepiam viam tuam ſpinis. Ideo enim Deus viam noſtram ſepit ſpinis: quia effrænatè delinquimus. Spinæ nãq; & tribuli pũgunt, & malè torquẽt. Sic etiã in anima peccatrice Deus tribulos ſepit, qui pungant, fodiãt & dilacerent malam & labefactatam eius conſcientiã. Cuncta ſæculi gaudia mixta ſunt amaritudine: cuncta mundi prædia dolore parta ſunt. Omnes carnis voluptates, tædio cõflatæ ſunt. Omnis eorum amor in odium conuertitur & luctum. Nec ſimpliciter eadem nobis adeſſe permiſit Deus. Aſpice quidnam ſacra ſcriptura dicat de illo Aman, Egreſſus eſt itaq; illo die Aman lætus & alacer: cumq; vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij, & non ſolum non aſſurrexiſſe ſibi, ſed neq; motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ, indignatus eſt valde. En quàm ſit comes & ſocia ira & indignatio huius ſæculi gaudiis. Et ſubdit ſcriptura deinde quod conuocauit Aman coniugem ſuam Zares, & amicos ſuos, & oſtendit eis magnitudinem & opulentiam diuitiarum ſuarum, & dixit: Et cùm hæc omnia habeã nihil me habere puto quandiu videro Mardochæũ Iudæũ ſedentem ante fores regis, &c. Nunc licet cõſide-

Oſee. 2.

Heſt. 5.

rare miſeram horum ſæculi magnatum,& principum ſortem,cùm paruus dolor,leuis triſticia & modica exacerbatio plus torquet animum eorum,& vrit,quàm omnes ſæculi delitiæ poſsint iucundare illos, ſicut & hic temulentus confitetur Aman. Hoc ipſum Deus videtur facere, vt piiſsimus videlicet, vt cùm in omnibus his verum & completum gaudium non inueniamus, omnem fiduciam, omnéque animi deſiderium ad alta tollamus, & in ipſo locemus: & hiſce vtamur ſæculi rebus, tamquam viatores,& peregrini.

Nec myſterio carere videtur,dicere ibi: lætitiæ meæ. Hoc eſt Hieruſalem ego præferam lætiæ meæ. Nam iuſti & Dei amici,honorem Dei, & communem vtilitatem zelantes, ſuis lucris præponunt. De ſancto illo ſene Simeone inquit

Luc. 2. B.Lucas,quod expectabat conſolationem Iſrael. Quo loco B.Ambroſius aſſerit.Bene iuſtus,quia nõ ſuam,ſed populi gratiam requirebat. Vtinam modò Deus huiuſmodi hominum grandem ſuggereret nobis copiam, qui rempublicam moderarentur. Secus enim ſe res haberet,ac modò ſe habet. At iam illa ętas aduenit, de qua D.Paulus:

Phil. 3. Omnes quærũt quæ ſua ſunt,nõ quæ Ieſu Chriſti,Omnes in peculiaribus, & priuatis, ſuiſq; lucris ſtudent,& huiuſmodi mũdus ſcatet hominibus qui ſub zeli ſpecie ſe autumant pro cõmuni vtilitate inſudare, & quæ ſua ſunt, occultè prætendunt.

Num. 35 Phinees,quoniam peremit Madianitam illam ſummi Pontificij ſedem obtinuit. Modò verò rari ſunt, qui ſi viderint Dei honorem ſolo æquatum,illum ardenti pectore exigant. Apoſtolus Dei ad Timothæum ſcribens, & inter agendum de multis hominum vitiis,in hęc verba pro-

rumpit: instabunt tempora periculoſa: Erunt homines ſeipſos amante, ſcupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, &c. Horum quaſi fundamẽtum, & petra malorum, & ſuper quod alia nituntur, eſt proprius amor, & ſic primùm dixit. Erunt homines ſeipſos amantes. At nos gloriam noſtrã ne Dei præferamus honori, nec obliuiſcamur ſion: quamuis fallax, & inimica caro ad ſuas vanitates inducat. In omnibus, quæ fecerimus, Deũ præ oculis hebeamus, vt ſancta cordis compunctione muniti eius gratiam obtinere valeamus, & poſtea præmium ſempiternum. Amen. 1. Tim. 3

CONCIO V.

Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Hieruſalem.

PLANVM, & ſatis ſupérque notum eſt, quod Iſaac filius Abrahæ Patriarchæ duos ſuſcepit ex Rebecca liberos: quorum alter Eſau, alter Iacob dictus eſt. Iacob autem geminũ nomẽ ſortitus eſt. Nam cùm antea Iacob diceretur, poſtea cum Angelo luctans, nouum illi nomen addidit Angelus, & impoſuit illi Iſrael: quod eſt, Vir Deum videns. Vnde liquet, quod ipſe Iacob dupliciter nuncupatus eſt, videlicet, & Iacob, & Iſrael, à quo populum Dei deſcendiſſe legimus; quem Iſraeliticũ appellamus, aut filios Iacob alio nomine. Hic populus à Deo electus, & legis diuinæ cultor, eſt ipſe, de quo in noſtro Pſ. diximus, in miſeram Babylonis captiuitatem fuiſſe redactum per Nabuzardam moderatorem exercitus Nabuchodonoſor Regis, & eius mali- Gen. 25 Gen. 32.

tiæ equitum ducem ſub imperio, & dura ſerui-
tute ipſius Nabuchodonoſor conſtitutum. Simi-
liter & Eſau frater Iacob geminum, nomen ſor-
Gen. 25. titus eſt. Prius namque dictus Eſau, poſtea Edom
nuncupatus eſt. Cùm natus fuit, dictus eſt Eſau,
quia piloſus erat. Denique verò Edom appella-
tus eſt quaſi rubeus, pro illo cibo lentium rubeo,
quo frater ſuus Iacob illum cibauit, vt Gen. 25.
ſcriptum eſt: & optimè adnotat D. Hieronymus
in primum caput Abdiæ Prophetæ: Et habitauit
Eſau in monte Seir, & filij & ſucceſſores eius: vt
Gen 36. in Geneſi habetur. Porrò Eſau, Edom, & Seir,
vnus, & idem ſunt. Vnde deſcendẽtes ab Eſau, di-
cuntur filij Edom, horum habitatio, Idumæa. Et
quando Eſaias dicit: Ad me clamat ex Seir: Et
Eſa. 21. Ezech. 35. Ezechiel 35. Ecce ego ad te mons Sier: loquitur
cũ Idumæa, quæ montẽ Seir poſſidebat. Abdias
aduerſus Idumæã prophetauit: Hęc dixit Domi-
nus Deus ad Edom. Itaque populus Iſraël, & I-
dumæa ex aduerſo erant, quaſi duæ tribus à duo-
bus gemellis, & fratribus deſcendentes, videlicet
Iacob, & Eſau. Modò quando iſti Babylonij pe-
rierunt Hieruſalem, & aſcendentes ciuitatem, &
templum eius deſtruxerunt, captiuantes populũ
Iſrael, filij Edom, hoc eſt, Idumæi deſcendentes
ab Eſau, auxiliaturi Iacob, non tamſn fecere, ſed
gauiſi valdè ſuppetias ferentes Chaldæis, eis ani-
mũ adhibebant, aduerſus fratrẽ Iacob, & Iſrael.
Itaque populus Iacob à Chaldæis, & pariter ab
Idumæis perſecutionẽ tulit, & ideò propter hoc
ipſe conqueritur de Edõ in duobus ſubſequenti-
bus verſibus, & in duobus reliquis, quibus cum
Pſal. finitur, de ipſis Babyloniis. Et notare licet
quòd populus Iſrael prius imploret Dei auxiliũ,
& vindictam aduerſus Edom apoſtrophans ad

Deũ, & mox aduerſus Babylonios. Nam qui variis ictibus transfixus eſt, prius dolet de maiori ictu, qui eum magis torquet. Modò noſtrorũ illata vulnera magis ſentimus, atque dolemus, quã aliorum, & exterorum inimicorum. Quippe qui, ſi fortè ibi aliqua eueniret calamitas, aut proditio fieret, & noſſes filium tuum, ſiue fratrem, aut amicũ aduerſus te ſuppetias ferre, planè hoc maximè ſentires videns eum qui auxilium, & opem foret laturus, proditorem factum eſſe. Adhuc tamen apud Hiſtoriographos habetur, inter quos Suetonius Tranquillus ſcribit, quòd quando illi conſpirauerunt vt Cæſarẽ interficerent, quem in Senatu ignominiosè interfecerunt, viginti tribus pugionis ictibus transfixerunt: at Cæſar videns Brutum, quem eximio amore proſequebatur, & tanquam primogenitum ſuæ rei familiaris hæredem creauit, inter proditores, & ſicarios eſſe, hic dolor maximè illum torſit, & ſuper omnia vulnera ſenſit, dicens: Et tu fili? Et Regius Pſaltes inquit: Homo pacis meæ, in quo ſperaui, magnificauit ſuper me ſupplantationem, &c. Quoniam verò Iſrael fratris Eſau ſibi illatæ iniuriæ magis doluit, ſic prius de Idumæa, & Edom conqueritur, quàm de Babyloniis & vindictam à Deo poſtulans, & oculos in alta tendens, dicit: Memor eſto Domine, filiorum Edom in die Hieruſalem.) Oratio eſt eclyptica, hoc eſt, defectum patiens, cuiuſmodi eſſe ſolẽt orationes imprecatoriæ, vt ipſa etiam loquendi forma, animi indignatio, & rei indignitas, pro qua fit imprecatio, oſtendatur. Vocat diem Hieruſalem, diem deſolationis, & deſtructionis eius, cùm ab ipſis Chaldæis diſſipata eſt. Ad hunc ſenſum habet intelligi illud Eccleſiaſtici: Mihi heri, tibi

Pſalm. 40.

Eccl. 38.

hodie, Hodie tribulor & perſecutionem patior: cras eandem patieris tu. & illud Pſalmi: Dominus irridebit eum: quoniam proſpicit, quia venit dies eius. Vbi de ipſo peccatore loquitur, cuius diem vocat ſupplicium eius, in cuius interitu Dominus ridebit, & ſubſannabit eum. ſimiliter habet intelligi illud Hieremiæ. Diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Ac ſi diceret: Nemini malum optaui: ſed pariter omnibus bonum deſidero. Neminem anxiatum velim, ſed omnium expto ſolatiumr. Nunc verò loquens Iſrael, ac ſi diceret. Memento Domine filiorum Edom, &c. Protector noſter, Deus Iſrael, da filiis Edom ſecũdùm ſcelera ſua. Ne obliuiſcaris Domine, iuſtitiæ tuæ: & ea animaduerſione illos affice, quã verſutia illorum poſtulare videtur, quippe cùm in die deſolationis Hieruſalem cùm hoſtes irruerent in nos, vt captiuos nos ducerent; ipſi quoque cõfines noſtri, & qui velut fratres nobis ſuppetias laturi eſſent, & opem ferre deberent, defendentes nos ab ipſis: veruntamen conciliati aduerſus nos iram inimicorum acuebant, & illis animum ad hibentes, cum quodam impetu clamantes dicebant: Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea. Memento Domine, ne tam ſæua libido, & tyrannis impunè relinquatur. Ægrè tulerat Idumæa videns fælicem ſortem fratris, ac confinis ſui Iſrael, & poſtea in afflictionibus eius gaudebat, & oblectabatur. In quibuſnam vigebat & ardebat liuor? Inter fratres. Ea eſt noſtri ſæculi calamitas, ad eum ſtatũ res peruenit, vt inter cognatos, & conſanguinitate affines reperiatur inuidia. Nec ita moleſtè feres videns extraneum, & alienigenam ad magnã honoris ſedẽ aſpiraſſe, quàm cùm huiuſmodi fra-

ter, aut tiui notus eſt. Dum quis videt alium ſibi coæuum, qui ab ineunte ætate conuenerunt inter ſe, & prima rudimenta literaria adhuc paruuli didicere & trocho, calculiſue ludebāt pariter incedentes, modò eundem cernens in grandi ſtatu, & honoris culmine ſublimatum, peculiariter tamen, ſi, vt rerum eſt viciſſitudo, & ſua aduerſa ſors ſubditum illi traxit, hoc moleſtum, ſatis ſuperque graue noſtræ naturæ videtur. Nec facilè fert, & eum malè torquet. ita prorſus filij Iacob grauiter ferentes quòd ſuus frater Ioſeph eis dominaretur, quem æquo animo Ægyptij tulerunt, & libenter ei obtemperarunt extranei, quem ſui fratres vendiderant. Horrendum, impiumque eſt, & execrandum valde de proximorum laboribus, & aduerſis oblectari, & pro bonis fratris ſui pœnitere. Quiſnam Regem Dauid adeo vexauit, & variis perſecutionibus, & inſidiis vſquequaque confuſus ei mortem parauit: Saulis inuidia, quæ pectori ſuo hærens feruebat, eo quòd fœminæ Iſrael choros ducentes canebant: Saul percuſsit mille, Dauid decem millia. Et filius ſuus Abſalon magna ambitione & libidine correptus patris ſui regnum vſurpare conatus eſt. Numquid Chriſtum Dominum crucis patibulo aliud affixit, quàm hæc dira nimis, & truculenta beſtia? ſanctus Ioannes de Pilato inquit, quòd ſciebat quia propter inuidiam tradidiſſent eum. Hūc autem liuorem non Arabes, nec Proſelyti habuere, ſed ipſi Iudæi: & ita dixit illi: Gens tua, & Pontifices tui, tradiderunt te mihi. Gens tua (inquit) quaſi domeſtici tui, & quos tu educaſti. Mirabile erat illud Heli ſacerdotis: de quo ſacra ſcriptura inquit, quòd non poterat videre lucernam, donec extinguebatur, eo quòd de-

Gen. 37.
Gen. 41.
1. Reg. 1
Ioan. 19
1. Reg. 3.

biliſſimum organum viſus haberet. Sic quoque qui inuidia flagrant aſſiſtere nequeũt bonis aliorum operibus, quæ irrita facere ſtudent,& pro ſuis viribus tenebris offundere contendunt. Hi ſolùm aliena crimina coniectant, his aluntur,& oblectantur, hæc obſeruant, vt aliis obiiciant. Nec præclara ſtudioſorum facinora aliqualiter cernunt: quinimmò tanquam lippi coruſcatione fulgoris bonorum læduntur. Dum ſus quendam hortulum roſis conditum ingreditur, ibi ſtercus, in quo volutetur, cernens, ad idem currit, minimè de floribus curans. Non ſecus habet ingenium malorũ, qui velut ſcarabei limo aluntur, quærentes proximorum defectus, in quibus ſuam libidinem exercentes, viuant: Paruulum
Iob 5. occidit inuidia: inquit Iob: Id eſt, cordis inopem, & strictum occidit inuidia. Nam eò puſillanimes ſunt, & miſerabiles, vt illud, quo reliqui viuunt, illis noceat,& fulgens vita iuſti illis mors eſt. Num maiorem hac vidiſtis miſeriam, & animi mendicitatem? Propterea aptiſſimus locus, & congrua ſedes inuido infernus eſt. Nam dicito mihi, quid in cælo inuidus faciet? Si fieri poſſet, vt liuore correptus qui eſt, cælum ingrederetur, quidnam ſibi futurum eſſet? quippe inuidia tabefactus, præ nimio dolore videns ſanctorum gloriam tandem rueret. Nam inuidia eſt triſtitia de bono alieno: quid ſi bonum illud, & gaudium perenne eſt? Ideoque proprius ſibi,& accommodatiſſimus locus, barathrum eſt, & ſedes inferni, vbi perfecta miſeria, & ingens luctus, liuidus inter liuidos: Et ſiquidem tam egregiam, támque ſplendidam ſedem obtinent, quieſcere relinquamus eos, Modò Idumæa ſui fratris Iſrael fœlices euentus, & ſortem optimam, & quòd

& quòd populus Iacob eſſet populus Dei dilectus, & filij Edom ſubſtituti Iſrael, & ſubiecti: Nam Regius Dauid impoſuit tributum Idumææ, quod ſolueret populo Iſrael, & cùm huius rei inuidia cauſa eſſet ſui mœroris, nunc miſera ruina Iſrael gratulabantur, & hoſtis animum adhibebant, quo dolore transfixi filij Iacob ad Deum conuerſi, de illorum tyrannide conquerentes, dicunt. Memor eſto, Domine, filiorum E dom.)

Sed dicet aliquis: vt quid hoc? Nunquid iuſti aduerſus hoſtes vindictam efflagitant? Numquid gaudent pro damnis ſuorum inimicorum, & obtrectantium, ſeu deſiderant, vt ira Dei deſcendat ſuper eos: Vnde licet notare, quòd hoc ipſum, quòd aſſeritur hic, quãuis videatur imprecatoria oratio, quia huius ſpeciem ſortitur, & quaſi affectus vindictæ in eo oſtenditur, ſecundum tamen rei veritatẽ longè res ſe habet. Nam eſt quædam prophetia, in qua egregius Pſaltes duram Idumææ animaduerſionẽ venturam prædixit, ob tyrannidem, quam in fratrem ſuum Iacob exercuit. Sic enim poſteà contigit. Nam occulto Dei iudicio funditus euerſa, & deſtructa fuit, vt habetur apud Herodotũ, & in libro Danielis, & in libr. Iudith, exarata Cambyſis Syriæ Regis manu, alio nomine, Nabuchodonoſor, appellatus: qui mittens ſui exercitus ducẽ Holofernem cum maxima copia, obiter expugnauit Syriam, Sobal, & vniuerſam Apamiã, & Meſopotamiam. Venit tandem in Idumæam, vbi diebus triginta commoratus eſt, quam deſolatã reliquit. Sic noſter Propheta in hoc prædixit pſalmo, ſub ſtylo, & modo orationis, & efflagitatæ deprecationis. Nam ea quæ ventura ſunt variis

ſcio; Domine, quòd recordaberis filiorum Edom, & futurum eſt, vt recorderis eorum, & iram tuam in eos exercebis: & debitũ ſui criminis pretium obtinebunt, dum venerit Holofernes, & diſſipabit eos. Hoc ipſum, quod noſter Regius Pſaltes prædicit, idem omnino alij duo Prophetæ ſatis inſignes nimirum Hieremias, & Abdias, prophetârunt. Ipſe quidem Hieremias tanquam oculatus teſtis, & propriis oculis Idumeæ ruinam vidit, dum Chaldæi deſolauerunt Hieruſalem, ipſe manſit in monte Sion fixis inuicem manibus, humíque fixus, miſeram Hieruſalem ſortem fleuit amarè, & tactus cordis dolore prorupit aduerſus Edom, dicens: Viſitabit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperiet peccata tua, &c. Similiter Abdias prophetans Edom, dixit, Viſio Abdiæ. Hæc dicit Dominus ad Edõ, &c. Denique poſtquam multa flagella retulit ſuperuentura illi, huius rationem reddit euentus dicens: Propter interfectionem, & iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio, & peribis in æternum. Ex præfatis planè colligitur iniquorum ſupplicia, & quanta maxima cum eorum confuſione ſua Deus manifeſtabit peccata, & quod Idumæa vſquequaque peribit. O quanta confuſio, & quantus erit dolor in die illa, quando maximus Deus abdita eorum crimina nota faciet, & cogitationes cordium perſcrutabitur. Cùm venerit in nouiſſimo die Chriſtus Dominus (ait Paulus) illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Quid erit tibi, ò peccator, in illa die, cùm Deus animaduertens in te ſicut in Edom, qui ſocius fuiſti ei in malitia, & in tyrannide conſors, & in inuidia ſimilis: & diſcooperiet peccata tua?

Thre. 4.

1. Co. 4.

Quid dices? quid reſpondebis? Quonam te vertes, cùm videris, quod nimium abdita & occulta inimicis tuis patebunt? Tunc fiet ſcrutinium noſtrorum cordium, & vniuerſis patebunt, quæ peculiaribus amicis horrebamus oſtendere. Iudicium Domini cum habitatoribus terræ, ait S.

Oſee 4. Propheta Oſeas. Non eſt enim veritas, non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt: & ſanguis ſanguinem tetigit. Hæc, & ſimilia crimina acerrimè Deus puniet, quamuis tacere modo videatur, & nobiſcum diſſimulare, & limis quaſi oculis noſtra opera inſpicere. Quando filij Iſrael iuſſu Dei exierunt de Ægypto ad terram Promiſ-

Exod. 17. ſionis, iter facientes per deſertum, occurrit eis Amalech, quibus cum durum certamẽ iniit. Hoc Deus ipſo tempore videns tacuit: verùm poſt quadringentos annos, vocauit Deus Samuel, cui

1. Re. 15. præcepit, vt diceret Saul Regi Iſrael hæc verba. Recenſui quæcũque fecit Amalech Iſraeli: quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto. Nunc vade, & percute Amalech, & demolire vniuerſa eius. Interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, & cæt. Putabant illi Amalechitæ non vltrà ſui maximi peccati Deum recordaturum: quibus inopinatè ſuus dies acceſſit, & miſera eos calamitas obſedit, & pretium ſui facti tulerunt. Sic tibi eueniet, qui multiplicas peccata, & inſuper addis: qui & Deum dormire exiſtimas, nec te pudet. Putas Deum iniuſtum eſſe, aut verò quòd noſtra delicta nõ puniet? Putas eum aliqualiter inſcium, nec prorſus ſapientem eſſe, vel quicquid facis ignorare, aut quicquid cogitas, illum latere? Putas quod ſit Deu

tuorum palliator criminum, aut quòd tuis fauebit peccatis? Iudicio contendam tecum, quia dixiſti, non peccaui, ait Dominus per Hieremiam. *Ierem. 2* Sicut euertit Deus Idumæam, & quaſſauit Amalech, ſic in nouiſſimo die tecum faciet, quorum *Eccle 9.* memoriam ex terra delebit. Sicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, ſic capientur homines in tempore malo, cùm eis ex templo ſuperuenerit mors. Ibi ſectio vitiorum in faſciculos fiet, & peccatorum plena combuſtio: vbi etiam apparebunt cogitationes, & pectoris arcana. In magni iudicij die luſtrabit Hieruſalem facibus, & lucernis, vt ipſe per Sophoniam dixit. Et erit in tempore illo, & ſcrutabor *Sopho. 1.* Hieruſalem in lucernis: & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis. Ibi confuſio magna erit, & dura nimis delictorum animaduerſio fiet. Hæc ſuperueniunt eis, qui quaſi effrænes equi, Deum, quem nihil fugit, viciſſim offendunt: ipſe in vanitatibus volutatos, virgis & flagellis viſitabit. Et quoniam in illo tremendo iudicio non modò punientur peccata, ſed prius eorum adiacentia, & quæ aggrauant culpam examinabuntur, peculiariter tyrannis, & acerbitas filiorum Edom, qui Chaldæos alloquentes, & malum animum adhibentes, dicebant. Exinanite, exinanite, &c. D. Auguſt. legit: Euacuate, euacuate: quod idem pollet. Eſt enim quaſi ſimilitudo, & metaphora ciſternæ, veluti, ſi dicerent: Euacuate, euacuate funditus, & exhaurite omnem conſolationem, & lætitiam eius. Nec veſtigium aliquod nec lapis remanſit in Hieruſalem. Non ſemel duntaxat dicunt: Exinanite: ſed viciſſim repetunt, vt oſtendatur magis eorum furor, & impetus verborum, quibus irruebant, animum adhi-

bentes Chaldæis dicentes. Pereant, pereant hi, diſſipate, diſſipate eos. Auferte nomen eorum de terra: & non memorentur amplius, nec ſit Iſrael vltra. Vide quàm exactam curã iniqui adhibent, vt ſuos expleant affectus: quàm recta pergũt verſus Infernum: Mirabile quidem eſt, ſolicitam exactoris curã videre in exigendis redditibus, quos miſer agricola non legit, vt in ergaſtuli tenebras mitti iubet: vt ſoluat debitũ. Porrò ſcribæ, & notarij, & formularum cantores eò intendunt, vt aliorum loculos exhauriãt, & venã crumenæ ſcindant. Et ſimiliter contractores vt rem familiarem ſibi cõparent, quàm ſoliciti & vndiq; nundinas huc, illuc luſtrant, nec quieſcunt. Inſuper luxurioſi, & libidinoſi, vt ſui affectus igniti deſideriũ compleant, quã ſolicitam curam gerunt. Omnes
Hier. 8. conuerſi ſunt ad curſum ſuũ, quaſi equus impetu vadẽs ad præliũ: inquit Hierem. & quaſi effrænes ſuas quique ſectãtur voluptates, & tanquam ſues
Pſal. 13 in limo volutantur. Omnes ſunt ad malum propenſi. Veloces pedes eorum ad effundendũ ſanguinem, omne periculum ſubire non formidant, dũmodò, quòd ardẽti animo ſectãtur, obtineant. Omnem ſubſtantiã conſumunt, vt ſeruiãt voluptatibus ſuis, & illecebris, & valetudini indulgeãt.
Ierem 7 Vnde Dominus per Hierem. conqueritur, dicens. Nonne vides quid iſti faciũt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hieruſalem? Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres cõſpergunt adipẽ, vt faciãt placentas Reginæ cæli, & libent diis alienis, & me ad iracundiã prouocent. Et impiorũ opus, & quam ſint dæmonis ſeruituti deuoti, & ſub illius vexillo militãtes aduerſus Deum. Hæc dira ſolicitudo ſimilis eſt illi, quã Balac Moabitarum Rex adhibuit, vt Baal po-

pulo Dei malediceret. Qui in quendam locū duxit eum, quem cùm bene dixiſſet Baal, Rex ad alium locum tranſtulit, & mox ad alium, vt ſic vbiq; tranſlatus forſan alicubi malediceret, & ſic tantam curam adhibuit, ne defectu impenſæ curę populus, quem Deus benedixit, maledictus fieret. Idem cauillatores illi & verſuti Phariſæi intenderunt, cùm Christus cœcum à natiuitate ſua illuminauit: qui mox eius facti mirifici iudicium ab ipſo cœco exigunt. At poſtquam confitetur Chriſtum hominem frugi, & eximiæ ſanctitatis dono præditum eſſe illum, parentes eius vocant, & poſtea cœcum ipſum ſeducunt, hanc exactam operam, & peculiarem ſolicitudinem impendunt, vt ſuæ deprauatæ intentionis affectum haberent, videlicet, honorem & famam Chriſti obſcurare. O vtinam tantam curam homines adhiberent in exequendis Dominicis præceptis, quantam impij adhibent in ſibi illatis iniuriis vindicandis. Non ſecus Idumæi ira incenſi & indignatione tabefacti, maximo ſpiritu, & feruore ſolicitabant Chaldæos dicētes: Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea. Non vtcunq; euacuate illam, ſed vſque ad fundamentū. Ne veſtigium aliquod eius relinquaits, nec nomen vltra ſit illi. Ingenium impiorum eſt, nomen bonorum euacuare, & funditus eradicare: vt nec memoria eorum remaneat. Sic illi perfidi hoſtes, qui Chriſtum Dominum iuſtorum maximè iuſtum perſequuti fuêre, vt optimè Hieremias prædixit nobis. Cogitauerunt impij ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentiū: & nomen eius non memoretur amplius. Solent

Nu. 23

Ioan. 9

Ioan. 11.

apud quaſdam prouincias & Regna, cùm volunt ſemen aliquod humi iactare, vt eradicent, quæ dudum triticum germinauit, poſtquam ſegetes meſſæ ſunt, mittere lignum magnum, & ponderoſum valdè fixis ſibi cuſpidibus, quo cum humum colentes funditus omnes ſegetum radices euellunt, ita vt tritici veſtigium nullum prorſus ſit, nec meſſis. Hoc eodē modo (vt hac metaphora vtamur) iſti ſibi volunt, quòd tam dira & ingens erit affectio eorum, vt Chriſtum perſequãtur, & lignum crucis valdè oneroſum, vt tam grandi pondere ſuæ acerbiſſimæ paſſionis, vſque quaq; deiectus, ignominioſus, & ſine aliqua gloria, & honore maneat, ita vt memoria eius funditus deleatur. Secus tamen ſolet contingere, ac ſua fert opinio, & animus. Nam per eadem omninò media, quibus iuſtorum honorē deijcere, & obſcurare intendunt, & gloriæ eorum tenebras offundere, eiſdem, inquam, mediis cum maximo trophæo etiam in hoc ſæculo Deus erigit gloriam eorum. Nam quis vnquam mortalium tam immortali ſe condidit fama, quàm Chriſti Domini gloria viget? Nec alicuius nomen glorioſius, & honorificentius propagatum eſt, ac Chriſti nomen, quod vbique gentium iam habetur, & ipſe tanquam verus Dei filius adoratur. Nunquid Hannibal, Magnus Alexander, Cæſar, Auguſtus, aut Pompeius, Traianus, vel ex principibus quiſquã tantã ſibi in hoc ſæculo famam præſcripsêre, aut in futurum tam celebre nomen comparârunt? Nequaquam. Aut quiſnam horum pro Deo habitus? Nullus omninò. Ipſe ſolus eſt qui optimè meritus fuit, vt tantum ſibi compararet honorem. Hoc magnum quippe nomen per crucis paſſionem obtinuit, quod planè

B. Apoſtolus in illa Epiſtola ad Hebræos, nobis *Heb. 2.*
ſignificauit. Videamus Ieſum propter paſſionem
mortis, gloria & honore coronatum: & alibi. Hu-
miliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad *Phil. 2.*
mortē, mortē autem crucis. Propter quod exal-
tauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper
omne nomen. Hic, nomen, pro fama accipitur,
iuxta illud ſapientis: Melius eſt bonum nomen, *Prou. 28.*
quàm diuitiæ multæ. Quod ſi Apoſtolus ſubdit:
Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur: non ſibi
vult, quod per paſſionem inditum ſit illi nomen
Ieſus, nam antequam pateretur, hoc ſibi nomen
erat. Niſi quod in nomine Ieſu, quòd antea non
colebatur, nūc omnis creatura humilietur, quo-
niam ipſe, qui hoc nomen ſortitus eſt vbique gē-
tium pro Filio Dei veneratur, & colitur, & quod
omne genuflectatur: cæleſtium, terreſtrium, &
infernorum. Hoc dixit pro immortali fama apud
omnes, quam per arma ſuæ paſſionis acquiſiuit
in terris. Itaque qua via intendebant impij eius
labefactare honorem, eadem via priſcis ſtemma-
tibus hunc crucis immortalem, & ſempiternum
vbique condiderunt. Dixerunt enim impij, non
rectè cogitantes: Mittamus lignum in panem
eius, & nomen eius non memoretur amplius.
Quod ſecus euenit. Velut filij Iacob memoriam *Gen 37.*
fratris ſui Ioſeph volētes delere, & prorſus abo-
lere, deiiciendo eum, quem etiā Iſmaëlitis ven-
didere. Et quidem ſubimet impoſuerūt, quoſque
ſua refellit opinio. Nam ipſa via exaltauit illum *Gen. 41.*
Deus, & Regem Ægyptiorum conſtituit, & tan- *Gen. 41.*
dem fratres eius adorauerunt eum. Impij viri
ſuum nomen perpetuare conantur, ſicut illi eri- *Gen 11.*
gentes turrim Babel. Veruntamen periit memo- *Pſ 9.*
ria eorum cum ſonitu, & Deus diſperdidit eos,

CONCIO VI.

Filia Babylonis miſera: beatus qui tribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

POSTQVAM Regius Pſaltes in ante habitis verſibus, malum Idumææ prædixit, propterea quod Babylonios impulerat aduerſus Iſrael: modò ſermonem ſuum ad Babylonem conuertit, tanquam ſuæ miſeriæ & calamitatis auctricem, qua cum loquens, dicit: Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi, retributionem, quam retribuiſti nobis.) Phraſis Hebræa eſt, dum filiam Babylonis nuncupat ipſam. Velut Zacharias, cùm dixit: Exalta filia Sion. Et *Zach. 9* Eſaias quoque; Deſcende, ſede in puluere, filia *Eſaia* Sion. mSiliter dicuntur filij nuptiarum, qui tra- *47.* duntur nuptiis, & filiis mortis, qui digni morte ſunt. Miſera, D. Hieronymus legit, vaſtata: & ſimiliter in Hebræo habetur: vaſtata, quòd eſt labefactata, & deſtructa. Nam iudicia Dei ſuperuentura Babyloni prædicens, tanquam certiſſimum quid & infallibile, vaſtatam dicit. quaſi ipſa re vaſtata eſſet iam. Nobis enim nihil certius, quàm quæ iam facta ſunt, & præterierunt. Ob idque cùm Prophetæ homines alloquerentur, apud quos nihil euidentius, quàm ea, quæ facta ſunt: ideo aliquando per tempus præteritum, & non per futurum prophetabant. Sic Regius Dauid de Chriſti Domini incarnatione loquens, dicit: Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & de paſ- *Pſal 71.* ſione Dominica verba faciens ait: Inſurrexerunt *Pſal. 26.* in me teſtes iniquit, & illud; Fui flagellatus tota *Pſal. 72.* die. Foderũt manus meas, & pedeſ meos, dinume- *Pſal. 21.* *Pſal. 68.*

rauerunt omnia oſſa mea. Partiti ſunt veſtimenta mea. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto, & pleraque alia, quæ in Prophetis paſſim inuenies. Sic Babylon, quæ vaſtanda erat, vaſtatam dicit. Modò Babylon, miſera & labefactata: beatus qui retribuet tibi,
Pſa 1. &c. Non habet intelligi verbum hoc, Beatus: ſi-
Pſa. 111. cut accepit illud Regius Dauid in Pſalmo: Bea-
Pſa. 40. tus vir, qui non abiit in conſilio impiorum: aut quando dixit: Beatus vir qui timet Dominum: Et, Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: ſed ſumitur pro optimè laude merito: nam actus, & executio iuſtitiæ Dei, optima, & laudabilis eſt. Et quemadmodum Eſaias, Hieremias, & Ezechiel, & alij ex minoribus Prophetis prædixerunt deſtructionem Hieruſalem: ſimiliter vaſtationem Babylonis faciendam per Cyrum & Darium, qui eam deſolauerunt, prædixere. Nolint autem putare, hi, qui alios perſequuntur, ſe impunè laturos. Veniet namque tempus cùm ferant pretium temeritatis ſuæ. Deus enim maximus tanquam media inſtrumenta ſuæ iuſtitiæ, impios ſumit, vt viſitet & corrigat electos ſuos, & filios, quos temerè diligit, emendet. Poſtea verò non gaudebunt, qui alios perſecuti ſunt: Sic Deus per Eſaiam loquēs
Eſa. 10. de Rege Syriæ: Aſſur virga furoris mei. Ipſe eſt flagellum, quo viſito dilectum mihi Iſrael. Veruntamen ſubdit pòſt ipſe Propheta: Væ Aſſur, ſuſcitauit ſuper eum Dominus exercitum, flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb, & virgam ſuper mare, &c. Poſtquam enim Deus viſitauit populum ſuum, conſolatur eum, & illecebris demulcet: minatus Aſſur & multa, ſibi

mala euentura prædicit. Velut quidam pater, qui filiolum ſuum pro aliqua mænia flagellat, adhuc tamen plorantem paruulum teneris verbis ſedat, & illi caput demulcet: Noli flere filiole, noli flere, dilecte mi: & flagellum dat puero vt igni tradat ipſum. Hoc modo ſe gerit Deus cum iuſtis, qui quaſi virgam ſuæ iuſtitiæ ſumit impios, vt iuſtos flagellet: quos tamen poſtea Deus in manibus iuſtorum tradet, vt in ignē mittant eos Inferni. Diuus Gregorius enarrat, quòd quidam à Sicilia nauigantes, peruenerunt ad Inſulam, quæ dicitur Lipara, vbi commorabatur quidam Eremita ſanctitate eximus, qui illis dixit: Neſcitis quòd ſit mortuus Theodoricus Rex? Cui illi fidem non adhibentes, dixerunt id fieri non poſſe, cùm heſterna die incolum meum reliquiſſent, & optima valetudine affectum: ſic ſe res habet (ait ſanctus Eremita) ſicut vobis nunciaui. Heri namque Ioannes Papa, & Symmachus in barathrum Vulcani eum eiecerunt. Qui redeuntes in Siciliam, inuenerunt quod in eadem hora vita defunctus eſſet Rex, quā vir Dei ſignauerat eis. Hic Theodoricus Rex fuit Arrianus, qui Ioannem Papam, virū celebri ſanctitate inſignitum perſequutus fuit, & tandem in vinculis, & carceribus fœlicem vitæ curſum conſummauit. Similiter hic Rex tyrannus Symmachum ſenatorem Romanum Chriſtianiſſimum decapitauit. Ideoque dixit S. Eremita, quòd Ioannes Papa, & Symmachus in Infernum illum præcipitarunt. Illi, qui ſuos proximos perſequuntur, per ipſorum manus condemnabuntur: & in manus iuſtorum tradet illos Deus. Nam qui proximos ſuos perſequantur, quid aliud

Lib. 4. dialogorū c. 30.

quid aliud faciunt, quàm foueam fodere, in quã per manus iuſtorum deijcientur? Multum erant tumidi hi Babylonij, eò quòd populum Iſraël captiuum duxerant, & templum Hieroſolymitanum ſolo æquauerant. At cùm varia ſit temporum viciſſitudo, nec miſera ſeruitus Iſraël erit perpetua, nec Babylon impunè feret. Et ita S. Hieremias Propheta, qui deſtructionem Hieruſalem prædixit, & proprijs oculis ſuam calamitatem vidit: deſolationem Babylonis etiã prophetauit dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël. Filia Babylonis, quaſi area, tempus
Iere. 50. trituræ eius. Et quomodo deſolabit Deus Babylonem? Quaſi cùm ſegetes ſunt in area, & ſuperponitur tribulus, tunc pabula tritiſſima manent: Sic faciet Deus cum euertit Babylonem. Adhuc modicum, & veniet tempus meſſionis eius. Comedit me, & deuorauit me Rex Babylonis Nabuchodonoſor. Reddidit me, &c. Propterea hæc dicit Dominus. Ecce ego iudicabo cauſam tuam, & vlciſcar vltionem tuam. Erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, ſtupor & ſibilus: eò quòd nõ ſit habitator. Tu, ô Babylon, deſtruxiſti Hieruſalem: idem agetur tecum, & pœnam talionis ſolues. Hi diri, & immaniſſimi Babylonij ſemebant paruulos Hebræorum, & adhuc lactentes, & collidebant eos ad petras, & ſic occidebant, & dilaniabant eos. Propterea dicunt nunc Hebræi: Beatus qui tenebit & illidet paruulos tuos ad petram.) Allidere eſt inuicem aliquid lædere. Sicut ergo Babylonij ſumentes paruulos Hebræorum quatiebant, & impingebant eos ad parietem, idem Mediticum ipſis fecerunt: Nam cùm Babylon fuit expug-

nata per Cyrum Medorum Regem, allidebant *Eſa.13.*
etiam paruulos Chaldæorum ad petras, ſecundum id quod Eſaias prophetauit, dicens: Onus Babylonis, quod vidit Eſaias filius Amos. Deinde verò poſtquam grandem plagam ſuperuenturã Babylonijs prædixit, ſubdit ſtatim: Infantes eorum allidentur in oculis eorum. Diripientur domus eorum, & vxores eorũ violabuntur. Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, neque aurum velint: ſed ſagittis paruulos interficient, & cæt. Huiuſmodi ſunt iudicia Dei, vt pœna talionis eos puniat, qui eiuſmodi ſcelera machinãtur. Pharao ille Aegy- *Exod.1.*
ptorum Rex præcepit omnes lactentes, ſtatim cùm naſcerentur ex Hebræis, ſuffocari, & in flumen proijci. Ipſe verò quam mortem obijt miſer? In aquis maris Rubri ſubmerſus eſt. Proximum tuum occidiſti? occiſus peribis. Alios ſuf- *Exod. 14.*
focaſti? ſuffocatus eris. Sic Deus fecit Pharaoni. Adonibezec, Rex Chanaan fuit captus in prælio à Iuda Principe, & moderatore populi Iſrael, eiusque pedum & manuum extremitates ampu- *Iud.1.*
tarunt: dixit Adonibezec: Septuaginta Reges, amputatis manuum, ac pedem ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Planum eſt *1.Reg. 32.*
Saul magnum perſequutorem Dauid extitiſſe: & ſic perſequutus ipſe perijt. Perſequuti ſunt eum viri ſagittarij, & vulneratus eſt à ſagittarijs: ibique miſerum vitam conſummauit perſequutus, qui tot tantisque laqueis inſidiatus fue- *Heſt.5.*
rat Dauid. Amen ille ſuperbia tumidus concepit odium contra Mardochæum, qui conſilio vxoris ſuæ, Zarec, & amícorum eius, quoddam

erexit excelſum patibulum, in quo ſuſpenderet
Heſt. 7. Mardochæum. Itane, ô Aman, ſuſpendium inſonti paras? Suſpenſus, & affixus patibulo morieris, quod alij paraſti, verſute. Sic Deus diſpoſuit. Sicut Babylonij allidebant paruulos Hebræorum ad petras, ita quoque ſuos infantes allident Medi ad petram: & quæcunque mala Babylonij faciebant Hebræis, eadem ſoluebant poſtea Medis. Hoc vnum mihi credite, nec dubitandum
Luc. 6. eſt, Chriſtum, qui ſumma veritas eſt, haud falli poſſe: modò audite quid ipſe dixerit : Eadem menſura, qua aliis menſi fueritis, remetietur vobis. Qui pepercerit proximo ſuo, parcet illi Deus qui vindictam ſumpſerit, Deus etiam ſe vindicabit, qui miſericordiam habuerit, miſerebitur illi Deus. Qui læſerit proximum ſuum, malè habebit. Qui in cauſis gerendis cum proximo ſuo rigidus ſe oſtenderit, cum magna cenſura iudicabitur ipſe. Nunc dicito mihi, ô homo, vis vt rigida cenſura te iudicet Deus? Vis in iudicium Dei incidere? nequaquam. Si ſapis ſic habes dicere. Quare ergo rigidum exactorem præbes te ipſum erga proximum tuum? Iterum, ac iterum dico vobis, quod ſumma, & infallibilis veritas Deus ipſe ait: Eadem menſura, qua aliis menſi fueritis, remetietur vobis. Quod ſi hoc ita ſe habet, væ tibi, qui perſequeris illum abſque detrimento tuæ iuſtitiæ. Sic Deus recta, & inuiolabili cenſura iudicabit te. Quod ſi in manus Dei viuentis incideris, durum eſt tibi, durum nimis te manet iudicium, durus exitus te expectat, ſi rigidus cenſor extiteris. Quid tunc erit in magna multitudine vitiorum? Quid in illa copia lucri turpis

turpis cupidorum? Quid in illa multitudine mendacium, & ſeductorum? Nos volumus alia menſura metiri, & alia vt nobis remetiatur. Iudicium fiet ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam, ait Iacobus Dei Apoſtolus. *Iac. 1.* Ille diues auarus, de quo Euangelium, qui erga mendicum Lazarum adeò impium ſe oſtendit, cui eleemoſynam efflagitanti, non impertiuit, *Luc. 16.* verùm poſtea in Inferno clamitanti diues, guttula aquæ, quam petebat, non conceſſa eſt ei. Sic obturatas inuenit aures Abrahæ ſuis clamoribus, ſicut ille ſuas obturauerat ad vocem Lazari. Qui mendico antea nō ſuggeſſit, ipſe egenus factus non eſt exauditus: nec ei ſubuentum eſt, Nam, vt dicit Sapiens: Qui obturat aurem ſuam *Prou. 21.* ad clamorem pauperis, ipſe clamabit, & non exaudietur. Si cupis, vt miſericordiam ſuam Deus faciat tecum, miſericors eſto. Vis pietatem in Deo inuenire? ſic te erga proximum geras oportet Optas bonis affici? opitulare egeno, & pauperi. Duo enim ſunt certiſſima, & quæ nullatenus deficere poſſunt. Illud primum eſt. Omnes eſſe morituros: & in manus Dei viuentis peruēturos. Secundum vero, & ſubſequens huic: Quòd ea menſura, qua aliis menſi fueritis, remetietur vobis. Quod ſi hoc ita ſe habet, cur tyrannidem exerces? cur truculentum, & aſperum te præbes? Quare proximum tuum odio habes? Quare exoſum, & malum illi vt adueniat exoptas? Talem inuenies tibi Deum in nouiſſimo die, qualem te pauperes, & mendici in hoc ſeculo inuenerunt. Si autem Deum benignum, pium, & miſericordem volumus, & ne meminerit iniquitatum noſtrarum, eodem modo geramus nos cum proximis noſtris, pios, miſericordes,

apud quaſdam prouincias & Regna, cùm volunt ſemen aliquod humi iactare, vt eradicent, quæ dudum triticum germinauit, poſtquam ſegetes meſſæ ſunt, mittere lignum magnum, & ponderoſum valdè fixis ſibi cuſpidibus, quo cum humum colentes funditus omnes ſegetum radices euellunt, ita vt tritici veſtigium nullum prorſus ſit, nec meſſis. Hoc eodẽ modo (vt hac metaphora vtamur) iſti ſibi volunt, quòd tam dira & ingens erit affectio eorum, vt Chriſtum perſequãtur, & lignum crucis valdè oneroſum, vt tam grandi pondere ſuæ acerbiſſimæ paſſionis, vſque quaq; deiectus, ignominioſus, & ſine aliqua gloria, & honore maneat, ita vt memoria eius funditus deleatur. Secus tamen ſolet contingere, ac ſua fert opinio, & animus. Nam per eadem omninò media, quibus iuſtorum honorẽ deijcere, & obſcurare intendunt, & gloriæ eorum tenebras offundere, eiſdem, inquam, mediis cum maximo trophæo etiam in hoc ſæculo Deus erigit gloriam eorum. Nam quis vnquam mortalium tam immortali ſe condidit fama, quàm Chriſti Domini gloria viget? Nec alicuius nomen glorioſius, & honorificentius propagatum eſt, ac Chriſti nomen, quod vbique gentium iam habetur, & ipſe tanquam verus Dei filius adoratur. Nunquid Hannibal, Magnus Alexander, Cæſar, Auguſtus, aut Pompeius, Traianus, vel ex principibus quiſquã tantã ſibi in hoc ſæculo famam præſcripsêre, aut in futurum tam celebre nomen comparârunt? Nequaquam. Aut quiſnam horum pro Deo habitus? Nullus omninò. Ipſe ſolus eſt qui optimè meritus fuit, vt tantum ſibi compararet honorem. Hoc magnum quippe nomen per crucis paſſionem obtinuit, quod planè

R. Apoſtolus in illa Epiſtola ad Hebræos, nobis ſignificauit. Videamus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum: & alibi. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortẽ, mortẽ autem crucis. Propter quod exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Hic, nomen, pro fama accipitur, iuxta illud ſapientis: Melius eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ. Quod ſi Apoſtolus ſubdit: Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur: non ſibi vult, quod per paſſionem inditum ſit illi nomen Ieſus, nam antequam pateretur, hoc ſibi nomen erat. Niſi quod in nomine Ieſu, quòd antea non colebatur, nũc omnis creatura humilietur, quoniam ipſe, qui hoc nomen ſortitus eſt vbique gẽtium pro Filio Dei veneratur, & colitur, & quod omne genuflectatur: cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hoc dixit pro immortali fama apud omnes, quam per arma ſuæ paſſionis acquiſiuit in terris. Itaque qua via intendebant impij eius labefactare honorem, eadem via priſcis ſtemmatibus hunc crucis immortalem, & ſempiternum vbique condiderunt. Dixerunt enim impij, non rectè cogitantes: Mittamus lignum in panem eius, & nomen eius non memoretur amplius. Quod ſecus euenit. Velut filij Iacob memoriam fratris ſui Ioſeph volẽtes delere, & prorſus abolere, deiiciendo eum, quem etiã Iſmaëlitis vendidere. Et quidem ſubimet impoſuerũt, quoſque ſua refellit opinio. Nam ipſa via exaltauit illum Deus, & Regem Ægyptiorum conſtituit, & tandem fratres eius adorauerunt eum. Impij viri ſuum nomen perpetuare conantur, ſicut illi erigentes turrim Babel. Veruntamen periit memoria eorum cum ſonitu, & Deus diſperdidit eos,

Heb. 2. *Phil. 2.* *Prou. 18.* *Gen. 37.* *Gen. 41.* *Gen. 41.* *Gen. 11.* *Pſ. 9.*

CONCIO VI.

Filia Babylonis miſera: beatus qui tribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

POSTQVAM Regius Pſaltes in ante habitis verſibus, malum Idumææ prædixit, propterea quod Babylonios impulerat aduerſus Iſrael: modò ſermonem ſuum ad Babylonem conuertit, tanquam ſuæ miſeriæ & calamitatis auctricem, qua cum loquens, dicit: Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi, retributionem, quam retribuiſti nobis.) Phraſis Hebræa eſt, dum filiam Babylonis nuncupat ipſam. Velut Zacharias, cùm dixit: Exalta filia Sion. Et *Zach.* 9 Eſaias quoque; Deſcende, ſede in puluere, filia *Eſaia* Sion. mSiliter dicuntur filij nuptiarum, qui *47.* traduntur nuptiis, & filiis mortis, qui digni morte ſunt. Miſera, D. Hieronymus legit, vaſtata: & ſimiliter in Hebræo habetur: vaſtata, quòd eſt labefactata, & deſtructa. Nam iudicia Dei ſuperuentura Babyloni prædicens, tanquam certiſſimum quid & infallibile, vaſtatam dicit, quaſi ipſa re vaſtata eſſet iam. Nobis enim nihil certius, quàm quæ iam facta ſunt, & præterierunt. Ob idque cùm Prophetæ homines alloquerentur, apud quos nihil euidentius, quàm ea, quæ facta ſunt: ideo aliquando per tempus præteritum, & non per futurum prophetabant. Sic Regius Dauid de Chriſti Domini incarnatione loquens, dicit: Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & de paſ- *Pſal.* 71. ſione Dominica verba faciens ait: Inſurrexerunt *Pſal.* 26. in me teſtes iniquit, & illud; Fui flagellatus tota *Pſal.* 72. die. Foderũt manus meas, & pedes meos, dinume- *Pſal.* 21. *Pſal.* 68.

rauerunt omnia oſſa mea. Partiti ſunt veſtimenta mea. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto, & pleraque alia, quæ in Prophetis paſſim inuenies. Sic Babylon, quæ vaſtanda erat, vaſtatam dicit. Modò Babylon, miſera & labefactata: beatus qui retribuet tibi,
Pſa 1. &c. Non habet intelligi verbum hoc, Beatus: ſi-
Pſa.111. cut accepit illud Regius Dauid in Pſalmo: Bea-
Pſa.40. tus vir, qui non abiit in conſilio impiorum: aut quando dixit: Beatus vir qui timet Dominum: Et, Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: ſed ſumitur pro optimè laude merito: nam actus, & executio iuſtitiæ Dei, optima, & laudabilis eſt. Et quemadmodum Eſaias, Hieremias, & Ezechiel, & alij ex minoribus Prophetis prædixerunt deſtructionem Hieruſalem: ſimiliter vaſtationem Babylonis faciendam per Cyrum & Darium, qui eam deſolauerunt, prædixere. Nolint autem putare, hi, qui alios perſequuntur, ſe impunè laturos. Veniet namque tempus cùm ferant pretium temeritatis ſuæ. Deus enim maximus tanquam media inſtrumenta ſuæ iuſtitiæ, impios ſumit, vt viſitet & corrigat electos ſuos, & filios, quos temerè diligit, emendet. Poſtea verò non gaudebunt, qui alios perſecuti ſunt: Sic Deus per Eſaiam loquēs
Eſa. 10. de Rege Syriæ: Aſſur virga furoris mei. Ipſe eſt flagellum, quo viſito dilectum mihi Iſrael. Veruntamen ſubdit pòſt ipſe Propheta: Væ Aſſur, ſuſcitauit ſuper eum Dominus exercitum, flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb, & virgam ſuper mare, &c. Poſtquam enim Deus viſitauit populum ſuum, conſolatur eum, & illecebris demulcet: minatus Aſſur & multa, ſibi

mala euentura prædicit. Velut quidam pater, qui filiolum ſuum pro aliqua mænia flagellat, adhuc tamen plorantem paruulum teneris verbis ſedat, & illi caput demulcet: Noli flere filiole, noli flere, dilecte mi: & flagellum dat puero vt igni tradat ipſum. Hoc modo ſe gerit Deus cum iuſtis, qui quaſi virgam ſuæ iuſtitiæ ſumit impios, vt iuſtos flagellet: quos tamen poſtea Deus in manibus iuſtorum tradet, vt in ignē mittant eos Inferni. Diuus Gregorius enarrat, quòd quidam à Sicilia nauigantes, peruenerunt ad Inſulam, quæ dicitur Lipara, vbi commorabatur quidam Eremita ſanctitate eximus, qui illis dixit: Neſcitis quòd ſit mortuus Theodoricus Rex? Cui illi fidem non adhibentes, dixerunt id fieri non poſſe, cùm heſterna die incolum meum reliquiſſent, & optima valetudine affectum: ſic ſe res habet (ait ſanctus Eremita) ſicut vobis nunciaui. Heri namque Ioannes Papa, & Symmachus in barathrum Vulcani eum eiecerunt. Qui redeuntes in Siciliam, inuenerunt quod in eadem hora vita defunctus eſſet Rex, quā vir Dei ſignauerat eis. Hic Theodoricus Rex fuit Arrianus, qui Ioannem Papam, virū celebri ſanctitate inſignitum perſequutus fuit, & tandem in vinculis, & carceribus fœlicem vitæ curſum conſummauit. Similiter hic Rex tyrannus Symmachum ſenatorem Romanum Chriſtianiſſimum decapitauit. Ideoque dixit S. Eremita, quòd Ioannes Papa, & Symmachus in Infernum illum præcipitarunt. Illi, qui ſuos proximos perſequuntur, per ipſorum manus condemnabuntur: & in manus iuſtorum tradet illos Deus. Nam qui proximos ſuos perſequantur, quid aliud

Lib. 4. dialogo. rū c. 30.

quid aliud faciunt, quàm foueam fodere, in quã per manus iuſtorum deijcientur? Multum erant tumidi hi Babylonij, eò quòd populum Iſraël captiuum duxerant, & templum Hieroſolymitanum ſolo æquauerant. At cùm varia ſit temporum viciſſitudo, nec miſera ſeruitus Iſraël erit perpetua, nec Babylon impunè feret. Et ita S. Hieremias Propheta, qui deſtructionem Hieruſalem prædixit, & proprijs oculis ſuam calamitatem vidit: deſolationem Babylonis etiã prophetauit dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël. Filia Babylonis, quaſi area, tempus
Iere.50. trituræ eius. Et quomodo deſolabit Deus Babylonem? Quaſi cùm ſegetes ſunt in area, & ſuperponitur tribulus, tunc pabula tritiſſima manent: Sic faciet Deus cum euertit Babylonem. Adhuc modicum, & veniet tempus meſſionis eius. Comedit me, & deuorauit me Rex Babylonis Nabuchodonoſor. Reddidit me, &c. Propterea hæc dicit Dominus. Ecce ego iudicabo cauſam tuam, & vlciſcar vltionem tuam. Erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, ſtupor & ſibilus: eò quòd nõ ſit habitator. Tu, ô Babylon, deſtruxiſti Hieruſalem: idem agetur tecum, & pœnam talionis ſolues. Hi diri, & immaniſſimi Babylonij ſemebant paruulos Hebræorum, & adhuc lactentes, & collidebant eos ad petras, & ſic occidebant, & dilaniabant eos. Propterea dicunt nunc Hebræi: Beatus qui tenebit & illidet paruulos tuos ad petram.) Allidere eſt inuicem aliquid lædere. Sicut ergo Babylonij ſumentes paruulos Hebræorum quatiebant, & impingebant eos ad parietem, idem Mediticum ipſis fecerunt: Nam cùm Babylon fuit expug-

nata per Cyrum Medorum Regem, allidebant *Eſa.13.*
etiam paruulos Chaldæorum ad petras, ſecundum id quod Eſaias prophetauit, dicens: Onus Babylonis, quod vidit Eſaias filius Amos. Deinde verò poſtquam grandem plagam ſuperuenturã Babylonijs prædixit, ſubdit ſtatim: Infantes eorum allidentur in oculis eorum. Diripientur domus eorum, & vxores eorũ violabuntur. Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, neque aurum velint: ſed ſagittis paruulos interficient, & cæt. Huiuſmodi ſunt iudicia Dei, vt pœna talionis eos puniat, qui eiuſmodi ſcelera machinãtur. Pharao ille Aegyptorum Rex præcepit omnes lactentes, ſtatim *Exod. 1.*
cùm naſcerentur ex Hebræis, ſuffocari, & in flumen proijci. Ipſe verò quam mortem obijt miſer? in aquis maris Rubri ſubmerſus eſt. Proximum tuum occidiſti? occiſus peribis. Alios ſuf- *Exod. 14.*
focaſti? ſuffocatus eris. Sic Deus fecit Pharaoni. Adonibezec, Rex Chanaan fuit captus in prælio à Iuda Principe, & moderatore populi Iſrael, eiusque pedum & manuum extremitates ampu- *Iud. 1.*
tarunt: dixit Adonibezec: Septuaginta Reges, amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Planum eſt *1. Reg. 31.*
Saul magnum perſequutorem David extitiſſe: & ſic perſequutus ipſe perijt. Perſequuti ſunt eum viri ſagittarij, & vulneratus eſt à ſagittarijs: ibique miſerum vitam conſummauit perſequutus, qui tot tantisque laqueis inſidiatus fue- *Heſt. 5.*
rat David. Amen ille ſuperbia tumidus concepit odium contra Mardochæum, qui conſilio vxoris ſuæ, Zarec, & amicorum eius, quoddam

turpis cupidorum? Quid in illa multitudine mendacium, & ſeductorum? Nos volumus alia menſura metiri, & alia vt nobis remetiatur. Iudicium fiet ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam, ait Iacobus Dei Apoſtolus. *Iac. 1.* Ille diues auarus, de quo Euangelium, qui erga mendicum Lazarum adeò impium ſe oſtendit, cui eleemoſynam efflagitanti, non impertiuit, *Luc. 16.* verùm poſtea in Inferno clamitans diues, guttula aquæ, quam petebat, non conceſſa eſt ei. Sic obturatas inuenit aures Abrahæ ſuis clamoribus, ſicut ille ſuas obturauerat ad vocem Lazari. Qui mendico antea nõ ſuggeſſit, ipſe egenus factus non eſt exauditus: nec ei ſubuentum eſt, Nam, vt dicit Sapiens: Qui obturat aurem ſuam *Prou. 21.* ad clamorem pauperis, ipſe clamabit, & non exaudietur. Si cupis, vt miſericordiam ſuam Deus faciat tecum, miſericors eſto. Vis pietatem in Deo inuenire? ſic te erga proximum geras oportet. Optas bonis affici? opitulare egeno, & pauperi. Duo enim ſunt certiſſima, & quæ nullatenus deficere poſſunt. Illud primum eſt. Omnes eſſe morituros: & in manus Dei viuentis peruẽturos. Secundum vero, & ſubſequens huic: Quòd ea menſura, qua aliis menſi fueritis, remetietur vobis. Quòd ſi hoc ita ſe habet, cur tyrannidem exerces? cur truculentum, & aſperum te præbes? Quare proximum tuum odio habes? Quare exoſum, & malum illi vt adueniat exoptas? Talem inuenies tibi Deum in nouiſſimo die, qualem te pauperes, & mendici in hoc ſeculo inuenerunt. Si autem Deum benignum, pium, & miſericordem volumus, & ne meminerit iniquitatum noſtrarum, eodem modo geramus nos cum proximis noſtris, pios, miſericordes,

pacificos, officioſos, gratos, modeſtos. At filij Iſrael quales inuenerunt Chaldæos? Crudeles, impios, tyrannos, & ſui hoſtes: quorum indignatio eò peruenit, quòd ſumebāt infantes eorum, & allidebant eos ad petram. Propterea filia Babylonis miſera, beatus, qui retribuet tibi, &c. Eadem menſura remetietur tibi: & paruulos tuos allident ad petras, ſine aliqua pietate. Magna quippè erat tyrannis, & effrænis ira Chaldæorum, qui etiam erga paruulos, qui eos numquam offenderant, ſuam diram exercebant inſaniam, & furorem, & ſanguinem inſontium fundebant, Quaſi iracundus canis, qui rabie infectus lapidem mordet, omiſſo iaculatore: ſic iſti Babylonij iniqui, canes, & rabie infecti, viros quoſque fortes, & armatos, quos interficere non poterant omittentes, iram ſuam in paruulos exercebant. Sic in Euangelio habetur, Herodem iniquum, & impium, feciſſe, cùm iuſſit innocentes in Bethlehem Iudà occidi. Vnum interea, & illud primum, quid irritat, & incendit iram læſi aduerſus hoſtem, & imponentē ſibi, eſt, malitia, & verſutiam eius conſiderare, hoc eſt quod magis ad iracundiam prouocat illum. Quod ſi vindictam ſumere valde nociuum, & impium eſt: nonnihil tamen excuſationis habet ſui peccati. Verum magis impiū, & doloſū eſt, nulla data occaſione proximū ſuum offendere. Quid eſt, quod inſontem perſequeris? Cur lædis, & interficis iuſtū? Sic fecerunt Chaldæi cum infantibus filiorum Iſrael. Sed non impunè tulerunt: nam eadem menſura ſoluerunt debitum impietatis ſuæ, videntes paruulos ſuos allidi ad petrā. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. (Nonnulli codices habent, Paruulos ſuos: & ſic communiter

Matt. 2

legitur in pleriſque Breuiariis,& antiquis pſalteriis: verùm non ſic ſe habet. Nam hic loquitur in ſecunda perſona: non autem in tertia, & inter loquendum cum Babylone, dicit: Filia Babylonis miſera.) Et ideò, vt fiat optima congruentia, habet dicere, tuos. Cuiuſmodi Diuus Hieronymus vertit, & legit, & in Græco habetur πρὸς τὴν πέτραν τὰ νήπιά σοῦ. Hoc eſt, paruulos tuos ad petram. Caueat ergo quiſque ſibi, & qui proximum ſuum odio habet: quòd ſi modò Deus taceat, non tamen ſemper tacebit. Deus enim vt pius, & miſericors diſſimulat, & tacet: ſed obſeruat, vt aliquando in nos animaduertat. Ideóque pœnitentiam agere hortamur vos. Nam dicit Dominus: Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo, & alibi: Nunquid in æternum tacebo? Falsò putabant Chaldæi exiſtimantes iam actum eſſe, & quietam vitam agere poſſe, edentes & bibentes, longè tamen eis euenit, ac sua fallebat opinio. Nam præter ſpem ira Dei deſcendit ſuper eos: & ſagittas ſuas Deus ardentes effecit, & arcum iuſtitiæ ſuæ vibrauit. Pſal. 4. Pſal. 7.

Euenit, vt quidam viri Amalechitæ expoliarent, & deſtruerent Sicelec, & fœminas cum pueris captiuas ducerent, quibus tamen epulantibus, & feſtum diem celebrantibus malum euenit. Nam irruit in eos Dauid, & milites eius, & interfecerunt eos & deſolauerunt. Caueat quis neminem læſerit, aut proximo ſuo malum fecerit, ne fortè ira Dei ſubitò deſcendat ſuper eum. Quis enim peccauit adhuc proximum offendens, qui non ſoluerit? Occidit Cain Abel fratrem ſuum, & quò peruenit? vt interficeret eum Lamech. Nam qui alium occidit, non deeſt, qui 1. Reg. 20. Gen. 4.

Exod. 14. illum interficiat. Pharao Ægyptiorum Rex perſequutus Iſrael quonã ipſe peruenit? vt in mari rubro ſubmergeretur. Abimelech perſequutus

Iud. 9. eſt Sichem: & eum occidit quædam mulier mittens fruſtũ molæ ex turri Thebis, & qui eius arma geſtabat pugionis ictibus illum percuſſit, & necauit. Saül rex Iſrael ſummo odio perſequutus eſt Dauid, qui miſeram mortem obijt in

1. Reg 31 monte Gelboe, ſeipſum interficiens. Perſequuta

4 Re. 9. eſt Iezabel Eliam Prophetam, deinde præcipitata, à canibus laniata eſt. Athalia regiam ſobolem perſequuta fuit, & omnes gladio necauit, quæ iuſſu ſummi ſacerdotis Ioiadæ extra templum ducta ictibus pugionis occiſa eſt. Abſalom pa-

4. Re. 11 2. Reg. 18 trem ſuum Dauid perſequutus, eo tandem peruenit, vt crinibus in quercu ſuſpenſus, tribus lanceis eius viſcera transfixerit Ioab: qui tantum doli orſus fuerat, vt patris regnum compilaret. Senacherib populum Iſrael perſequutus eſt, & poſtea ab eis reportauit ſuæ audaciæ meritum.

Tob. 1. Nam in Iudæa labefactatus, & victus eſt; & poſt-

Iud. 13. quam in patriam ſuam peruenit, filij ſui ictibus

Heſt. 7. transfixerunt eum. Holofernes, & Aman perſequuti fuere populum Iſrael, quorum primus à fœmineo brachio truncatus, ſecundus patibulo affixus eſt. Perſequutus eſt Antiochus rex domũ

2. Mach. 9. Iacob: qui tam miſerè vita defunctus eſt, tã grauiter affectus languore, vt ſui non valerent eius fœtorem tolerare, ſic miſer ſpiritum exhalauit. Herodes ille Aſcalonita, qui paruulos innocentes occidit (de quo Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica) vermibus ſcatens conſumptus eſt, & rabie affectus ſeipſum cultello transfixit. Et alter ille

Act. 10. Herodes Agrippa, qui decollauit Iacobum Apoſtolum, & in vinculis D. Petrum iniecit, hunc

Angelus Domini occidit. Nul.⁹ ergo exiſtimet ſecurè vitam degere, qui ſanguinem inſontium fundendo viuit, alienã gloriam labefactando: quoniam ſanguis innocentium clamat ad Deũ, & iram Dei aduerſus labefactores, & perſecutores efflagitat: non ſecus ac ſanguis iuſtus Abel quondam clamabat, & vindictam illius ſæui interfectores poſtulabat. Et quemadmodũ Chaldæi hoſtes Iſraël non impunè tulerunt quos poſteà Medi deſtruxerunt; ſic nos ſciamus horrendum Dei iudicium in nobis ſuperuẽturum cùm alios perſequuti fuerimus. Ea tamen ſynceritate cordis viuamus, vt cùm mors aduenerit, & Deus rationẽ nobiſcum poſuerit: manus noſtras alieno ſanguine infectas non inueniat, ſed conſcientiæ puritatem, & animæ ſynceritatem, & ita nobis ſuam gratiam, & donum gloriæ impertiat. Qui eſt pius, & miſericors in ſæculorum ſæcula. Gen. 4.

Amen.

FINIS.

APPROBATIO CVIVSDAM SACERdotis ex Societate IESV.

Sacræ Theologiæ in Mantuano Carpentanorum Collegio eiuſdem Societatis Profeſſoris.

DE mandato Regij Senatus, legi hunc librũ, qui Modus Concionandi inſcribitur: cui annectitur expoſitio quædam in Pſalm. 136. à Reuerendo admodum patre Didaco Stella ordinis Minorum, viro doctiſſimo, & egregio verbi Dei declamatore: & cùm eum diligenter euoluerem, nihil, quod orthodoxæ fidei aduerſetur, reperi. Multa verò, quæ cum vtilitate maxima, etiam peritiſsimi ſacri Euangelij præcones legere poſsint, & quæ, ſi ſedulò lectitauerint, non minimam vtilitatem eis afferent, vt cum laude, & exactè ſuo fungantur officio. Et ob id dignum cenſeo, qui ſemel, & ſæpius typis mandetur. Mantuæ Carpetanorum in Collegio Societatis Ieſu. 13. Kalend. Martias, anni M. D. LXXVI.